Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

KW
235
B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ANALYSIS
Paraphraſtica
INSTITVTIONVM
Theologicarum
IOH. CALVINI
Diſputationibus XLI contexta,

AVCTORE
DANIELE COLONIO.



LVGD. BATAVORVM,
Ex Officina Elzeviriana.

ANNO CIↃ IↃC XXXVI.

Cum Privilegio.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Clariſſimo

D.D. DANIELI HEINSIO, D. MARCI EQVITI, SERENISSIMI SVECORVM REGIS CONSILIARIO ET HISTORIOGRAPHO, POTENTISS. ORDINVM HOLLANDIÆ HISTORICO, IN CELEBERRIMA LVGDVNO-BATAVA ACADEMIA POLITICES PROFESSORI, BIBLIOTHECARIO AC SECRETARIO,

Has Diſputationes Theologicas

Dicabat, Conſecrabat

DANIEL COLONIVS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

INDEX

DISPVTATIONVM.

Liber Primus.

I. DE Notitia Dei. Pag. 1
II. De Notitia Dei acquiſita ex mundi fabricatione & gubernatione. 4
III. De Neceſſitate & Authoritate Scripturæ. 10
IV. De Idololatria & cultu imaginum. 22
V. De Sacro-ſancta Trinitate. 32
VI. De Creatione mundi in genere. Itemque de Angelis tum bonis, tum malis. 55
VII. De Creatione Hominis. 70
VIII. De Providentia Dei. 80

Liber Secundus.

I. De Notitia noſtri, Lapſu Adami & peccato originali. Pag. 104
II. De Libero Arbitrio. 114
III. Qua dubia & objectiones ſolvuntur, quæ circa doctrinam de libero arbitrio moveri ſolent, 144
IV. De Mediatoris neceſſitate. Itemque de officio & uſu Legis. 162

v. De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

v. De Lege morali, ſeu Decalogo. 177
vi. De Comparatione Legis & Euangelii. 210
vii. De duabus in Chriſto naturis & unitate Perſonæ. 230
viii. De officio Chriſti, & officii executione. 251

Liber Tertius.

i. De modo percipiendi gratiam Chriſti, de Fide, ejusque effectis & fructibus. 281
ii. De Pœnitentia. 321
iii. Ἐλεγχτικὴ, De Pœnitentia, Satisfactionibus, Indulgentiis & Purgatorio. 341
iv. De vita hominis Chriſtiani. 383
v. De Iuſtificatione. 414
vi. De Iuſtitia operum. 443
vii. De Libertate Chriſtiana. 487
viii. De Precatione. 500
ix. De Prædeſtinatione. 551
x. De Reſurrectione ultima, & vita Æterna. 600

Liber Quartus.

i. De Eccleſia, ejuſque Notis. 616
ii. De Eccleſiæ Miniſtris, eorumque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eleсtione & vocatione atque officio. 647
III. De Primatu Papæ. 675
IV. De Poteſtate Eccleſiæ, quoad fidei dogmata.
V. De Conciliis eorumque authoritate. 708
VI. De Poteſtate Eccleſiæ in ferendis legibus. 717
VII. De Eccleſiæ juriſdictione, ſive de diſciplina Eccleſiaſtica circa mores. Item de jejuniis, & cælibatu. 736
VIII. De Votis. 764
IX. De Sacramentis in genere. 778
X. De Baptiſmo. 796
XI. De Pædobaptiſmo. 811
XII. De Sacroſancta Chriſti Cœna. 834
XIII. De Miſſa Papali. 881
XIV. De Numero Sacramentorum, & de quinq; falſo dictis Sacramentis. 894
XV. De Politica Adminiſtratione. 922

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

In Calvini Inſtitutiones.

Aureus hic liber eſt, hunc tu ſtudioſa
juventus,
Si cupis optatam ſtudiorum attingere
metam,
Noctes atque dies in ſuccum verte le-
gendo.

D. C.

Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

CVm inſignes Diſputationes Theologicas, opera atque induſtria ſingulari, Reverendi, Doctiſſimi, ac Clariſſimi Viri, D. Danielis Colonii *Regentis Collegii Gallo-Belgici, analyticè ex quatuor libris Inſtitutionum ſummi Theologi Iohannis Calvini conſcriptas, perſpexiſſemus, nos eas magno cum fructu, & ſtudioſæ juventutis, quæ operam ſuam Eccleſiæ Chriſti dicavit, emolumento in lucem edi ac typis evulgari poſſe cenſuimus ac judicavimus. Dat. Lugd. Batav.* XXIV *Iulii* cIↄ Iↄc XXVIII.

IOHANNES POLYANDER, pro tempore Decanus facultatis Theologicæ, ſuo ac Collegarum ſuorum nomine.

THE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

THESES THEOLOGICÆ.

DISPVTATIO I,

DE NOTITIA DEI.

Ex Inſtitut. Calvin. lib. 1. cap. 1.2.3.4.

THESIS I.

SVmma noſtræ ſapientiæ conſiſtit in Dei & noſtri cognitione. Vtraq; alteri inſervit. A Dei tamen notitia principium fieri, ordo rectè docendi poſtulat. c. 1. S. 1. 3.

2. Nam etſi cognitio noſtri nos deducat tum ad quærendum Deum, tum ad ipſum reperiendum, ſive bona ſpectemus, quæ non niſi à Deo ſolo accipere potuimus, quæque ad obedientiam & gratiarum actionem invitant; ſive mala, quibus undiquaque infœliciſſimi premimur, unde metus, humilitas, invocatio oritur. c. 1. S. 1.

3. Puram tamen noſtri notitiam non aſſequimur, partim propter ingenitam ſuperbiam & φιλαυτίαν, quæ hominem juſtitiæ opinione dementat: partim ob hypocriſin, quæ inanem juſtitiæ ſpeciem pro vera juſtitia venditat. Ita fit, ut nemo rectè ſeipſum cognoſcat, quouſque fulgore divinæ Majeſtatis confunditur & humiliatur. Cujus rei argumentum videre eſt in viris ſanctiſſimis, qui, quo propius ad Deum accedunt, eo magis ſtupent & horrore percelluntur. c. 1. S. 2.

4. Notitia Dei in genere, eſt qua non ſolum eſſe Deum aliquem, ſed etiam qualis erga nos ſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſit, agnoſcimus, quantum quidem noſtra refert, tum ad ipſius gloriam, tum ad noſtram ſalutem. c. 2. S. 1. 2.

5. Hæc Notitia Dei rectè diſtinguitur in Notitiam Dei Creatoris, & Redemptoris. Illa huic eſt præmittenda. c. 2. S. 1.

6. Notitia Dei Creatoris, eſt qua unicum & verum Deum ſcimus & ſentimus eſſe Creatorem noſtrum, & ſua nos potentia fulcire, providentia regere, bonitate fovere, & omni genere benedictionum proſequi, adeoque fontem eſſe & cauſam omnium bonorum. c. 2. S. 1.

7. Finis hujus notitiæ eſt pietas, ex qua Religio oritur, ſine quibus cognitio Dei nulla vel inutilis eſt. c. 2. S. 1. 2.

8. Pietas eſt conjuncta cum amore Dei reverentia, quam creationis noſtræ & beneficiorum ejus notitia conciliat. Hinc fit ut tota à Deo pendeat interno & ſincero affectu, ei ſoli confidat, ab eoque omnia exſpectet, eique cum gratiarum actione accepta referat. c. 2. S. 1.

9. Religio eſt fides cum ſerio & filiali timore Dei conjuncta, quæ ſecum trahit legitimum & debitum obſequium atque cultum. c. 2. S. 2.

10. Notitia Dei partim inſita, partim acquiſita vocari poteſt. Inſitam dicimus, qua divinitatis aliquis ſenſus omnibus hominibus à natura eſt ingenitus. c. 3. S. 1. c. 5. S. 1.

11. Id porro conſtat. 1. Ex eo quod hominibus omnis ignorantiæ prætextus tollendus fuit, ut ſuo ipſorum teſtimonio damnarentur, qui opificis ſui numen non coluerint, cujus intelligentiam univerſis Deus indidit. 2. Ex communi omnium nationum etiam obtuſiſſimarum teſtimonio. 3. Ex ſuperſtitione & idololatriâ paſſim, & olim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

olim & hodie apud Gentes uſitatâ, quæ potius quam nullum putarentur habere Deum, ad ligna & lapides ſe demittere voluerunt. 4. Ex ſenſu Majeſtatis Dei, & metu ultionis divinæ, quo improbiſſimorum hominum conſcientias percelli videmus, etiam quando furiosè Deum oppugnant, aut etiam Dei faciem fugere conantur. 5. Ex ſummo fine hominis, qui eſt Deum cognoſcere, & ad hunc ſcopum omnes vitę cogitationes & actiones deſtinare. Hujus autem notitiam omnibus inſitam eſſe oportuit. 6. A religione, quæ potiſſimum à brutis nos diſtinguit. Eſt ergo homini cum ipsâ rationali animâ naturalis. 7. A precibus quas ipſa neceſſitas rebus deſperatis impiis extorquet. Vnde ſequitur, naturalem Dei notitiam quandoque ſupprimi, exſtingui tamen non poſſe. cap. 3. S. 1. 2. 3. & c. 4. S. 4.

12. Hanc Dei naturalem notitiam homines omnes ſua culpa multis modis ita corrumpunt, ut nulla in mundo recta maneat pietas aut religio. c. 4. S. 1.

13. Cujus cauſæ præſertim duæ, ſuperſtitioſa vanitas & contumax malitia. c. 4. S. 1.

14. Illa carnaliter primum de Deo judicans, deinde ſuâ curioſitate ad vanas ſpeculationes delapſa, tandem falſa confidentia, & mendaci religionis fuco totum hominem infatuat. c. 4. S. 1.

15. Et nulla cauſa eſt, cur vel in ſimplicitate, vel in religionis ſtudio prætextum quærat, quia vanitate & ſuperbiâ ultrò in errores delabitur, vel contemtâ Dei voluntate, quæ ſola religionis norma eſſe debet, aliam ex arbitrio ſuo fingit; nec niſi coacta ſervili metu ad Deum accedit, & eundem, contra quem affectu belligeratur, religionis tamen effictâ ſpecie demereri nititur. c. 4. S. 1. 3. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

16. Altera vero contumax ſcilicet & impudens malitia, ſuffocatâ naturæ luce, cæco impetu in Deum ruit, & peccandi conſuetudine obdurata, furioſè omnem Dei memoriam repellit, ejusque providentiam & potentiam, quam metuit, eſſe negat, ſic tamen, ut, dum luctatur cum proprio ſenſu, Deum excutere non poſſit. c. 4. S. 2.

COROLL. I. *An naturalis notitia Dei inde dicta ſit, quod homo potentiis intelligendi & volendi præditus ſit; An potius quod κοινὴ hæc ἔννοια omnibus à naturâ inſit.* Poſterius affir. c. 3. S. 1.

II. *An notitia naturalis reddat homines inexcuſabiles.* Affirm. c. 3. S. 1.

III. *An paucorum vaſritie excogitata ſit religio?* Neg. c. 3. S. 2.

DISPVTATIO II,

De Notitiâ Dei acquiſitâ ex conſideratione fabricæ mundi & continuæ ejus gubernationis.

Ex lib. 1. cap. 5.

1. PRæter ſemen Religionis quod mentibus hominum Deus indidit, & ut ſupra demonſtratum eſt, vanitate & malitia hominum depravatur, ne ad fœlicitatem præcluſus eſſet aditus, placuit Deo ſeipſum variis porro patefactionibus cognoſcendum exhibere, idque duobus præſertim modis, tum in operibus creationis & providentiæ, tum vero in verbo ſuo. Et quæ hinc oritur notitia poteſt acquiſita dici. De priori patefactione his theſibus agemus. Sect. 1.

2. Quod Deus ſeipſum patefecerit in operibus ſuis, quibus claras & inſignes gloriæ ſuæ notas inſculpſit, tam eſt manifeſtum, ut aperire oculos

homines

homines nequeant, quin aſpicere eum cogantur. Vnde etiam ſublata eſt quamlibet rudibus & ſtupidis omnis ignorantiæ excuſatio. quod his argumentis plenius oſtendimus. S. 1.

3. Nam primo ſi ſurſum ad cœlos attollamus oculos, ſive ampliſſimam hanc & pulcherrimam mundi machinam velut uno intuitu, quam latè patet, perluſtremus, illic quidem evidentiora divinitatis apparent teſtimonia, quam ut incognita eſſe poſſint, hìc verò vi immenſa fulgoris divini totos obrui neceſſe eſt: ut præclarè teſtantur hæc loca. Pſal. 104. 2. Pſal. 19. 1. Heb. 11. 3. Rom. 1. 19. cap. 5. S. 1.

4. Idem ſecundo teſtantur opera Dei ordinaria, quæ tum in cælo tum in terris conſpiciuntur, nec à doctis tantum, ſed etiam ab idiotis & rudibus percipi poſſunt. Etſi enim doctiores ſcientiarum ſubſidio longè altius aſſurgant ad introſpicienda divinæ ſapientię arcana, diſquirendis aſtrorum motibus, diſtribuendis ſedibus, metiendis intervallis, & proprietatibus notandis, aliisque reconditioribus inveſtigandis, in quibus Dei gloria explicatius ſeſe profert, tamen in tam innumerabili adeoque diſtincta & diſpoſita cœleſtis militiæ varietate nemo oculos aperire poteſt, quin in opificis admirationem prorumpere cogatur. S. 2.

5. Sed inter reliquas creaturas eminet ipſe homo, rarum potentiæ, bonitatis, & ſapientiæ Dei ſpecimen, cujus ſive corpus ſpectes, non poſſis non admirari pulcherrimã & ingenioſam ſtructuram, membrorumq; omnium ſingularem uſum, ſive animam ejusque præclaras facultates, raras dotes, & celeres motus, fatendum eſt hominem in ſe continere officinam innumeris Dei operibus nobilem, & ſimul tabernam inæſtimabili opum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

copia refertam. De quibus itidem eruditi majore cum acumine diſſerunt, omnes tamen agnoſcere coguntur, totidem eſſe divinitatis ſigna. Vnde etiam Philoſophi hominem μικρόκοσμον indigetarunt. Et Paulus, non longè Deum quærendum eſſe dicit, cum in ipſo vivamus, moveamur & ſimus. quo ſenſu progenies Dei ab Arato vocamur, Actor, 17. 27, 28. Eademque ratione etiam infantibus diſertæ linguæ tribuuntur ad prædicandam Dei gloriam, Pſal. 8. 5. S. 2. 3.

6. Hic autem detegitur fœda hominum ingratitudo, qui Deum in ſe operantem, & ingentem donorum varietatem, quam ex ejus liberalitate poſſident, intus malitiosè deprimunt: Imo tam prodigioſi ſunt, ut hoc ipſo excellentiæ prætextu Deum eſſe negent, vel naturam, aut arcanam aliquam inſpirationem, loco Dei ſubſtituant. Quod quid aliud eſt quam protervè Deo bellum inferre? Nam in corpore & anima, velint nolint, Deum reperiunt. Quid ergo abſurdius, quam divinum hominem Creatorem ſuum non agnoſcere? cui datum eſt diſcernere inter juſtum & injuſtum, Deum in cœlo judicem negare? atomorum concurſui mirabilem cibi atque potus concoctionem tribuere? artium inventione gloriari, Deum ſua laude fraudare? naturæ denique aut univerſalis animæ & arcani ſpiritus prætextu Dei nomen ſupprimere? Ita verò aut mundum ſui ipſius conditorem faciunt, aut Deum imperitè cum ſuis operibus confundunt, aut certè ſpeculatione inani, quæ ad agendam fovendamque pietatem nihil valet, umbratile numen fingunt. S. 4. 5.

7. Nec obſtat quod animæ facultates ſunt organicæ, ut propterea corpori alligetur, ad obſcurandam Dei gloriam, & immortalitatem animæ abolen-

abolendam. Nam cum varias ſine corporis adminiculo functiones exerceat, cœlum & terram perluſtrans, præterita futuris conjungens, quæ audivit memoriter retinens, ſolerter res incredibiles & artes mirabiles excogitans, etiam inter dormiendum multa utilia concipiens, de multis ratiocinans, futura etiam divinans, totidem certē divinitatis & immortalitatis exhibet inſignia, quæ negari nullo modo poſſunt. Atque hoc tertium eſto argumentum, quo ex naturæ noſtræ conſideratione diſcimus unum eſſe Deum, qui nos ad ſui cognitionem & fiduciam vocat. S. 5.

8. Addimus quarto, cum ad creationem accedat ſingularis Dei providentia, qua totam rerum univerſitatem pro nutu & arbitrio ſuo mirabiliter regit, ut ex ſuſtentatione cœli atque terræ, admirandis tonitruum & fulminum effectis, variisque tempeſtatum formis, maris determinatione, concitatione & ſedatione, aliisque infinitis potentiæ & bonitatis divinæ teſtimoniis, luculenter apparet; fieri certè nequit, quin quaſi manu ducamur ad agnoſcendam infinitam Dei ſapientiam & potentiam (quæ ad æternitatem ejus cogitandam nos deducit) bonitatem denique, qua ſola inductus eſt, tùm ad creationem, tùm ad conſervationem rerum omnium, Pſal. 145. 9. S. 6.

9. Denique, non minus evidenter gloria Dei eluceſcit, ex illis operibus, quæ præter ordinarium naturæ curſum eveniunt, præſertim in ejus erga pios beneficiis, & contra improbos ſeveritate: quando miſeris & afflictis præter ſpem rebus deſperatis ſuccurrit, impiorũ contra ferociam contundit ac humi proſternit, aliquorum etiam pravitatem benefaciendo frangit, omnia denique opportuna diſpenſatione temperat: adeo ut licet

impii ad tempus floreant, & pii multis calamitatibus jactentur, nunquam miſericordiæ & judiciorum Dei teſtimonia, tùm in præſens, tùm in futurum, deſiderari poſſint. Vide Pſalm. 107. & 113. S. 7. 8.

10. Vſus horum omnium eſt, ut, licet eſſentia Dei ſit incomprehenſibilis, & adoranda potius quam ſcrupuloſius diſquirenda, licet etiam opera Dei captum noſtrum ſuperent, tamen cum fulgore ſuos animos noſtros percellant, & in nobis ipſis vim ſuam exerant, Act. 17. 27. iiſdem ad Dei notitiam invitemur, non otioſam aliquam aut curioſam, quæ in cerebro volitet, ſed fructuoſam, quæ in corde radicem habet, efficaci ſenſu beneficiorum Dei afficit, ad laudem, obedientiam, cultumque Dei excitat, in ſpem quoque futuræ vitæ erigit, rebus adverſis & proſperis certum ſolatium præbet, denique ad veram plenamque fœlicitatem perducit. Etenim ex eo quod multa puniuntur, Deum odiſſe peccata, & certam eſſe divinam Providentiam intelligimus: quod autem multa maneant inulta, aliud judicium ſupereſſe credimus, quo punienda reſervantur. Etſi autem increduli hæc non expendunt, Pſal. 92. 7. piis tamen hæc rara videtur & ſingularis ſapientia, Pſal. 40. 13. & 107. 43. S. 9. 10.

11. Quamvis autem ſeipſum Deus in hoc operum ſuorum ſpeculo ſatis apertè repræſentet, is tamen eſt ſtupor hominum, ut ad perſpicua teſtimonia hebeſcant, ita ut tota hæc notitia ſine profectu effluat. S. 11.

12. Nam plerique in operum aſpectu deſident præterito Creatore: res autem extraordinarias temeritati fortunæ, non divinæ Providentiæ, deputant. Et qui aliquem divinitatis ſenſum percipiunt,

piunt, relicto vero Deo, ad prodigioſa commenta dilabuntur. S. 11.

13. Idque teſtantur, non privati tantum, ſed publici, nec plebeiorum ſed præſtantiſſimorum Philoſophorum errores inſaniſſimi, quorum vix unus aliquis repertus eſt, qui non ſibi idolum vel ſpectrum aliquod Dei loco fabricaverit. Cujus manifeſtum indicium eſt Polytheïa Ethnicorum, quam ſapientiores variis coloribus inducere conati ſunt: ſed meros eſſe fucos, tum Stoicorum argutiæ, tum myſtica Ægyptiorum Theologia clariſſimè oſtendit. S. 11. 12.

14. Et hujus rei cauſæ non ex voluntaria duntaxat hominum cæcitate, ſed, vel maxime, ex mentis vanitate & ad errores propenſione arceſſendæ ſunt. Ad quam poſtremum acceſſit Epicureorum audacia, ut in tanta opinionum diſſenſione maluerint brevi compendio Deum negare, quam incertos Deos colere, aut inanes lites ſerere. Quæ omnia horribilem mentis cæcitatem in Dei inveſtigatione plus ſatis demonſtrant. S. 12.

15. Nec excuſat, quod nihil minus ſibi propoſitum eſſe jactant, quam à Deo diſceſſionem facere. Neque enim quæritur, quid intendant, ſed quid reipſa faciant. Ideo Scriptura dicit gentes fuiſſe ſine Deo, evanuiſſe in ſuis cogitationibus, neſciviſſe quid colerent, in ſolo autem Dei populo & in Sion viguiſſe veram Dei cognitionem. Breviter quicquid divinitatis inter gentes celebrabatur, id omne mendacii, falſitatis & ἐθελοθρησκείας nomine damnatur. Epheſ. 2. 12. Rom. 1. 21. Iohan. 4. 22. Hab. 2. 18, 20. S. 13.

16. Atque in eundem ſcopulum inciderunt ſapientiſſimi alioquin Legiſlatores, qui Deos ritu patrio & pro urbis conſuetudine colendos eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

dixerunt. Quaſi mortalibus conceſſum ſit de Deo ejusque cultu ſua autoritate definire, aut in majorum placitis quisquam ſic acquieſcere poſſit, ut Deum absq; dubitatione accipiat ad alterius arbitrium, quẽ ipſe ſibi ſuo judicio poteſt eligere. S. 13.

17. Ex quibus hæc tria facilè colligimus, I. Quamvis tot accenſæ lampades in mundi opificio undique homines irradient, ſua tamen culpa incertos de Deo hærere, & confuſis principiis affixos incognitum Deum adorare, vias denique ſuas, hoc eſt, exitiales errores ſequi. Act. 14. 16, 17. & 17. 23, 27. S. 12. 14, 15. II. Nuda teſtificatione quæ Deo redditur à creaturis, nequaquam hominem ſufficienter erudiri: Ad hoc tamen eam inſervire, ut reddatur inexcuſabilis. Quam enim ignorantiam prætexet, quomodo aures, aut oculos ſibi defuiſſe obtendet, aut mentis imbecillitatem excuſabit, cum mutæ creaturæ ſine oculis & ſine ratione nos erudiant & rectam viam demonſtrent? Quia ergo vitium intra nos eſt, præciſa eſt omnis tergiverſatio. Rom. 1. 19. S. 14. 15. III. Supereſt ergo, quo verum Deum rectè cognoſcamus, ut ipſe ſuam voluntatem nobis cœlitus revelet, & oculos interiori luce per fidem illuminet. Hebr. 11. 3. S. 13. 14.

COROLL. *An Deus poßit vocari natura?*

Reſp. *Duram eſſe phraſin qua Deus confunditur cum ordine creato, cui propriè nomen naturæ competit.* S. 5.

DISPVTATIO III,
De Neceſſitate & Authoritate Scripturæ,
Ex lib. 1. cap. 6. 7. 8. 9.

1. DEus ſatis ſuperq; in creaturis ſeipſum patefecit omnibus hominibus ſine exceptione,

ita

ita ut eorum ingratitudo ſpoliata ſit omni patrocinio, totumque genus humanum involvatur eodem reatu. Sed quia Deus videbat hominum animos vagâ & inſtabili agitatione circumferri, aliud & melius adminiculum voluit accedere, quod hominem propius & certius ad mundi Creatorem duceret & dirigeret. cap. 6. S. 1.

2. Hoc lumen eſt Dei Verbum, quo homines tanquam cancellis circumſcribuntur, quoq; Deus ſe ſolum totius mundi opificem & rectorem diſtinctè proponit, & à commentitia Deorum turba diſcernit. Adhuc enim de illa notitiæ ſpecie loquimur, qua Deus ut creator, non autem quatenus Redemptor in perſona Chriſti agnoſcitur. De qua ſuo loco acturi ſumus. c. 6. S. 1.

3. Hac prærogativa dignatus eſt, quos voluit propius ad ſe colligere, & in ſui notitia retinere, potiſſimum autem populum Iſraëliticum & Chriſtianum. Hæc ita eſſe patet. I. Ex illa docendi ratione, qua Adamum, Noë, Abrahamum, reliquosque Patres per oracula & viſiones docuit. poſterisque per manus eandem doctrinam tradi curavit, inſculpta cordibus ipſorum firma hujus doctrinæ authoritate & certitudine. II. Ex publicis Scripturæ tabulis, quibus eadem oracula de mundi creatione & gubernatione conſignata eſſe voluit, ut veritas omnibus ſeculis ſuperſtes maneret. Atque hoc conſilio Lex per Moſen Iſraëli fuit promulgata, cui poſtea interpretes additi ſunt Prophetæ. III. Ex cauſis hujus ſcriptionis. Etenim quam neceſſaria fuerit hujus cœleſtis doctrinæ conſignatio, ſatis teſtantur, tùm lubricus humanæ mentis lapſus in oblivionem, tum magna in omne genus erroris proclivitas, tum denique effrenis ad confingendas identidem novas

& ficti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

& fictitias religiones libido. IV. Ex Scripturæ teſtimoniis, quod toties regnantem in Eccleſia Deum introducit Pſalmiſta, quo nomine ſublatis ſuperſtitionibus & erroribus, legitimum ſibi principatum per veram ſui agnitionem Deus aſſerit. Pſal. 93. 1, 5. Item 96. 6, 10. Item 97. 1, 8, 9. Item 99. 1, 2. &c. Quo etiam nos deducit ordo, quem Pſalmiſta ſervat, Pſaml. 19. 1, 8. & 29, 9. & 93. 5. ubi cognitioni divinæ, quæ ex creaturis exiſtit, non tantum conjungit, ſed etiam anteponit eam, quæ ex verbo Dei in Eccleſia oritur. Eodem pertinet collatio Iudæorum cum reliquis gentibus, quam Chriſtus Iohan. 4. inſtituit, quando reliquos omnes, exceptis Iudæis, affirmat neſcire quid adorent, quia, dum Deum ſine Verbo quærunt, non potuerint non hærere in vanitate & graviſſimo errore. c. 6. S. 1. 2. 3. 4.

4. Magnum proinde hoc Dei beneficium eſt, quod prẹter effigiem ſuam in pulcherrima mundi facie impreſſam, quam parum efficacem eſſe providerat, ſubſidium Verbi adhibuerit, quo Dei opera, non ex judicii humani pravitate, ſed ex æternæ veritatis regulâ æſtimarentur, eorundemque notitia nec oblivione deperiret, nec errore evaneſceret, nec audacia hominum corrumperetur. Concludimus ergò, tùm demùm nos rectæ ſanæque doctrinæ guſtum percipere, quando ut probi Scripturæ diſcipuli reverenter amplectimur, quod de ſe illic Deus teſtari voluit. c. 6. S. 3.

5. De neceſſitate Scripturẹ diximus. Sequitur de ejuſdem Authoritate, quẹ tum plena Scripturẹ tribuitur, quando credimus eam à Deo prodiiſſe, cui loquenti fidem derogare nemo auſit. Eſt autẽ nobis cognoſcenda, partim ut animi præparentur ad Scripturẹ reverentiam, partim ut omnis dubitatio eximatur. c. 7. S. 1.

6. Cæ-

6. Cæterum quæritur, unde hæc authoritas dependeat. Et Pontificii quidem ab Eccleſiæ determinatione eam ſuſpendunt, ut tantum certitudinis & reverentiæ apud nos obtineat, quantum illi Eccleſiæ ſuffragio conceditur. c. 7. S. 1.

7. Quem pernitioſiſſimum eſſe errorem his argumentis oſtendimus. I. Quia æterna & infallibilis Dei veritas non poteſt niti arbitrio hominum. II. Quia conſcientiæ relinquuntur incertæ & trepidæ, ſine ulla ſolida vitæ æternæ ſecuritate, ſi promiſſiones iſtæ ſolo hominum judicio fulciuntur. III. Sannis impiorum & variis ſuſpicionibus fides noſtra ſubjicitur, ſi Scriptura hominum beneficio precariam obtinet authoritatem. IV. Ipſa Eccleſia Prophetarum & Apoſtolorum fundamento nititur, Epheſ. 2.20. Ergo Apoſtolicæ & Propheticæ doctrinæ ſua conſtat certitudo, antequam Eccleſia, præſertim Chriſtiana, extare incipiat. V. Summa Scripturæ probatio paſſim à Dei loquentis perſona ſumitur. Hinc Prophetę & Apoſtoli ad fidem conciliandam non rationibus pugnant, ſed ſacrum duntaxat Dei nomen proferunt. c. 7. S. 1. 2. 4.

8. Quæ contra objici ſolent facillimè refutantur. Nam primum rogant, unde certi ſimus hæc à Deo ſcripta prodiiſſe, intacta & ſalva ad nos perveniſſe, hunc librum eſſe recipiendum, alterum repudiandum: Vnde concludunt tum reverentiam Scripturis debitam, tum etiam Canonem non poſſe nobis innoteſcere aut perſuaderi, niſi ex decreto Eccleſiæ. c. 7. S. 1.2.

9. At I. Iſta ſine ludibrio Spiritus Sancti dici non poſſunt. II. Sub prætextu Eccleſiæ effrenatam invehunt tyrannidem. III. Supponunt falſum, quaſi non alia & certiora ſint Scripturæ teſti-

monia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

monia, quam quæ ab hominibus peti neceſſe ſit. Scriptura enim ſenſum ſuæ veritatis non minus evidenter, quam color, aut ſapor, aut lux ſui ipſius indicium, præ ſeſe fert. c. 7. S. 1. 2.

10. Quod cavillantur, licet à doctrina ortum ſuum habeat Eccleſia, tamen ſine judicio Eccleſiæ dubium manere, qui libri Prophetis & Apoſtolis ſint aſcribendi; parum eos juvat. Nam 1. vis argumenti noſtri non infringitur, nempe, cum Eccleſia Chriſtiana Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis & prædicatione fundata ſit, neceſſario doctrinæ approbationem certam fuiſſe, antequam Eccleſia extaret. 11. Non eſt idem Eccleſiam accipere Scripturam & ſuo teſtimonio obſignare, atque ex dubia vel controverſa authenticam reddere. Prius Eccleſiæ concedimus, poſterius negamus. c. 7. S. 2.

11. Auguſtini porro dictum, ſe Euangelio non crediturum, niſi Eccleſiæ moveret authoritas, perperam & calumnioſè prætenditur. Etenim 1. loquitur de ſe nondum converſo, cum adhuc eſſet Manichæus & à fide alienus; quo caſu conſenſum & authoritatem Eccleſiæ commodum fuiſſe ingrediendi & credendi exordium libenter fatemur. 11. Rectè conſenſum totius Eccleſiæ Chriſtianæ, tot ſeculis & per tam certas ſucceſſiones ſtabilitum, incertæ & vanæ Manichæorum jactantiæ opponit: quem conſenſum nos ultro admittimus magnique facimus, ſed à definitione & decreto Eccleſiæ diſtinguendum eſſe dicimus. 111. Nec tamen in hac ratione ſubſiſtit Auguſtinus, nec in hominibus acquieſcit, ſed ex Eccleſiæ judicio credendi facilitatem commendans, ad Deum revocat, qui intus mentem firmat & illuminat. c. 7. S: 3.

12. Concludimus itaque Sacræ Scripturæ certitudinem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

titudinem & authoritatem non niti, niſi ſolius Dei teſtimonio. Sed cum fallaciter obtendi poſſit Dei nomen, & verò conſcientiis bene conſultum eſſe oporteat, ne vacillent aut in re tanti momenti hæſitent, quærendum porro eſt, quomodo hujus rei fides & certa perſuaſio fidelium animis infigatur. c. 7. S. 4.

13. Qui manifeſta ſigna loquentis Dei in Scriptura proferunt, (de quibus poſt agemus) ſatis probant eſſe divinam, & ab hominum maledictis facilè aſſerunt: diſputando tamen, quod quærunt, non aſſequuntur, ut animi plenè de Scriptura certi reddantur. c. 7. S. 4.

14. Primas ergo hîc tenet arcanum Spiritus Sancti teſtimonium, quo intus docente & obſignante ſolidam demum ſermo Dei fidem invenit in hominũ cordibus. Quod ſic probamus. I. Quia religionis verus & ſerius affectus, non qualis eſt hominum ignarorum aut ſuperſtitioſorum, ſed certa hujus rei noticia, perſuaſio, & ſenſus, non poteſt abſolutè niti conjecturis & opinione, non humanis rationibus, non noſtro vel aliorum judicio, ſed certius aliquod judicium ſupra humanum eſt conſtituendum, cui judicium ingeniumque noſtrum ſubjiciamus. Talis autem ſenſus naſci nequit, niſi ex cæleſti revelatione, in qua ſecurè & conſtanter mens quieſcit. II. Quia ſolus Deus idoneus ſermonis ſui teſtis eſt, idemque Spiritus, cujus afflatu Prophetæ & Apoſtoli loquuti ſunt, omnium optimè cordibus noſtris perſuadet hoc Verbum à Deo eſſe profectum. III. Hac de cauſa Spiritus cum Verbo Dei aptiſſimè conjungitur, Eſa. 59. 21. quia ſine Spiritus Sancti interna operatione fidem hanc aſſequi certò non poſſumus. IV. Ideo idem Spiritus arrhæ & ſigilli

nomine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nomine inſignitur, quia donec ipſe mentes illuminet, neceſſe eſt fidem inter multas hæſitationes dubiam fluctuare. & Eſa. 43. 10. Deus Prophetas & ſervum ſuum atque populum teſtes ſuos eſſe aſſerit, quatenus non rationibus, ſed vaticiniis edocti, firmiter credebant Deum loquutum eſſe: quales teſtes inter Gentiles nulli reperiebantur. v. Idem probat experientia fidelium, qui in hoc Spiritus S. teſtimonio conſtantius acquieſcunt, quam in ullis argumentationibus. VI. Nec aliud fidei ratio poſtulat, cujus eſt Scripturam recipere, ſed poſtquam Spiritus S. eam cordibus obſignavit. Vnde enim vim numinis in ſacris literis vigere ſentimus, & ad parendum trahimur, niſi quia vividius & efficacius, quam pro humana voluntate aut ſcientia, Spiritus Sanctus in credentibus operatur? VII. Ideo denique, cum hic intelligentiæ theſaurus ſit electorum ſingulare privilegium, nempe eorum qui à Deo docentur, Eſa. 54. 13. in quorum ore eſt ſermo Dei, Deut. 30. 10. quibus Dei brachium revelatur, Eſa. 53. 1. quibus datur noſſe myſteria regni cœlorum, Matth. 13. 11. ſequitur non niſi ex cœleſti revelatione firmam hanc perſuaſionem exiſtere. c. 7. S. 4, 5.

15. Ergo Scripturæ authoritas per Spiritus S. teſtimonium intus docetur & obſignatur. Et hæc certitudo quovis humano judicio ſuperior eſt & validior. Ad illam tamen certitudinem, quam Spiritus Sanctus animis noſtris firmiſſimè imprimit, accedunt alia porrò adminicula, quæ partim ipſa Scriptura ſuppeditat, partim à conſenſu Eccleſiæ peti poſſunt. c. 8. S. 1.

16. In illis facilè primum locum obtinent 1. Rerum, quæ in Scripturis tractantur, cæleſtis veritas, humanum modum excedens, nihilque terrenum redo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

redolens, & ſola ſibi ad ſe tuendam ſufficiens. II. Pulcherrima partium omnium diſpoſitio, & inter ſe conſenſio. III. Divina ſimplicitas, tùm in verbis, tùm in modo tractandi. Non quod ſua careat eloquentia, ſed quia tum etiam quando aſperior ſermo ruſticitatem ſapit, ubique tamen conſpicua maneat Spiritus Majeſtas, omni humana eloquentia ſuperior. IV. Potentia & efficacia Scripturæ ad afficiendum animos, qualis nulla in humanis ſcriptis artificioſiſſime expolitis reperitur. V. Antiquitas Scripturæ, quævis alia religionis monumenta longiſſima temporum ſerie antecedens: uti patet ex libris Moſis, rebusque quæ ibidem tractantur, non nuper confictis, aut nunquam auditis, ſed quarum notitia conſtans & firma ſemper fuit in Eccleſia. VI. Legis celebritas & authoritas apud omnes pœne gentes ab ultimis uſque ſæculis decantata. VII. Vindicatio Moſis ab omni ſuſpicione & calumnia idque ex his ſignis, 1. Quod ſibi ſuisque aſpergit infamiam in perſona Levi, Geneſ. 45. 5, 6. 2. Quod ſororis & fratris peccata divulgat, Numer. 12. 1. 3. Quod non ſibi ſed fratri ejusque poſteris jus ſummi Sacerdotii relinquit. Vnde patet non ex ſenſu carnis, ſed imperio Spiritus S. hæc ipſum protuliſſe. VIII. Innumera & admiranda miracula Moſis, totidem legis ab ipſo latæ ſanctiones, Exod. 24. 18. & 34. 29. & 40. 34. Num. 16. 24. 10. 20. Quæ in dubium vocari nequeunt, cum recitentur apud oculatos teſtes, & quidem eo tempore, quo populum odiosè exagitat: nec etiam Magicis artibus attribui, cum tam ſeveras leges in Magos tulerit, ſoli Deo gloriam omnem tribuerit, & ejus generis ſint miracula, quæ per nullam Magiam effici potuerint, quæque apud furioſum

populum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

populum nihil valuiſſent, ſi meræ tantum fuiſſent præſtigiæ. IX. Vaticinia de maximis rebus multis ante ſæculis prædicta, longo tandem poſt temporis eventu comprobata. Qualia ſunt: Regnum erigendum in tribu Iuda; Vocatio Gentium; Excidium urbis Ieroſolymæ; Exilium Babylonicum; Reditus populi procurandus opera Cyri; Definitum tempus captivitatis, & quæ ſimiles prędictiones apud Prophetas, præſertim Danielem, repeřiuntur: Quæ omnia non niſi divino afflatu præſciri & prædici potuiſſe res ipſa clamat. X. Conſervatio Legis & Scriptorum Veteris Teſtamenti, etiam in mediis hoſtium furoribus, & linguæ Hebrææ mutatione, & populi ruina: eorundemque ad Chriſtianos per ipſos Iudæos, infenſiſſimos Chriſti hoſtes, intemerata tranſmiſſio. Itaque putida eſt cavillatio quærere, an fuerit Moſes aliquis, & an hos libros ſcripſerit, quaſi velis quærere, an Ariſtoteles aliquis fuerit vel Cicero, quod omnia retro ſæcula pleniſſimè affirmant. cap. 8, S. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

17. Objiciunt, ſub Ioſia & Antiocho libros hos fuiſſe deperditos, 2 Chron. 34. 15. 1 Mach. 1. 59. R. Vtrumque falſum eſt. Nam 1. Tempore Ioſiæ dicitur Liber Legis inventus in templo, ubi ab omni ævo conſervabatur. Sacerdotum vero & populi taxatur negligentia, qua factum eſt, ut ſolenni more publicari, aut à populo legi deſierit. Alioquin, quam authoritatem tam ſubito habuiſſet, ſi non nota & celebris ejus fuiſſet memoria, de manu in manum ad poſteros tradita? II. De Antiocho fatemur, omnes concremaſſe, quos invenit. Sed piorum Sacerdotum aliorumque conſtantia plurimi fuerunt conſervati & ſtatim ſine controverſia agniti, majorique dignatione ad poſteros

trans-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

transmiſſi, poſtquam facta Græca interpretatione per totum orbem vulgati fuerunt. Denique nemo unquam auſus fuit objicere Iudæis falſam librorum ſuppoſitionem. c. 8. S. 9. 10.

18. Sicut Veteris ita & Novi Teſtamenti Divinitas firmiſſimis conſtat argumentis. I. Quod ſimplici dicendi genere cœleſtia myſteria ſupra humanum captum pertractat. II. Ipſæ conciones Chriſti, breviter ab Euangeliſtis conſcriptæ, facilè à contemptu Euangelia vendicant. III. Summa Majeſtas, quæ elucet in ſcriptis Iohannis, Petri, & Pauli, pervicaces facilè convincit. IV. Cum ſcriptores horum librorum partim craſſi idiotæ fuerint, & contemptibiles in ipſa plebe, partim ex profeſſo hoſtes ſanguinarii, ſui tam admirabili mutatione & vocatione ſatis comprobant, non humanitus, ſed à Spiritu S. edoctos, de tam cœleſtibus rebus tam magnificè diſſeruiſſe. c. 8. S. 11.

19. Accedit tandem Eccleſiæ conſenſus, cujus argumenta ſunt valdè illuſtria. I. Quod tot ſæculorum, & tam variarum gentium voluntates in Scripturæ obedientiam conſenſerint. II. Quod Eccleſia tam conſtanter & invictè Scripturam conſervaverit, & tutata ſit adverſus omnes tùm Sophiſtarum, tum Tyrannorum conatus. III. Pietas eruditiſſimorum hominum, qui velut lumina fulſerunt in mundo, & cum longiſſimè diſſiti eſſent, unanimi tamen & pia profeſſione divinitatem ſacrarum literarum agnoverunt. IV. Martyria Sanctorum, qui tam alacriter, intrepidè, firmo & tamen prudenti zelo huic doctrinæ teſtimonium ſuo ſanguine reddiderunt. In quibus omnibus manifeſtum eſt divini numinis & præſidii documentum. S. 12. 13.

20. Denique, cum aliæ non paucæ, nec invalidæ

lidæ rationes ſuperſint, quibus Scripturæ Majeſtas aſſeri & adverſus calumnias vindicari poſſit, ea tamen ſufficiunt, quæ hactenus allata ſunt, ſi modò, velut ſecundaria noſtræ imbecillitatis adminicula, præcipuam illam Spiritus Sancti perſuaſionem internam ſubſequantur, & quidem in piis & fidelibus. Ineptè enim hoc probare quis conetur infidelibus, quod non niſi fide cognoſci poteſt. c. 8. S. 13.

21. Etſi verò Scripturæ certitudo Spiritus Sancti interna perſuaſione fundata ſit, minimè tamen inde conſequens eſt, propter Spiritus magiſterium, Scripturam ejusque lectionem eſſe reſpuendam. Quod his rationibus evincimus. I. Spiritus quem prætexunt, aut eſt idem cum Spiritu Apoſtolorum, omniumque fidelium, aut eſt diverſus. Si eſt idem, non poſſunt contemnere Scripturam, quam Apoſtoli ex Spiritu Chriſti ediderunt, & fideles per eundem Spiritum in maximo honore habuerunt. Si eſt diverſus, tùm non eſt Spiritus Chriſti. II. Deus prædicens fœlicitatem Eccleſiæ Novi Teſtamenti, conjungit Spiritum ſuum cum Verbo, Eſa. 59. 21. Et Paulus vetans exſtinguere Spiritum, addit non eſſe ſpernendas Prophetias, 1 Theſſal. 5. 19, 20. Sunt ergo Verbum & Spiritus res mutuo quodam nexu conjunctæ, ut tùm demum ſolida Verbi religio animis noſtris inſideat, cum affulget Spiritus, & viciſſim absque hallucinatione Spiritum amplexemur, quando illum in imagine ſua recognoſcimus. Proinde Verbum à Spiritu Sancto ex Dei inſtitutione ſeparari non debet. III. Paulus ipſe profecit indies in doctrina Veteris Teſtamenti, eamque paſſim commendat. Et jubet Timotheum, quamvis Euangeliſtam, attendere lectioni, 1 Timoth. 4. 13. Ergo

falſum

falſum eſt, Spiritus Sancti donum inutilem nobis facere Scripturam. IV. Quartum argumentum ſumitur ab elogiis Scipturæ, 2 Tim. 3. 15, 16. Si enim reddit hominem ſapientem, eundemque perficit, & ad metam perducit, abſurdum eſt temporalem uſum Scripturæ ſomniare. V. Ab officio Spiritus S. quem Chriſtus promittit, Ioh. 14. 26. Nam debet ſuggerere ea quæ Chriſtus docuerat, non autem per novas & inauditas revelationes à ſcripta Euangelii luce abducere. VI. Petrus laudat eorum ſtudium, qui attenti ſunt ad Propheticam doctrinam, etiam poſt exortam Euangelii lucem, 2 Pet. 1. 19. Ergo non eſt elementaris doctrina. VII. Ab effectu noxio. Nihil enim facilius, quam ut Satan in Angelum lucis ſe transfiguret. Eſt igitur opus hac Scripturæ nota, qua Spiritus Sanctus à malis Spiritibus diſcerni poſſit. Qui aliam viam ineunt, à ſeipſis Spiritum quærunt, non à Deo, & in exitium ſponte ruunt. VIII. Chriſtus Diſcipulorum mentem aperuit, ut Scripturas intelligerent, non ut abjectis Scripturis per ſe ſaperent. IX. Deus non dedit Verbum ſuum, quod Spiritus adventu ſtatim voluerit ceſſare & aboleri; ſed potius ut per Verbum illud Spiritus Sanctus opus ſuum efficaciter in cordibus noſtris confirmaret & abſolveret. c. 9. S. 1. 2. 3.

22. Vnde patet nullam fieri Spiritui Sancto injuriam, nec in ordinem cogi, quando ex Scriptura tanquam ex ſui imagine dignoſcitur, ſibique per omnia conſtare, nuſquam & nunquam varius aut diſſimilis, agnoſcitur; præſertim cum hac ratione ſuam apud nos Majeſtatē ſanciri voluerit. c. 9. S. 2.

23. Quod verò Paulus literæ occidentis meminit, 2 Corinth. 3. 6. perperam ad totam Scripturam refertur: cum iſtic adverſus Pſeudo-Apoſtolos

ſtolos agat de Lege & Miniſterio Moſis, ac quidem quatenus Lex, citra Chriſtum conſiderata, ab ejus gratia divellitur. Alioquin Lex in ſe eſt Lex vitæ, Pſalm. 19. 8. Nec alio ſenſu Paulus aſſerit prædicationem ſuam eſſe miniſterium Spiritus, niſi quatenus vim ſuam exerit, ubi ſua conſtat Verbo reverentia, 2 Cor. 3. 8. cap. 9. S. 3.

24. Objici poſſet nos ſupra demonſtraſſe, Verbum ipſum non valde certum nobis eſſe, niſi Spiritus teſtimonio confirmetur. R. Dominum Verbi Spiritusque ſui certitudinem ita inter ſe copulaſſe, ut ad ſolidam Verbi religionem affulgere debeat Spiritus, & ne in Spiritu hallucinemur, eum in Verbo ſuo agnoſcere poſſimus. Hinc non eſt conſequens, ut quidquid animo conceperimus, pro Dei verbo arripere liceat. c. 9. S. 3.

25. Concludimus ergo eſſe fanaticum errorem, ad inanes ſpeculationes confugere; Spiritum non à Deo, ſed à ſe, quærere; & Verbum contemnere, aut non magni facere, quod ipſum Deus voluit eſſe organum ſalutare, quo Spiritus ſui illuminationem fidelibus per omnes ætates diſpenſat. c. 9. S. 1. 3.

DISPVTATIO IV,

De Idololatria & cultu Imaginum.

Ex lib. 1. *cap.* 10. 11. *&* 12.

1. HActenus quæ ſit notitia Dei, tum quod ſit, denique ex quibus principiis illud certo cognoſcamus, luculenter demonſtratum fuit: Porrò diſpiciendum, quid de Deo Scriptura teſtetur, ut quis, & qualis ille erga nos ſit, plenius innoteſcat; ſic tamen, ut in creatione & providentia potiſſimum ſubſiſtere nobis propoſitum ſit.

Nam,

Nam, quatenus in redemtione agnoſci debeat, poſtmodum videbimus. c. 10. S. 1.

2. Principio illud tenendum eſt, non alium Deum nobis in Scriptura manifeſtari, quam in creaturis delineari dictum eſt. Atque huc pertinent dilucidæ deſcriptiones, quibus veluti germanam ſuam faciem nobis viſendam exhibet. Quales ſunt Exod. 34.6. Pſal. 145. Ier. 9.44. c. 10. S. 1.2.

3. In quibus Iehova dicitur propter æternitatem, & αὐτουσίαν: Elohim ob potentiam & virtutem: In reliquis attributis, vel Dei bonitas, vel juſta ſeveritas, & in utraque veritas atque ſanctitas exprimitur: non alio ſcopo, quam ut hac quoque notitia, ex Scripturis petita, ad ejus timorem & fiduciam homines invitentur. c. 10. S. 2.

4. Quoties verò Scriptura nos ad verum Deum propius dirigit, ſolet primum excludere omnes Deos Gentium, quos, præter genuinum naturæ & conſcientiæ ſenſum, ex mera ingenii vanitate homines comminiſcuntur. Etſi enim nonnunquam ſic loquuntur, ac ſi uno Deo contenti eſſent, ut appareat unitatem Dei fuiſſe omnium cordibus inſculptam, ſtatim tamen ita turpiter, etiam ſapientiſſimi, evaneſcunt, ut illud ipſum non ultra valeat, niſi ut ſint inexcuſabiles. Ideo ad unum & ſolum Deum revocamur, qui ſe verbo ſuo patefecit, tanquam ſolus de ſe idoneus teſtis, quique non alibi, quam in templo ſuo, quæri voluit. Hab. 2. 20. c. 10. S. 3.

5. Sed quia porro homines bruto ſtupore, viſibiles Dei figuras appetunt, & circa ſimulachra inſaniunt, ideo ſeipſum paſſim idolis & ſimulachris opponit, ut hac ratione in nihilum redigat, quicquid divinitatis humana opinione fabricatur. c. 11. S. 1.

6. Hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

6. Huc facit primò manifeſta prohibitio, ſecundo decalogi præcepto expreſſa, de non faciendis ullis ſimulachris, picturis, aliisve ſignis, quibus ſuperſtitioſi Deum ſibi, eſſe propinquum ſomniant, cujuscunq; generis tandem illa ſint: quia Deus absque exceptione omnia repudiat. Ideo omnes formas breviter enumerat, quibus olim ſuperſtitio, vel Perſarum in adorando ſole, vel aliarum gentium in cultu aſtrorum, vel Ægyptiorum ſub figura animalium, vel Græcorum ſub forma humana, veritatem in mendacium convertit. Exod. 20. 4. Proinde ſtulta eſt Græcæ Eccleſiæ cautio, quæ dum ſculptilia vitare vult, circa picturas majori cum licentia laſcivit. II. Accedit prohibitionis ratio, Deut. 4. 15. Quia vocem Dei audiverant quidem, faciem vero non viderant Iſraëlitæ, proinde nullam Deo congruam ſimilitudinem confingi poſſe. III. Nihil poteſt cogitari aut fieri abſurdius & divina Majeſtate indignius, quam infinitam, incorpoream, inviſibilem & Divinam eſſentiam, in materia mortua & corruptibili effingere, aut exigui ligni vel auri fruſtulo aſſimilare. Quod ſolidè demonſtratur, Eſai. 40. 18. & 41. 7. 29. & 46. 5. Item Act. 17. 29. IV. Eodem tendit quod ex materia, unde ſimulachra fiunt, Prophetæ colligunt, non eſſe Deos, quorum effigies eſt aurea vel argentea, quicquid etiam reverentiæ ſplendor aut pretium videatur conciliare. Pſal. 115. 4. & 135. 15. V. Nec minus vecordes eſſe, qui cum ex eodem ligno ſe calefacerent, & furnum accenderent, ex quo Deum fabricaverant, vario habitu & mixto ſextu confictum, tamen coram eo ſupplices ad precandum ſe proſternerent, Eſ. 44. 14, 15. &c. Quam inſaniam ipſi Ethnici partim deplorarunt, partim deri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

deriſerunt. VI. Illud verò planè furioſum eſſe, auxilium implorare à rebus mortuis ſenſuque carentibus, cum ignorare nequeant Deum habitare in cœlis, ejusque virtute efficaci cuncta moveri, Pſal. 115. 3. Act. 17. 24, 28. VII. Nec omittendum, quod Scriptura vocet idola opera manuum hominú, ita ut non niſi ex terreni & mortalis creaturæ arbitrio Deitas precariam originem trahat, Eſa. 2. 7. Qua in parte nimis veſana hominum temeritas ſeſe prodit, quod cum ſint miſeri mortales, qui ſingulis momentis Spiritum trahunt, pro Deo haberi volunt, quod ſuo artificio confecerunt. c. 11. S. 1. 2. 4.

7. Ex quibus omnibus rectè colligimus, ſive materiam, ſive formam, ſive cauſam efficientem & finalem imaginum reſpicias, omnes eos à vero Deo deſciſcere quicunque viſibiles ejus formas appetunt, adeoque dignos eſſe, qui idola fabricant, iisque fidunt, ut iiſdem ſimiles fiant. Pſal. 115. 8. cap. 11. S. 4.

8. Quæ contra excipi aut opponi ſolent, futilia planè ſunt & inepta. Primò aſſerunt: Iudæis tantum vetitas fuiſſe imagines. Atqui Paulus Act. 17. Non Iudæos ſed Athenienſes refellit. Deinde quæ ab æterna & infinita Dei eſſentia, itidemq; à communi conditione imaginum depromuntur argumenta, omnes omnino Gentes obligant. Qua de re, vide Eſaiam cap. 40. & 44. & 46. c. 11. S. 2.

9. Secundo prætexunt: non idolum, ſed Deum in Idolo coli, nec imagines pro Diis reputari. At vero inter hæc nihil, aut parum intereſt, cum certum ſit, Deum nolle ſuperſtitiosè vel in imagine coli. Et quanquam non exiſtiment ipſas imagines Deos eſſe, tamen ſtatim ac idolum venerantur, & virtutem illi divinam alligant, divinos honores

idolo exhibent, tantumque Deo eripiunt, quantum in idola conferunt. Itaque I. Negamus conſequentiam, quia hoc prętextu crimen idololatrię non effugiunt. Nam parum intereſt idolumne ſimpliciter colant, an Deum in idolo, quia Deus in idolo coli non vult: & cum idolo qualicunque colore divini honores exhibentur, Deo eripitur, quidquid alio transfertur. Deinde ſi quicquam prætextus hic valeret, tum Iſraëlitæ & Ethnici juſtè poſſent excuſari, quorum illi nunquam adeò inſaniverunt, ut vitulos putarent eſſe illum æternumDeum, cujus potentiam toties conſpexerant: Hi verò, cum arguerentur, vulgo regerebant, ſe non colere hoc viſibile, ſed numen quod illic inviſibiliter habitat: alii etiam negabant ſe ſimulachra vel dæmonia colere, ſed per effigiem corpoream intueri ejus rei ſignum, quam colere debeant. Cujus rei vel hoc argumentum evidentiſſimum, quod cum idola indies mutarent, eoſdem tamen Deos ſe colere profiterentur, cumq; unius Dei multa haberent ſimulachra, & nova identidem quotidie conſecrarent, nunquam tamen crediderunt ſe novos Deos facere. II. Negamus Antecedens. Quiſquis enim geniculationes & preces converſas ad Sanctorum imagines, itemque viſitationes ſimulachrorum, votivasque peregrinationes, quibus tanto cum periculo unum ejusdemque Dei ſimulachrum præ altero ſolemnius honorant, & quæ ſunt alia conſimilia, penitius attenderit, præſertim quatenus à vulgo fiunt, facilè, quam impudenter mentiantur, animadvertet. c. II. S. 9. 10.

10. Denique nil juvat eos, qua elabi conantur, δουλείας & λατρείας diſtinctio, quarum hanc ſoli Deo, illam Sanctis, ſine Dei injuria tribui

poſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

poſſe docent. Nam I. Quoties τὸ δουλεύειν & λατρεύειν ad religioſum cultum in Scriptura refertur, pro eodem promiſcuè ſumi ſolet. II. Cum δουλεύειν plus ſit quam λατρεύειν, ſanctis quod majus eſt daretur: Deo, quod minus eſt, relinqueretur. III. Abſurdè dicunt, ſe non colere imagines, pro quarum cultu tamen digladiantur. IV. Non de voce ſed de re contendimus. Eſt autem palam, cultum, quem Papiſtæ Sanctis deferunt, nihil differre, quo ad externos geſtus, à Dei cultu. V. Quando Apoſtolus Paulus Galatas accuſat, quod ſervierint iis, qui natura non ſunt Dii, Galat. 4. 8. nihil minus voluit, quam ut eos voce δουλείας excuſatos haberet. VI. Cum Chriſtus Satanæ προσκύνησιν denegat, non tum veniebat in quæſtionem λατρεία: & tamen impudentem ejus poſtulationem, adorationis divinæ argumento refutat. VII. Iohannes reprehenſus ab Angelo, Apocal. 19. 10, & 22. 8. 9. Itemque Cornelius à Petro, Act. 10. 25. ſummum cultum ſoli Deo debitum, aliò transferre noluerunt: nihilominus cohibentur, quia nunquam tam articulatè homines inter Dei & creaturarum cultum diſcernunt, ut non promiſcuè ad creaturam transferant, quod eſt Dei proprium. Deinde, quia ne minima quidem particula cultus religioſi creaturis deferri poteſt, quin ex Dei gloria aliquid detrahatur. VIII. Haberent denique Gentiles quod ſalva hac diſtinctione prætexerent: Cum enim principium illud plerique firmiter retinerent, colendum eſſe ſummum numen, Geniis tamen, diisque minoribus, aut heroibus mortuis, ſacrificia promiſcuè offerebant. Concludimus ergò, non ſatis eſſe, ſupremum locum Deo concedere, & poſt ei turbam minorum Deorum conjungere,

inter quos propria Dei officia diſtribuantur: quod ſuperſtitiosè & olim Ethnici fecerunt, & hodie Papiſtæ faciunt. cap. 11. Sect. 11. & cap. 12. Sect. 2. 3.

11. Cæterum objiciunt, primò Deum numinis ſui præſentiam certis aliquando ſignis exhibuiſſe; Spiritum Sanctum ſub ſpecie columbæ, Deum ſub figura hominis apparuiſſe. Reſpondemus quod Deus ejuſmodi ſignis uſus ſit, 1. quæ ad docendi rationem aptè quadrabant. 2. Quæ homines ſimul de incomprehenſibili eſſentia Dei monebant, ne idem auderent imitari. 3. Quæ pleraque ſtatim & momento evanuerunt, ut inviſibilem Deum crederent, & ſola Dei virtute contenti eſſent. 4. Multæ apparitiones præludium fuerunt futuræ incarnationis Filii Dei, quo tamen prætextu nunquam licuit Iudæis ſignum Deitatis erigere ſub humana figura. c. 11. S. 3.

12. Secundo urgent imagines Cherubim & Seraphim poſitas ſuper arcam propitiationis, quaſi hoc exemplo idem liceat in effingendis Dei Sanctorumque ſimulachris. At verò quam hæc ſunt diſſimilia? Nam 1. Cherubim non erant effigies Dei vel Sanctorum. 2. Non eo fine in loco ſancto habebantur, ut coli deberent, ſed ut tegerent tabernaculum, & oculos hominum à conſpectu propitiatorii arcerent. 3. Pertinebant ad legis pædagogiam. Ergò abſurdè in exemplum trahuntur, quod noſtræ ætati ſervire debeat. c. 11. S. 3.

13. Tertiò ſolent ex Gregorio imagines facere libros idiotarum: Sed 1. Hoc ex Scriptura non probant. Quæ contra, lignum doctrinam vanitatis, conflatile doctorem mendacii pronunciat, Ierem. 10. 3. Habac. 2. 18. Ita ut fallax & adulterina ſit omnis inſtitutio vel cognitio, quæ à ſimula-

chris

chris petitur. II. Idem patet ex teſtimoniis, Euſebii, Auguſtini, Concilii Elibertini & Varronis, quorum ſunt hæc axiomata. *Mortales fuiſſe, quorum ſimulachra viſuntur. Quod colitur & adoratur non eſſe pingendum in parietibus. Qui primi ſimulachra induxerunt, tum errores auxerunt, tum metum Dei dempſerunt.* Neque enim poteſt non contemni numen, quod in ſimulachrorum ſtultitia inepto figmento colitur. III. Cum imagines Pontificiæ perditiſſimi luxus & obſcœnitatis exemplaria ſint, non poſſunt dici ſanctitatis aut veritatis libri. IV. Malè eos rudes & idiotas vocant, imaginibus edocendos, quos Chriſtus cœleſtis regni ſui myſteriis voluit erudiri. V. Non opus eſt fidelibus, tali per imagines docendi ratione, cum Chriſtus ſufficienter ipſis providerit verbi ſui prędicatione, & Sacramentorum adminiſtratione, à quibus perversè animi hominum abducuntur ad idola. c. 11. S. 5. 6. 7.

14. Manet ergò illud ratum & firmum, quod etiam Prophetæ Iudæis & Gentilibus olim exprobrarunt, idololatriæ & fornicationis cum ligno & lapide reos eſſe, quotquot Deum in ſimulachris corporeis carnaliter venerantur. c. 11. S. 10.

15. Sequitur ut de imaginum origine, uſu & abuſu, veroque Dei cultu nonnihil diſſeramus. Primum autem non immerito quæritur, unde imagines & idola originem ſuam traxerint. Nec omnino vanum eſt, quod publico ferè conſenſu eſt receptum, imagines ad defunctorum memoriam in honore habitas fuiſſe, qui honor poſtmodum, partim affectu & reverentia erga defunctos, partim ambitione opificum ac ſtultitia populi, in ſuperſtitionem abiit. c. 11. S. 8.

16. Verum non fuit ille primus fons hujus mali,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſed fax potius & augmentum furoris idololatrici. Patet enim jam olim idola fuiſſe in uſu, prius quam iſta in mortuorum imaginibus ambitio invaluiſſet. Nam Rachel idola patris ſui Laban furata legitur, Gen. 31. 19. Et antè hoc tempus parentes Abrahami ut falſorum Deorum cultores deſcribuntur, Ioſ. 24. 2. Antiqua ergò & ab ipſo penè diluvio communis fuit hæc corruptela, qua homines ſibi pro libidine Deos effingunt. c. 11. S. 8.

17. Cauſæ vero non ſunt obſcuræ. In quibus locum primum tenet diffidentia, quod homines non credunt ſibi adeſſe Deum, niſi carnaliter ſe præſentem exhibeat. Cujus exemplum habemus in Iſraëlitis, Exod. 32. 1. Idemque probat quotidiana experientia, tantiſper inquietos eſſe homines, donec ſignis carnalibus inaniter ſe ſolantur. cap. 11. Sect. 8.

18. Diffidentiam porro ſequitur ſuperbia & temeritas, quæ Deum pro captu ſuo imaginatur. Hujus comes eſt hebetudo & craſſa ignorantia, ut pro Deo inane ſpectrum concipiat. Ad hæc mála accedit improbitas, ut quem Deum mente intus concepit, manu & opere exprimere tentet. Erectionem verò imaginum ſequitur protinus adoratio & cultus, quem Deo in ſimulachris tribuunt idololatræ. Tandem quaſi divinitatis aliquid ineſſet, iis toti animo atq; oculis affixi hærent. Hæc vera eſt idololatriæ origo atque progreſſus. c. 11. Sect. 8. 9.

19. Secundo loco expendendum venit: Cum imagines ad Dei cultum adhiberi non debeant, numquid ullus imaginum uſus præſertim in templis licitus ſit. Reſpondemus non ea ſuperſtitione nos teneri, ut nullas prorſus imagines ferendas cenſeamus. Etenim ſculptile & pictura eſt Dei do-

num

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

num: ſed nos purum & legitimum utriuſq; uſum requirimus. c. 11. S. 12

20. Deum tamen viſibili ſpecie effingi nefas putamus. I. Quia Deus ipſe vetuit. II. Quia ſic gloria ejus deformatur. III. Quia omnes ſani ſcriptores id ſemper improbarunt. IV. Quia Majeſtas Dei oculorum ſenſu ſuperior eſt, ac proinde pingi non poteſt, multo minus in tali imagine coli. c. 11. S. 12.

21. Supereſt, ut ea ſolum pingantur, aut ſculpantur, quorum oculi capaces ſunt. In eo genere partim ſunt Hiſtoriæ rerum geſtarum, partim imagines aut formæ corporum ſine ulla rerum geſtarum notatione. Priores uſum habere poſſunt in docendo vel admonendo; poſteriores præter delectationem nihil adferunt. c. 11. S. 12.

22. Servandus tamen hic eſt modus, ne indecenter & licentiosè pictores & ſtatuarii laſciviant. c. 11. S. 12.

23. Cæterum in templis Chriſtianorum ullas omnino habere imagines minimè expedit: Quod probamus I. Ab exemplo primæ & purioris Eccleſię, cujus templa quingentis circiter annis communiter ab imaginibus fuerunt vacua. II. Quia hæc res minimum habet utilitatis, plurimum autem periculi ad ſuperſtitione inficiendos animos, ipſo Auguſtino teſte in Pſal. 113. III. Quia Iohannes non tantum à ſimulachrorum cultu: ſed ab ipſis ſimulachris cavere jubet, 1 Iohan. 5. 21. IV. Ab experientia, quæ docet ſimulachra in templis vix erigi poſſe, quin ad cultum eorum abripiantur homines. V. Quia indignum eſt ſanctitate templorum, alias imagines ibi recipi, quam vivas & iconicas Baptiſmi, ſacræ Cœnæ, aliarumque ceremoniarum, quæ melius & vividius afficiunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

fidelium animos, quam ullæ humano ingenio fabricatæ imagines. c. 11. S. 13.

24. Qui Nicenam Synodum ſecundam ad imaginum patrocinium allegant, ratione deſtitutos eſſe oportet, quod putidas inſulſitates, impias Scripturæ detorſiones, blaſphemas deniq; ejuſdem Synodi voces non agnoſcunt. c. 11. S. 14. 15. 16.

25. Et hactenus quidem demonſtratum eſt, non niſi unicum eſſe Deum, eumque non alia ratione colendum, quam Verbo ſuo præſcripſit. Ideo ne vel minima pars cultus religioſi, aut divinitatis aliò, quam ad Deum transferri debet, aut ſine ſacrilegio poteſt: Quorſum hæc quoque faciunt. I. Εὐσέβεια ſignificat rectum cultum. Ergò certa hic tenenda regula, ne Deus præpoſtere colatur. II. Religio certos fines pietatis præſcribit, intra quos conſiſtere debemus. Ergò non licet temerè arripere fictitium cultum. III. Superſtitio inde dicta, quod non contenta ratione præſcripta, ſupervacuam rerum congeriem accumulat. Ergò vitanda. IV. Hoc communi omnium ætatũ conſenſu receptum eſt, religionem vitiari falſis erroribus & arbitrariis cultibus. V. Soli Deo competit jus legiſlationis. Iam verò dedit regulam, qua ritè ex arbitrio ſuo coli poſſit. Ad alios ergò cultus non eſt declinandum. cap. 12. S. 1. Hinc concludimus, niſi in uno Deo reſideat, quicquid proprium eſt divinitatis, Deum honore ſuo ſpoliari, & cultum ipſius violari. c. 11. S. 1.

DISPVTATIO V.

De Sacro-Sancta Trinitate.

Ex lib. 1. cap. 13.

1. ETſi Deus de Eſſentia ſua parce in Scriptura diſſerit, tamen ea quæ hactenus de immen-

ſitate

ſitate & ſpirituali natura Dei dicta ſunt, ſufficiunt ad evertenda vulgi & Philoſophorum de Deo, ejusque cultu, deliria. Si enim eſt immenſus, non poſſumus eum ſenſu metiri. Si ſpiritualis eſt, nihil carnale aut terrenum de ipſo cogitare licet. Quò pertinet quod paſſim dicitur habitare in cœlis, ut à terra mentes ſupra mundum attollamus. S. 1.

2. Hujus doctrinæ conſideratio prodeſt. I. Adverſus omnes profanæ philoſophiæ argutias, quibus divinitatem in omnes mundi partes transfuſam eſſe finxerunt. II. Contra Manichæos, qui duo principia ſtatuerunt. Ita vero Diabolum Deo ferè parem fecerunt, unitatem Dei lacerarunt, & immenſitatem reſtrinxerunt. III. Contra Antropomorphitas, qui corporeum Deum imaginati ſunt, ex eo, quod os, aures, oculos, & ſimilia membra humana Deo Scriptura nonnunquam adſcribat: cum hæ locutiones ſint impropriæ, quæ Dei eſſentiam non exprimunt: ſed ejus notitiam tenuitati noſtræ accommodant. S. 1.

3. Cæterum alia porro ſpeciali nota propius ſeipſum cognoſcendum Deus exhibet, quando in unica eſſentia tres nobis perſonas conſiderandas proponit, ſine qua notitia nudum & inane Dei nomen in cerebro noſtro volitaret. S. 2.

4. Ne tamen aut triplex Deus, aut ſimplex eſſentia in tres perſonas diviſa, ſomnietur, dicendum nobis erit, I. Quid ſit Perſona. II. Adſtruenda Filii & Spiritus Sancti Deitas. III. Diſtinctio perſonarum demonſtranda. IV. Adverſariorum argumenta & objectiones erunt diluendæ. Sect. 2.

5. Ac de perſona primum, quoad vocem, propter odioſas hæreticorum diſputationes eſt agendum, quam totidem literis & ſyllabis in Scriptura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

non reperiri ultro cõcedimus, rem tamen & æquipollentem vocem inveniri ſerio cõtendimus. S. 2.

6. Nam cum Paulus Heb. 1.3. Chriſtum dicat eſſe ſplendorem gloriæ & characterem τῆς ὑποστάσεως Patris, utiq; Patri peculiarem hypoſtaſin ſive ſubſiſtentiam tribuit, ab ipſo charactere diſtinctam. S. 2.

7. Eſt autem Chriſtus hujus hypoſtaſeos Patris character & gloriæ ipſius refulgentia. Habet ergo Filius ſuam quoque hypoſtaſin quæ eam à Patre diſtinguat. S. 2.

8. Neque enim ratione eſſentiæ Divinæ hoc dici poteſt, quæ ſimplex eſt & individua, quamque Chriſtus integram poſſidet, non ex portione aut defluxu, ſed in ſumma perfectione. Ergo non niſi ratione perſonæ talis eſſe intelligitur. S. 2.

9. Eadem Spiritus S. eſt ratio, quem conſtat verum eſſe Deum, & tamen alium à Patre. Quæ diſtinctio rurſus non poteſt eſſe eſſentiæ ipſius, quia nefas eſt ipſam facere multiplicem, vel in portiones dividere. S. 2.

10. Hanc hypoſtaſin Latini expreſſerunt voce Perſonæ, quos etiam deinceps Patres Græci ſequuti ſunt, conſenſus teſtandi cauſa. S. 2.

11. Denique cum Scriptura teſtetur tres dici, quorum quisque in ſolidum ſit Deus, nec tamen plures eſſe Deos, nimis moroſum eſt de voce contendere, cum res in aperto ſit. S. 2.

12. Quæ contra afferri ſolent, facilè diluuntur. Ajunt enim ſatius fore non ſenſa modo noſtra, ſed verba etiam intra Scripturæ fines continere, nec ſpargere voces exoticas, quæ ſeminaria ſunt jurgiorum & verborum pugnæ, quibus veritas altercando amittitur, charitas odioſè rixando diſſolvitur. S. 3.

13. At

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

13. At verò dum hæc ſpecioſe declamitant, rem ipſam nõ vocem oppugnant. Exoticum enim dicitur, aut quod totidem literis & ſyllabis in Scriptura non exprimitur. Et hoc ſenſu iniquum poſtulant: aut quod curiosè magis ad contentionem quam ad ædificationem valet, vel quod importunè & nullo fructu uſurpatur: Et ſic principium petunt, quia nos non minus, quam illi, ſobriè de Deo ſecundum Scripturam loquendum & cogitandum eſſe ſentimus. S. 3.

14. Nihil tamen vetat, quo minus ea, quæ obſcurius in Scriptura dicuntur, verbis planioribus explicentur: præſertim quando neceſſitas cogit adverſus calumnias & tergiverſationes pravè docentium tueri veritatem, ſic tamen ut verba illa religiosè & fideliter ipſius Scripturæ veritati ſerviant, & parcè, nec citra occaſionem uſurpentur. S. 3.

15. Eademque cauſa Eccleſiam coëgit, Trinitatis, Perſonæ, & ὁμȣσίȣ voces uſurpare, quia non aliter verſipellis Arrii atque Sabellii vafrities è latebris in apertum produci potuit. harum ergo vocum novitatem quicunq; reprehendit, id nempe indigne ferre videtur, quod veritas plana & dilucida redditur. S. 2. 3.

16. Sed enim urgent, Patres de his rebus loquentes, nec inter ſe, nec ſecum ubique conſentire. At verò tum aliquid probarent, ſi in reipſa diſſenſiſſe demonſtrarent. De vocibus modeſtè diſputarunt, ut quæ mentis captum & ſermonis ſignificantiam myſteria ſuperant, verbis, quam fieri poſſet, commodiſſimis exprimerentur. S. 5.

17. Concludimus ergo, ſicut ob nudas voculas non eſt digladiandum, ſic etiam in repudiandis phraſibus neceſſariis cavendam eſſe omnem pro-

terviam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

terviam & aſtum, nec dandam occaſionem juſtæ ſuſpicionis, dum de verbis litigatur, de re ipſa dubitari, aut hæreſes occultè foveri. S. 5.

18. Verba certè non morabimur, modo hæc inter omnes conſtet fides, quam Scriptura docet, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanct. eſſe unum Deum, nec tamen aut Filium eſſe Patrem, aut Spiritum S. eſſe Filium, vel Patrem, ſed hypoſtaſi & proprietate quadam eſſe diſtinctos, quam hypoſtaſin perſonam vocamus. S. 5.

19. Eſt autem Perſona ſubſiſtentia in eſſentia Divina, quæ ad alios relata, proprietate incommunicabili diſtinguitur. Et cum his congruit definitio Tertulliani ſanè accepta, quando perſonam eſſe dixit quandam in Deo diſpoſitionem, quæ de eſſentiæ unitate nihil mutet. S. 6.

20. Subſiſtentiam diximus, non ut ab eſſentia ſeparemus, cum qua individuo nexu eſt conjuncta, ſed ut ſpeciali nota ab eadem diſtingueremus. S. 6.

21. Quo ſenſu Iohannes cap. 1. 1. dixit Sermonem fuiſſe apud Patrem & tamen fuiſſe Deum: hic nos revocans ad unitatem eſſentiæ, iſtic peculiarem Filio ſubſiſtentiam tribuens, ſecundum quam in Patre reſidebat. S. 6.

22. Porro relationis diſerta fit mentio, quia ſimplex Dei nomen ad ſingulas perſonas pertinet: ubi autem Pater ad Filium confertur, ſua proprietate diſtinguitur. S. 6.

23. Hæc denique proprietas dicitur incommunicabilis, quia quidquid ſingulis proprium eſt, ad alias perſonas transferri non poteſt. S. 6.

24. Iam monſtratum eſt dari perſonas in eſſentia Divina, & quid ſint. De Patre non dubitatur. Probanda igitur nobis & Filii & Spir. Sancti

Deitas:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Deitas: Deinde, ut inter ſe diſtinguantur, videbimus.

25. Primum locum merito obtinet, quod Filius æterni Patris λόγος ſive Verbum in Scriptura nominatur, per quem Deus omnia creavit. unde & æternitas & vera eſſentia & Divinitas rectè comprobatur. S. 7,8.

26. Abſurdum enim fuerit fluxam & evanidam vocem extra Deum imaginari, cum perpetua magis ſapientia indicetur, apud Patrem reſidens, & talis λόγος, qui ante ſæcula à Patre genitus eſt, adeoque ejus operibus interfuit. S. 7.

27. Etſi verò omnes divinitus profectæ revelationes Verbi Dei nomine inſigniuntur, tamen à λόγῳ diſtingui debent, quo authore, & cujus ſpiritu editæ ſunt, non per Apoſtolos tantum, ſed etiam olim per Prophetas ante ipſius in carne manifeſtationem, 1 Pet. 1. 11. unde patet Chriſtum ante omnem Prophetiam exſtitiſſe. S. 7.

28. Porro ſi λόγȣ fuit ille Spiritus, cujus organa fuerunt Prophetæ, indubiè colligimus verum fuiſſe Deum. S. 7.

29. Idem teſtatur Moſes, quando narrat Deum, ſingulis operibus creandis, dixiſſe, fiat hoc vel illud. Ita enim Sermonem intermedium ſtatuit, eique ſuas quoque partes in creatione tribuit. S. 7.

30. Qui pro juſſu & imperio vocem hanc interpretantur, contradicunt Apoſtolo Hebr. 1. 3. dicenti, per Filium ſæcula eſſe condita, adeoque ipſum portare omnia potenti ſuo verbo. Vnde liquet etiam Filium ſuum habuiſſe verbum & mandatum in creatione. Et Salomoni, Prov. 8. 22. introducenti Sapientiam ante ſæcula genitam, & rerum creationi cunctiſque Dei operibus præſidentem. Et Chriſto Iohan. 5. 17. communem ſibi cum Patre

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Patre ab æterno operationem tribuenti. Et Iohanni, eundem λόγον, qui ab initio Deus apud Deum erat, rerum omnium cauſam ſimul cum Patre ſtatuenti, Iohan. 1. 3. S. 7.

31. Nec verò conſequens eſt, ut tum demum Sermo eſſe cœperit, quia Deus creans loquutus eſt. Sic enim I. Subſtantiæ Dei novatio affingitur, contra dictum, Iac. 1. 17. Et licet in operibus externis nomen Creatoris pietas agnoſcit, nullum tamen nomen admittit, quo Deo novi quidpiam in ſeipſo accidiſſe ſignificetur. II. Nec quia manifeſtari aliquid certo tempore cœperit, nunquam prius fuiſſe colligi poterit. III. Contra potius ſequitur, ſi Sermonis virtus in creatione extitit, ipſum jam multo ante fuiſſe. S. 8.

32. Qui certa hic temporis ſpatia inquirunt, nullum in Chriſto exordium reperient; Nam gloriam ſuam apud Patrem habuit ante jacta mundi fundamenta, Ioh. 17. 5. Et in principio apud Deum fuiſſe λόγον Iohannes pronuntiat, antequam ad Mundi creationem deſcendat, Ioh. 1. 1, 3. S. 8.

33. Conſtituimus ergo λόγον, verbum ſubſtantiale, extra temporis initium à Deo conceptum, rerum omnium & oraculorum authorem, nulli variationi obnoxium, perpetuo unum eundemque apud Patrem reſediſſe, adeoque Deum ipſum eſſe. S. 7, 8.

34. Secundum argumentum ex iis locis recte petitur, quæ Chriſto Deitatis nomen aſſerunt. Qualia ex multis ſunt, Pſalm. 45. 7. Eſai. 9. 6. Ierem. 23. 6. Hic enim Deus vocatur & Iehova. At conſtat hoc nomen eſſe incommunicabile creaturis. Conſtat etiam Deum non dare gloriam ſuam alteri, Eſa. 42. 8. Colligimus ergo Filium eſſe unicum illum & æternum Deum. S. 9.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

35. Quando hic excipiunt, nomen Elohim etiam in Angelos & poteſtates competere, revera tergiverſantur, quia Chriſtus, ſimpliciter & ſine adjectione Deus vocatur, æternusque dominator. Et certum eſt æternum thronum atque regnum non poſſe erigi alicui creaturæ. S. 9.

36. Quod vero Moſes altare à ſe extructum, & Ieremias Ieroſolymam hoc nomine Iehovæ ornaviſſe dicitur, ideo factum eſt, quod monumenta eſſent & teſtimonia præſentiæ Dei, Ezech. 48.36. Exod. 17.15. Ier. 33.16. At Chriſto hoc elogium tribuitur, ut cauſæ & fonti juſtitiæ noſtræ. S. 9.

37. Tertium argumentum tale eſt. Is qui in perſona Angeli ſeipſum Iehovam eſſe aſſeruit, & pro Deo agnitus & adoratus fuit in V. T. non poteſt non eſſe verus Deus. At Chriſtus, nondum veſtitus carne, propter familiarem cum populo communicationem ita nomen Angeli aſſumſit, ut tamen, quod ſuum erat, Iehovæ & Dei nomen retineret. Vide Iud. 6. 11, 14, 16, 20, 21, 23. & cap. 7. 2, 4, 5. & cap. 13. 5, 13. Oſ. 12. 5. Gen. 32. 29, 30. Zach. 2. 3, 5, 10. Quo nomine dux populi in deſerto Chriſtus fuiſſe dicitur. 1 Corinth. 10. 4. S. 10.

38. Porro Eſai. 25. 9. ſpem ſuam fideles in hoc Iehova collocant. & Mal. 3. 1. in templum ſuum venturus eſſe dicitur, quod non niſi uni Deo ſacrum fuit. Ex his ſequitur, eundem eſſe Deum, qui ſemper adoratus fuit apud Iudæos. S. 10.

39. Novum vero Teſtamentum innumeris ſcatet teſtimoniis. Ex quibus prima claſſis eſto locorum, quæ Chriſtum Deum eſſe affirmant. Huc pertinet. 1. Quod, quæ de æterno Deo dicta olim fuere, in Chriſto vel jam exhibita, vel adhuc exhibenda

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

hibenda docentur. Patet hoc ex collatione locorum Vet. & Nov. Teſt. Eſa. 8. 14. Rom. 9. 32, 33. & Eſai. 45. 23. Rom. 14. 10, 11. & Pſalm. 68. 19. Eph. 4. 8. & Eſai. 6. 1. Iohan. 12. 42. & Pſal. 97. 7. Heb. 1. 6. & Pſalm. 102. 17, 18, 26. Heb. 1. 10. 11. Idem probatur ex apertis locis, Ioh. 1. 1. 14. 2 Cor. 5. 10. Rom. 9. 5. 1 Tim. 3. 16. Phil. 2. 6. 1 Iohan. 5. 20. Act. 20. 28. Iohan. 20. 28. Iam verò ſi Chriſtus Deus eſt, & ab initio fuit apud Patrem, ſedens in tribunali Dei, Deus in ſæcula benedictus, nec verò plures ſunt Dii, ſed unus nobis eſt tantum Deus, 1 Cor. 8. 5. Ergo non ſecundus aut factitius eſt, ſed verus & unicus ille Deus, ex quo ſunt omnia. S. 11.

40. Secunda claſſis Divinitatem Chriſti ex operibus ejus arguit. Nam qui cum Patre omnia operatur, eum neceſſe eſt ſibi potentiam divinam uſurpare, teſtibus Iudæis, Ioh. 5. 17, 18. Adhæc providentia ſua mundum adminiſtrare, omniaque moderari, non eſt niſi Creatoris, Hebr. 1. 3. Ita peccata remittere, & tacitas cordium cogitationes penetrare, ſolius Dei gratia fit & efficacia, Eſa. 43. 25. Matth. 9. 4, 6. At hæc omnia Chriſto competunt, ut ex locis prædictis conſtat. S. 12.

41. Cæterum in operibus Chriſti potiſſimum apparent miracula, quod ſuſcitavit mortuos, curavit omne genus morborũ, ejecit dæmonia, &c. Quæ ipſi ampliſſimum reddunt Divinitatis teſtimonium. Hæc enim non alterius nomine, quod de ſe Apoſtoli fatentur. Actor. 3. 6. ſed ſua virtute peregit, aliis verò donum & diſpenſationem largitus eſt: Matth. 10. 8. Mar. 6. 7. ut mirum non ſit, quod ex miraculis ſuam Deitatem paſſim demonſtraverit, Ioh. 5, 36. & 10. 37. & 14. 11. Sect. 13.

42. In tertia claſſe ponimus teſtimonia, quæ à Dei attributis ſumuntur. Eſt enim Chriſtus ipſa ſalus, bonitas, juſtitia, vita, & lux hominum, etiam à primo creationis exordio, Ioh. 1. 9. At hæc extra Deum non ſunt. S. 13.

43. Ex hoc fonte reliqua fluunt argumenta, quæ à cultu Dei depromuntur. Iſtis enim documentis freti, ſpem, fidemque in Filio Dei reponimus, Ioh. 14. 1. Eſa. 26. 16. & 11. 10. Rom. 10. 11. & 15. 12. Iohan. 6. 47. Ex fide porro pendet invocatio, quam etiam Chriſto meritò tribuimus, Actor. 7. 59. & 9. 13. In Chriſti notitia unicè gloriamur, 1 Cor. 2. 2. Ab illo non minus quam à Patre beneficia poſtulamus, ut paſſim liquet ex ſalutationibus Paulinis. At hæc ſolius Majeſtatis Divinæ propria ſunt. Impium enim eſt fiduciam in creaturis ponere. Tum verò ſolus Deus eſt invocandus, Ioël. 2. 32. Prov. 18. 10. nec poteſt eſſe mera creatura, cujus notitia ſit unica noſtra gloriatio, Ier. 9. 14. Qui verò omnia beneficia largitur, etiam divinæ potentiæ communione Deus eſt. Sect. 13.

44. Hæc Filii Dei notitia verè practica eſt, quavis otioſa ſpeculatione certior & ſolidior, qua pius animus Deum præſentiſſimum conſpicit, & penè attrectat, quando ſe à Chriſto vivificari, illuminari, juſtificari, & ſanctificari ſentit. S. 13.

45. De Spiritus S. Deitate nunc nobis eſt agendum, quam ex iiſdem fontibus probamus, quibus Deitatem Chriſti aſſeruimus. Primum argumentum ſumimus ab operibus, quæ Spiritui S. tribuuntur. Ac 1. quidem, quod non modo illa mundi pulchritudo, quæ nunc cernitur, Spiritus virtute ſalva viget, ſed etiam quod, cum ante confuſa eſſet moles, in illa fovenda Spiritus fuit operatus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ratus, Gen. 1. 2. Eſt ergò Creator & Conſervator. II. Quia in mittendis Prophetis ſummum imperium Spiritui S. communicatur, quod eſt ſolius Dei, Eſa. 48. 16. III. Quia ubique diffuſus omnia ſuſtinet, vegetat, vivificat, in cœlo & terra. Eſt ergo infinitus, nec ullis terminis circumſcribitur. Tum verò omnibus vigorem, vitam, & motionem inſpirat: utrumque Divinitatis eſt argumentum, quo à creaturarum numero eximitur. IV. Quia tum regenerationis, tum futuræ immortalitatis eſt author. Quo autem hæc quavis præſenti vegetatione & vivificatione eſt præſtantior, eo Spiritus S. Divinitas eſt evidentior, præſertim cum ex ipſius virtute procedat. V. Quia in Spiritum S. conferuntur, quæ maximè propria ſunt Divinitatis officia. Nam ſcrutatur profunda Dei, ſapientiam & loquendi facultatem largitur, per ipſum in Dei participationem venimus, ab ipſo eſt juſtificatio noſtra & ſanctificatio, & veritas, & gratia, & quidquid denique boni cogitari poteſt. Quæ omnia, quamvis diverſa Dei dona ſint, unus tamen & idem Spiritus diſtribuit, prout vult, 1 Cor. 2. 10. 11. & 12. 11. Sane niſi eſſet aliquid in Deo ſubſiſtens, minime ei tribueretur voluntas. Iam verò nullus Deo inter Creaturas eſt conſiliarius: Et ſapientiam atque loquelam largiri, eſt ſolius Dei, Exod. 4. 11. Reliqua denique ejus opera non ſunt, niſi divinæ potentiæ inſignia & effecta. S. 14.

46. Altera claſſis ea continet teſtimonia, quæ Dei nomen Spiritui Sancto attribuunt. Nam 1. dicimur eſſe templa Spiritus Sancti. At hic cultus ſoli Deo debetur. Quin ex eo nos eſſe templum Dei colligit Apoſtolus, quia Spiritus ejus habitat in nobis: Et alibi ſcribitur, nos templum eſſe Dei

& Spi-

& Spiritus S. eodem planè ſenſu, 1 Corinth. 3. 17. & 6. 19. & 2 Cor. 6. 16. II. Cum Petrus dixiſſet Ananiam mentitum eſſe Spiritui Sancto, addit ſtatim; non hominibus, ſed Deo mentitum eſſe, Act. 5. 3. 4. III. Idem oſtenditur ex collatione locorũ Veteris & Novi Teſtamenti. paſſim enim, cum verba ſua Prophetæ Deo exercituum aſcribunt, Chriſtus tamen & Apoſtoli eadem ad Spiritum Sanctum referunt, Eſai. 6. 9. Actor. 28. 25. Eſaias verò Spiritum Sanctum contriſtatum eſſe ſcribit, quod Scriptura ſæpiſſimè Deo aſſignare ſolet, Eſai. 63. 10. IV. Si blaſphemia in Spiritum Sanctum non remittitur, Deum eſſe conſequitur, cujus Majeſtatem lædere vel minuere crimen eſt inexpiabile, Matth. 12. 31. Quod autem ex Pſal. 33. 6. horſum citari ſolet, infirmius eſt, quia idem bis videtur repeti. Et Eſa. 11. 4. Spiritus oris idem valet, quod ſermo. S. 15.

47. Tertium argumentum petimus à cultu Dei, qui Spiritui S. tribuitur in Baptiſmo. In cujus enim nomen baptizamur, eum neceſſe eſt eſſe verum Deum. At baptizamur in nomen Spiritus S. Matth. 28. 19. Major certa eſt: quia in unius Dei fidem initiamur per Baptiſmum. Ideo Paulus ex Baptiſmi & fidei unitate Deum quoque unum eſſe demonſtrat, Eph. 4. 5. Fides porro non niſi unum Deum ſpectare poteſt: ſin minus, quot eſſent baptiſmi & fidei genera, tot etiam Deos eſſe oporteret. Iam verò unus tantum nobis Deus eſt, non plures. Proinde una fide baptizamur in Patrem, Filium, & Spiritum S. nec tamen niſi in unum Deum. Sequitur ergo Patrem, Filium, & Spiritum S. eſſe unum illum Deum. S. 16.

48. Hactenus oſtendimus tres eſſe perſonas in unitate Eſſentiæ Divinæ. Nunc Perſonarum demonſtranda

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

monſtranda eſt diſtinctio. In qua nobis tanta religione & ſobrietate verſandum eſt, quantam myſterii hujus magnitudo poſtulat. S. 17.

49. Primum autem, quando ſtatuimus diſtinctas eſſe perſonas, non diviſionem aliquam, aut diſtractam perſonarum Trinitatem imaginamur, ſed diſtinctionem, quæ nos ad unitatem conducat. S. 17.

50. Verè diſtinctas eſſe perſonas, ipſa Patris, & Filii, & Spiritus S. vocabula innuunt, quæ nuda eſſe epitheta nemo facilè dixerit. S. 17.

51. Proprietatem verò Patri diſtinctam eſſe à Filio, ex illis locis oſtenditur, quibus Sermo dicitur fuiſſe apud Deum, & gloriam habuiſſe apud Patré, Ioh. 1. 1. & 17. 5. Item Patrem per Verbum omnia creaſſe, Ioh. 1. 3. Col. 1. 16. Quæ certè conſtare non poſſent, niſi alius eſſet Filius, diſtinctus à Patre. II. Ipſe Chriſtus Patrem à ſe diſtinguit, quum alium eſſe dicit, qui teſtimonium ſibi perhibet, Iohan. 5. 32. & 8. 16. III. Non deſcendit Pater in terram, nec mortuus eſt, nec reſurrexit, ſed is qui à Patre exiit, & ab eo miſſus fuerat. IV. Et ne ab aſſumpta carne diſtinctionis exordium accerſamus, obſtat, quod jam antea in ſinu Patris fuiſſe dicitur, & inde ad ſuſcipiendam humanitatem deſcendiſſe, Iohan. 1. 18. Eſt ergo diſtinctus à Patre, nec tùm primum ſinum Patris ingreſſus eſt. S. 17.

52. Spiritus S. diſtinctionem à Patre Chriſtus innuit, cum dicit eum à Patre procedere: Et à ſe quoque diſtinctum eſſe docet, quoties alium conſolatorem à ſe mittendum eſſe denuntiat, Iohan. 14. 16. & 15. 26. S. 17.

53. Cæterum ad diſtinctionis hujus vim & modum exprimendum, an expediat uti ſimilibus huma-

humanis, merito poteſt ambigi. Etſi enim veteres interdum hoc facere ſolent, ipſi tamen fatentur, plurimum differre, quidquid pro ſimili affertur. Tum vero malignis calumniæ, rudibus hæſitationis anſa nulla eſt præbenda. S. 18.

54. Quam tamen Scripturæ diſtinctionem notant, ea non eſt tacenda. I. Quod Patri principium agendi, rerumque omnium ſcaturigo attribuitur: Filio ſapientia, & conſilium, & in rebus agendis diſpenſatio; Spiritui virtus & actionis aſſignatur efficacia. II. Licet Patris & Filii & Spiritus S. eadem ſit æternitas, rectè tamen obſervatur inter perſonas ordo, ut primum recenſeatur Pater, deinde ex eo Filius, & ex utroque Spiritus Sanctus. S. 18.

55. Mens enim noſtra primo conſiderat Deum, deinde emergentem ex eo ſapientiam, tum virtutem, qua conſilii ſui decreta exequitur. Quo reſpectu à Patre duntaxat exiſtere dicitur Filius, ab utroq; ſimul Spirit. S. Rom. 8. 9. 2 Pet. 1. 21. S. 18.

56. Nec eſt, cur putemus hac diſtinctione tolli ſimpliciſſimam Dei unitatem. quin hoc ipſo unum eſſe Deum demonſtratur, quia Patris & Filii unus idemque Spiritus eſt. Adhæc in quaque hypoſtaſi tota intelligitur natura, cum hoc, quod cuique ſua ſubeſt proprietas. Quo ſenſu Pater totus in Filio, & Filius totus in Patre eſſe dicitur, Ioh. 14. 10. S. 19.

57. Atque hinc de αὐτοθέῳ, & Veterum in ſpecie pugnantibus ſententiis, facilis eſt ſolutio. Chriſtus enim (ut ait Auguſtinus) ad ſe Deus eſt, ad Patrem filius eſt: hoc eſt, quoties de Filio ſine reſpectu Patris ſimpliciter loquimur, benè & propriè ipſum à ſe eſſe aſſerimus: quando autem relationem, quæ illi cum Patre eſt, notamus, Patrem Filii principium merito facimus. S. 19.

58. Et

58. Et hæc quidem de Deo & tribus perſonis ad ſobrietatẽ & ſecundum fidei menſuram dixiſſe & credere ſufficiat. Quorum hæc ſumma eſt. I. Vnum eſſe Deum, & hoc nomine unicam & ſimplicem intelligi eſſentiam, in qua tamen tres ſubſiſtant perſonæ. II. Quoties Dei nomen indefinitè ponitur, non minus Filium, & Spiritum Sanctum quam Patrem deſignari, 2 Cor. 12. 8, 9. Ioh. 4. 24. III. Quando Filius adjungitur Patri, in medium venire relationem, atque ita diſtingui perſonas. IV. Proprietates in perſonis ordinem ſecum ferre, ut in Patre ſit principium & origo. V. Ideo quoties ſit mentio Patris, & Filii, aut Spiritus S. ſimul, nomen Dei peculiariter Patri tribui: Atque ita retineri unitatem eſſentiæ, & haberi rationem ordinis, quæ tamen ex Filii & Spiritus S. Deitate nihil minuit. VI. Denique ſacrilegium eſſe, Filium vocari alium à Patre Deum, quia ſimplex Dei nomen relationem non admittit: nec poteſt Deus ad ſeipſum dici hoc vel illud eſſe. S. 20.

59. Hactenus placidè veritatem aſſeruimus, ut qui dociles ſunt, habeant, ubi certo pede conſiſtere poſſint. Sed quia Satan omnibus propè ſæculis fidem hanc convellere conatus eſt, perverſis hominum pręfractorum deliriis occurrere operæ pretium erit, ne quidquam ad veritatis defenſionẽ deſit. Hac tamen cautione, ut in hoc myſterio ſobriè philoſophemur, nec in animum inducamus, aut inveſtigare Deum uſquam, quam in ſacro ejus verbo, aut de ipſo cogitare quidquam aut loqui, niſi præeunte eodem verbo. S. 21.

60. Nam immenſam Dei eſſentiam mens humana non poteſt definire, cum nec Solis corpus, nec ſuam ipſius ſubſtantiam aſſequatur. Tum vero teme-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

temeritas illa infelicem ſemper habuit ſucceſſum; quod illis evenire neceſſe eſt, qui, dum curioſitati ſuæ indulgent, labyrinthum ingrediuntur, unde ſe extricare nequeunt. Itaque docilitate hic magis opus eſt, quàm acumine. Et Deo ſui cognitio permittenda; talis autem nobis concipiendus eſt, qualem ſeipſum patefecit. S. 21.

61. Hæretici, qui hanc doctrinam oppugnarunt, hoc præſertim egerunt, ut vel lacerarent Eſſentiam, vel Perſonarum diſtinctionem confunderent. Quibus omnibus ſatis fuerit oppoſuiſſe veram hactenus traditam doctrinam. Vnam ſcilicet & individuam eſſe eſſentiam unius Dei, quæ tamen ad Patrem, & Filium, & Spiritum S. pertineat; Has verò Perſonas ſuis proprietatibus eſſe diſtinctas. S. 22.

62. Cæterum quia ex his veterum favillis duo nata ſunt hoc ſæculo monſtra, Servetus, & Valentinus Gentilis, qui novis præſtigiis omnia involverunt, eorum fallacias paucis diſcutiemus. S. 22.

63. Et Serveti quidem deliria tam fuerunt prodigioſa, ut ea nominaſſe tantundem ſit ac refutaſſe. Trinitatis quidem nomen ſic oderat, ut imaginariam eſſe diceret, omnesque Trinitarios eſſe Atheos, qui tripartitum inducerent Deum. Ipſe verò perſonas voluit eſſe externas quaſdam Ideas, quæ verè non ſubſiſtant in eſſentia Dei, ſed Deum nobis hac vel illa ſpecie figurent; Initio quidem nihil fuiſſe in Deo diſtinctum, ſed idem fuiſſe Verbum & Spiritum. Ex quo autem Chriſtus emerſit, Deus de Deo, alium quoque Spiritum ex ipſo Deum effluxiſſe. Denique, ſecundum diſpenſationis modum, Deitatem, tam in Filio, quam in Spiritu, partẽ eſſe Dei, ſicut idem Spiritus ſubſtantialiter in nobis, atque etiam in lignis & lapidibus Dei portio eſt. S. 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

64. At vero ſic Filii & Spiritus Deitatem in nihilum redigit: ſpectris & umbris ſuarum hypoſtaſεων nova accidentia Deo affingit; partes & partitiones palam aſſerit in eſſentia Dei, quarum unaquæque portio Deus ſit; tam Filium, quam Spiritum promiſcuè creaturis omnibus immiſcet: ipſos denique Spiritus fidelium coæternos facit & conſubſtantiales Deo. Quæ omnia ſua abſurditate concidunt. S. 22.

65. Quod autem comminiſcitur, Perſonam nihil aliud eſſe quam viſibilem gloriȩ Dei ſpeciem, facilè refutatur ex eo, quod, nondū creato mundo, λόγος & Deus, & apud Deum fuiſſe pronuntiatur, adeoque ab ultima æternitate gloriâ apud Patrem inſignis, Ioh. 1. 1. & 17. 5. Quæ ipſum ab Idea & externo vel figurativo ſplendore longè diſcernunt. S. 22.

66. Spiritum verò non fuiſſe umbram, aut effigiem, vel repræſentationem aliquam, ſed virtutem Dei eſſentialem, ex eo liquet, quod ab initio creationis informem maſſam fovit & ſuſtinuit; donec accederet pulchritudo & ſeries, unde æternum eſſe Spiritum facilè demonſtratur. S. 22.

67. Nec minus falſum eſt Deum æterna ſua ratione Filium ſibi viſibilem decreviſſe, atque hoc modo ſe viſibilem exhibuiſſe. Sic enim non alia Chriſto relinquitur divinitas, niſi quatenus æterno Dei decreto Filius eſt ordinatus. S. 22.

68. Ex eadem lacuna prodiit Valentinus Gentilis, qui dum Serveticæ doctrinæ invidiam conatur effugere, aliud monſtrum commentus eſt. Tres quidem eſſe Perſonas, Patrem tamen propriè & verè eſſe unicum Deum, qui Filium & Spiritum formando, ſuam in eos Deitatem transfuderit. Vnde ſolus Eſſentiator dici poſſit. S. 23.

69. Atqui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

69. Atqui hunc errorem facile eſt evertere. Non Patri tantum, ſed & Filio nomen veri Dei convenire, ſatis probatum eſt. Eſt enim verus & unicus ille Deus, qui Eſaiæ apparuit, Eſai. 6. 1. qui factus eſt in lapidem offendiculi, Eſai. 8. 14. cui flectetur omne genu, Eſai. 45. 23. qui fundavit cœlum & terram, Pſal. 102. 6. quem jubentur adorare omnes Angeli, Pſal. 97. 7. Quæ elogia Iehovæ & Chriſto propria eſſe contendunt Apoſtoli, Ioh. 12.41. Roman. 9. 33. & 14. 11. Hebr. 1. 10. & Hebr. 1. 6. S. 23.

70. Excipit Gentilis, id quod Dei proprium eſt, transferri ad Chriſtum, quia ſit relucentia gloriæ Dei. Reſp. Merum eſſe cavillum. Nam Iehova eſt, qui ex ſeipſo Deus eſt, præter quem non eſt Deus, Eſai. 44. 6. ipſe Creator omnium, quique omnibus dat eſſe. Quo titulo à Diis omnibus diſcernitur, Ier. 10. 11. Iam cum Chriſtus ſit Iehova, non poterit eſſentiam ſuam aliunde mutuari, niſi velint eum perire cum Diis, qui cœlum & terram non fecerunt. S. 23.

71. Deinde ex attributis divinis conſtat, Chriſtum eſſe verum Deum. Solus enim Deus bonus eſt, Matth. 19. 17. ſolus immortalis, ſapiens & verax, 1 Tim. 1. 17. ſolus adorandus: Matth. 4. 10. Hic certè neceſſe eſt, ut aut Sermonem æternum privent ſua bonitate, & in ordinem redigant mortalium, ſtultorum, & fallacium, aut fateantur eſſe unicum illum Deum, cui ſoli hæc elogia competunt. Eſt enim Chriſtus verè bonus, omnibus immortalitatis author, æterna Dei ſapientia, ipſa veritas, coram quo omne genu flectendum eſt, Rex denique & Deus noſter, quem fideles ad liberationem Eccleſiæ exſpectant, Eſa. 25. 9. S. 24.

72. Excipit, de Chriſto hæc intelligenda eſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

reſpectu carnis, in qua primum exinanitus, poſt exaltatus fuit. Reſp. I. Niſi Deus eſſet manifeſtatus in carne, non potuiſſet mera creatura extolli ad tantam ſublimitatem, quin Deus ſecum pugnaret. II. Apoſtolus ad Phil. 2. 6, 7. facit Chriſtum æqualem Deo, antequam exinaniretur. Iam æqualitas hæc ſtare non poſſet, niſi fuiſſet Deus ille, cujus nomen eſt Iehova, Rex totius terræ, & Rex ſæculorum. Vtrimq; ergo falſum ſumit. S. 24.

73. Excipit deinde, hæc Chriſto tribui, quia fuit in Patre ſuo. Reſp. Etſi fateamur, ratione ordinis & gradus, principium Divinitatis eſſe in Patre, tamen eſſentiam ſolius Patris eſſe propriam, id verò pernegamus. S. 24.

74. Tertiò, ſi tota Eſſentia eſt in Patre, eique ſoli convenit, quatenus ipſe ſolus eſt Deus, & Filii Eſſentiator, ſequitur, partibilem eſſe Deitatem, quia Divinitas Filii erit abſtractum quid à Dei Eſſentia, ſive derivatio partis à toto. Rurſus, aut multiplicabitur eſſentia divina, & fient multi Dii, aut titulo tenus tantum Chriſtus erit Deus, genitam habens & formatam eſſentiam, quæ in Patre ingenita ſit. Vtrumque autem falſum eſt. S. 23, 24.

75. Quartò, ſi eſſentiatio eſt derivatio à prima eſſentia, quæ non niſi Patris propria eſt, tum Spiritus Sanctus tantum procedit à Patre, eritque ſolius Patris, non etiam Filii Spiritus. Atqui Paulus eum communem utrique facit. S. 23.

76. Quintò, cum fateatur Patrem differre à Filio, notam aliquam diſcretionis eſſe oportet. At hæc ab eſſentia ſumi nequit. Nam dicit Filio eſſe communicatam. Iam verò aut ex parte communicata eſt, aut tota. Non illud, quia nefas eſt dimidium fabricare Deum, aut eſſentiam Dei lacerare. Tota proinde & in ſolidum Patri & Filio eſt communis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

munis. Supereſt, ut non Eſſentiæ, ſed Perſonæ reſpectu diſtinguantur. S. 23.

77. Cæterum diſtinctas eſſe Perſonas, vel illud, Gen. 1. 26. ſatis demonſtrat, ubi Deus ait, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*. Vnde ſequitur in Divinis dari pluralitatem, & diſtinctionem Perſonarum. Deus enim non alloquitur extraneos, ſed increatos. Nihil autem increatum, excepto Deo, & quidem uno. S. 24.

78. Excipit, Patrem eſſentiando manere nihilominus unicum Deum, penes quem ſit eſſentia. Reſp. Hac ratione Chriſtum fore Deum figurativum, ſpecie & nomine tantum, non reipſa. At Deo nihil magis proprium eſt, quam eſſe. Exod. 5. 14. Ita, quam Chriſti Deitatem verbo profitetur, revera in nihilum redigit. S. 23.

79. Colores, quos huic ſuo errori Gentilis obtendit, facilè diluuntur. Ait, 1. Chriſtum paſſim vocari Filium Dei: Hinc concludit, non alium propriè eſſe Deum, niſi Patrem. Reſp. Hic Dei nomen ſumi perſonaliter, & Patri κατ' ἐξοχὴν adſcribi; quia fons eſt, & principium Deitatis, idq; ut notetur ſimplex eſſentiæ unitas. At hinc non ſequitur Dei nomen Filio non eſſe commune. Quando enim fit unius Perſonæ ad alteram comparatio, nomen Dei non ſumitur indefinitè, ſed ad Patrem reſtringitur. 1. Quatenus eſt Deitatis principium, non eſſentiando, ſed ratione ordinis. 11. Quatenus Chriſtus, ut Mediator, medium gradum tenet inter Deum & homines, ſine ulla tamen imminutione ſuæ Majeſtatis. S. 23. 24. 26.

80. Atque hoc ſenſu Chriſtus Patrem ſuum verum & ſolum Deum vocat, Ioh. 17. 3. Ita tamen ut ſibi æternam gloriam apud Patrem vindicet, ibid. ℣. 5. & Hebr. 1. 10. nuncupatur Iehova,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

qui fundavit terram, quem tamen poſt aſſerit imminutum infra Angelos, Hebr. 2. 9. Ita Patrem ſe majorem eſſe aſſerit, Ioh. 14. 28. Non reſpectu ſecundæ alicujus Divinitatis, ſed partim propter officium Mediatoris, partim propter gloriam cœleſtem, qua nunc potitur, comparatam ad eam gloriæ menſuram, quæ hic in carne videbatur. Sic 1 Corinth. 15. 24. dicitur redditurus Deo & Patri regnum, quod nunc ut Mediator exercet, ut tamen nunquam deſinat eſſe Filius, ſed idem ſemper maneat, qui fuit ab initio, verus nempe Deus, Ioh. 1. 1. & 1 Ioh. 5. 20. S. 26.

81. Huc etiam pertinet, quod Iohan. 4. 24. Chriſtus pronuntiat Deum eſſe Spiritum. Iam verò non negat Sermonem æternum eſſe ſpiritualis naturæ. Ergò indefinito Dei nomine Filium quoque comprehendit. Nihilominus, quia fungebatur officio Doctoris, adorationem & cultum Patri aſſignat, non ut aboleat ſuam ipſius Deitatem, ſed ut gradatim nos ad Patrem, & ad ſeipſum attollat. S. 24, 26.

82. Nomen ergo Dei excluſivè ad Patrem reſtringere, ut Filio auferatur, neque fas neq; rectum eſt. Et ſecũ pugnat adverſarius, dum fatetur Chriſtum eſſe verum Deum, & tamen à Patris Deitate excludit, quaſi poſſit eſſe verus Deus, niſi qui unus eſt, aut quaſi transfuſa divinitas non ſit merum figmentum. S. 26.

83. Inſtat, ſi vere eſt Dei Filius, non poteſt cenſeri perſonæ Filius. Reſp. non eſſe hæc oppoſita. Vtrumque enim verum eſt, Chriſtum & Dei & Patris eſſe Filium, eo ſenſu quo jam dictum eſt. S. 23.

84. Ita quoque per ſe corruit, quod pro confeſſo ſumit, non niſi Patrem intelligi, quoties Dei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nomen abſolute ſumitur. Nam illis ipſis locis, quos pro ſe citat, manifeſtum eſt apponi nomen Filii. Ac proinde, nomen Dei relativè ſumptum ad Patrem reſtringi. S. 24.

85. Porro objicit, niſi Pater ſolus eſſet Deus, ſuus ipſe Pater eſſet. Reſp. non eſſe conſequens. Nam Filium quoque eſſe Deum, ſupra probatum eſt: Patrem vero peculiariter Deum dici propter ordinem & gradum, tum quia genuit ex ſe ſuam ſapientiam, tum quia Deus eſt Mediatoris, cujus perſonam Filius in ſe ſuſcepit. S. 24.

86. Abſurdè vero ſomniat, poſita Trinitate poni individua, quorum ſingula partem obtineant eſſentiæ. Nos enim unum eſſentialiter Deum docemus, qui abſolutè eſt ex ſe, & ingenitus: Patrem quidem eſſe primum ordine, & reſpectu perſonæ ſuæ quoque ingenitum: Filium vero ex Patre genitum: Spiritum ex utroque procedentem: Vtriusque tamen, tam Filii, quam Spiritus S. eſſentiam eſſe ingenitam. S. 25.

87. Stultè etiam putat poſita eſſentiæ unitate, tribusque perſonis, ſequi non Trinitatem ſed quaternitatem. Quod tum probabiliter dici videretur, ſi vel tres fingeremus derivativè ex una eſſentia prodeuntes, vel perſonas ab eſſentia ſepararemus: quorum neutrum facimus. Quanquam ne ſic quidem quaternitas ſequeretur, ſed potius Deorum Trinitas, quam non admittimus. S. 25.

88. Inſtat, ſi Perſonæ non conflantur ex eſſentia, tum Trinitas erit ſine Deo, quod abſurdum eſt. At nos negamus conſequentiam. I. Quia perſonæ nec ſine eſſentia, nec extra ipſam ſunt. Adeoque Pater non eſſet Pater, nec Filius eſſet Filius, niſi uterque eſſet Deus. proinde Trinitas non eſt ſine Deo. II. Cum Trinitatis nomen ad Perſonas

propriè pertineat, abſurdum eſt in ipſa diſtinctione complecti eſſentiam, alioquin partes inter ſe commiſtæ conciderent, quod in omni diſtinctione eſt vitioſum; niſi Filii & Spiritus eſſentiam velint exinanire, quod eſt impium. III. Si Pater & Deus, ſive eſſentia divina eſſent Synonima, atque hoc reſpectu Pater eſſet Deificator, nihil jam Filio reſiduum maneret pręter umbram, nec aliud eſſet Trinitas, niſi conjunctio unius Dei cum duabus rebus creatis: quod eſt commentum abſurdiſſimum. S. 25.

89. Quæ ex Irenæo, Tertulliano, aliisque Patribus adferre ſolet, præter mentem eorum malitioſe detorquentur. Patet enim omnes Filii Deitatem ultrò agnoſcere, & pro ea aſſerenda contra Hæreticos operosè diſputare. Irenæo res erat cum phreneticis, negantibus Patrem Chriſti eſſe illum Deum, qui per Prophetas olim locutus fuerat. Tertullianus eos oppugnat, qui plures eſſe Deos confingebant. Vterque unitatem eſſentiæ aſſeruit, Neuter perſonarum diſtinctionem negavit, aut Filium & Spiritum Sanctum à Deitate excluſit. Reliqui Patres in hac doctrina conſenſum fatentur, & à calumnia ſatis ſeipſos purgant. Sect. 27, 28, 29.

90. Hactenus nænias adverſariorum diſcuſſimus, calumnias refutavimus, totam doctrinæ ſummam fideliter explicavimus, à curioſis & perplexis diſputationibus abſtinuimus, quia ſatis fuit Eccleſiæ ædificationi ſtudere. S. 29.

COROLLARIVM.

Quæſtio. An ſemper generet Pater?

Reſp. Stultè fingitur continuus actus generandi, ex quo liquet ab æterno tres in Deo perſonas ſubſiſtere. S. 29.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

DISPVTATIO VI,

De Creatione Mundi in genere, itemque de Angelis tum bonis, tum malis.

Ex lib. 1. cap. 14.

1. HActenus quid ſit verus Deus, & quomodo ab omnibus idolis, & fictitiis numinibus diſcerni debeat, ſatis ſuperque ex Scriptura demonſtratum eſt. Idem ex rerum omnium creatione diſcere nos oportebat. Sed ſocordia idololatrarum, & ingenii noſtri tarditas, denique evanidæ Philoſophorum hac de re ſententiæ, denuo ad Scripturam nos revocant, ut non alium Deum quærat fides, quam qui in Scripturis, præſertim à Moſe, nobis propoſitus eſt, omnium rerum conditor & opifex. S. 1.

2. Huc pertinet primùm hiſtoria creationis, in qua tum tempus, tum modus, & ordo creationis potiſſimum conſideratione dignus eſt. Temporis annotatio primam humani generis, & rerum omnium originem proponit, atque ita rejectis Ægyptiorum fabulis, ex cognito mundi exordio, ad Dei æternitatem nos deducit, & in ſui admirationem rapit. S. 1.

3. Quod verò nonnulli cavillantur, mirum eſſe, cur Deus creationem tam diu diſtulerit, & tantum ſpatium otioſus præterfluere ſiverit, profana & impia eſt ſubſannatio. Nec male protervis iſtis per ludibrium quærentibus, quid ante creatum mundum egiſſet Deus, pius quidam ſenex reſpondit, fabricaſſe inferos curioſis. Et revera, tandem horribili interitu ſentient, quantò ſatius fuerit, arcana Dei conſilia reverenter ſuſcipere, quam blaſphemias iſtas emovere. S. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

4. Noſtrum eſt iis cancellis nos continere, quibus Deus nos circumſcribere voluit. Et cum Moſis hiſtoriam nobis propoſuerit ſpeculi loco, in quo viva ejus effigies reluceret, ſatis erit ducem Scripturam ſequi, ne, quæ noſtra eſt imbecillitas, ſtatim noxiis ſpeculationibus evaneſcamus. S. 1.

5. Rectè enim Auguſtinus conqueritur, gravem Deo fieri injuriam, ubi ſuperior ejus voluntate flagitatur rerum cauſa. Nec minus ſtultum eſt de immenſis temporum, quam locorum ſpatiis, quæſtionem movere. Sicut enim petulantiæ eſſet, cælorum dimenſionem in dubium vocare, quia centuplo ſuperet vacuitas, non minus furioſum foret, creationem mundi negare, quia neſcimus, quid ante illam Deus egerit. S. 1.

6. Sufficiat nobis, in tam ampla cœli terræque circumferentia, & ſex millium annorum gubernatione, ſat multa occurrere documenta, quæ omnes ſenſus noſtros abſorbeant, & in quorum meditatione mentes noſtræ habeant, ubi ſe exerceant. S. 1.

7. Ad circumſtantiam temporis quoque pertinet, quod non momento, ſed ſex diebus, totum creationis opus fuit abſolutum: ſic enim denuò ab omnibus figmentis mentes noſtræ ad unicum Deum colliguntur. Præterea diſcimus tanto attentius in Dei & operum ejus intuitu verſari: denique occurritur humanæ rationi, quæ tales progreſſus à Dei potentia fingit eſſe alienos. Atqui ſanctificatio diei ſeptimi invitat ad ſpiritualem quietem, & docet nos ſubigere rationem in fidei obſequium. S. 2.

8. In modo & ordine illud diligenter expendendum, quod non ante creavit Adamum, quam mundum omni bonorum copia locupletaſſet, So-

lis &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

lis & aſtrorum motus ad uſus humanos diſpoſuiſſet; terram, aquas, & aërem animalibus repleviſſet; fructuumque omnium abundantiam, quò alimenta ſufficerent, produxiſſet. In quibus tum providi Patris-familias curam ſuſcepit, tùm paternum erga nos amorem oſtendit. S. 2.

9. Nec omittendum, quod in eadem hiſtoria æternam Sapientiam & Spiritum proponit, ne alium Deum ſomniemus, quam qui in expreſſa illa imagine agnoſci voluit. Ex quibus conſtat Moſen certum unius Dei teſtem & præconem fuiſſe. S. 2.

10. Cæterum cum inter creaturas potiſſimum excellant Angeli & homines, horum præcipua ratio habenda nobis eſt. De Angelis autem primum agemus, quos & eſſe, & creaturas eſſe, & ad juſſa Dei exequenda ordinatos, minimè dubium eſſe poteſt. S. 3.

11. Etſi enim Moſes in prima rerum creatione, Angelorum non meminerit, quòd populariter nobiſcum loqui, nec alia Dei opera commemorare voluerit, quam quæ oculis noſtris occurrunt; facilè tamen eſt colligere, quando ſtatim Angelos Dei miniſtros inducit, eorundem Deum eſſe conditorem & dominum, cui ſuam operam & officium impendunt. S. 3.

12. Deinde cum alibi de his Scriptura diſertè loquatur, & hęc doctrina multum proſit ad Deum ex ſuis operibus cognoſcendum, minimè omitti aut ignorari debet tam præclarum & nobile divinorum operum ſpecimen. S. 3.

13. Adde, quod hæc doctrinæ pars neceſſaria eſt refutandis erroribus, tum Angelolatrarum, qui divinitatem Angelis ob præſtantiam affinxerunt; tùm Manichæorum, qui duo principia fabricarunt,

runt, Deum & diabolum; illum bonarum rerum, hunc malarum autorem. S. 3.

14. Atqui, ſi hoc delirium verum eſſet. 1. Deo eriperetur laus debita creationis. 2. Diabolo tribueretur æternitas & αὐτεσία, adeoque ipſa Divinitas. 3. Deus privaretur Omnipotentia, ſiquidem ipſo invito poſſet diabolus exequi, quidquid voluerit. S. 3.

15. Objiciunt quidem, nefas eſſe bono Deo aſcribere ullius rei malæ creationē; proinde aliud principium ſtatui oportere. Sed errant 1. quia ſupponunt malam naturam conditam in rerum univerſitate: quod negamus. 2. Quia quæcunque pravitas aut malitia invenitur, non eſt ex natura, ſed ex naturæ corruptione. S. 3.

16. Interea in his explicandis, tenenda erit ſobrietatis & modeſtiæ regula, ne de rebus obſcuris aliud vel loquamur, vel ſentiamus, vel ſcire appetamus, quam quod verbo Dei fuerit traditum: deinde iis quoque in lectione Scripturæ nobis erit immorandum, quæ ad ædificationem pertinent. Ideo multa vel ſubticet Spiritus S. vel leviter tantum attingit, quia nos non in frivolis quæſtionibus; ſed in ſolida pietate, timore ſui, vera fiducia, & ſanctitatis officiis, erudire voluit, in qua ſcientia nobis eſt acquieſcendum. S. 3. 4.

17. Abſtinebimus ergo, imo abhorrebimus à vanis omnibus ſpeculationibus, de angelorum natura, ordinibus, & multitudine, quibus Dionyſii Hierarchia referta eſt, quas ſi propius excutias, ſubtiliter & argutè putes eſſe diſputatas, meram tamen eſſe garrulitatem deprehendes, aptam auribus oblectandis, non conſcientiis docendis & confirmandis. Longè aliter Paulus, qui cum raptus eſſet uſq; in tertium cœlum, non modo nihil tale

tale prodidit; ſed teſtatus eſt, nefas eſſe hominem loqui ea, quæ viderat arcana. S. 4.

18. Ac primum quidem de tempore vel ordine, quo creati fuerunt angeli, contentionem movere nihil eſt neceſſe. Satis nobis ſit, quando Moſes narrat terram eſſe perfectam, & cœlos perfectos, cum omni exercitu eorũ, præter aſtra & planetas, alios quoque cœleſtes exercitus conditos fuiſſe, etſi, quoto die eſſe cœperint, ignoremus. S. 4.

19. Deinde ſciendum nobis eſt, angelos eſſe cœleſtes Spiritus, quorum miniſterio & obſequio Deus utitur ad exequenda omnia, quæ decrevit. Quorſum pertinent attributa, quibus inſigniuntur. Nam vocantur I. Angeli, quod illos, tanquam internuntios, Deus adhibet, per quos ſe hominibus manifeſtat. II. Exercitus, quia ut ſatellites, principem ſuum circumdant, ejus Majeſtatem exornant & conſpicuam reddunt, inſtar militum ad ſignum ducis ſui ſemper intenti ſunt, parati denique & expediti ad capeſſenda illius mandata, Dan. 7. 10. III. Virtutes, quoniam fortitudinem manus ſuæ per ipſos Deus mirabiliter exerit. IV. Principatus, poteſtates, dominationes, &c. quia imperium ſuum in mundo Deus per ipſos exercet & adminiſtrat. V. Throni, quod in illis quodammodo reſidet gloria Dei, Col. 1. 10. Eph. 1. 21. VI. Denique Elohim ſive dii, quia Dei ſummi regis & judicis vices gerunt in ſua functione, & in eorum miniſterio, tanquam in ſpeculo, Dei præſentiam adeoque divinitatem aliqua ex parte nobis repræſentant. Si enim magiſtratibus id honoris in ſcriptura datur, ut Dii vocentur, Pſal. 82. 6. longe major cauſa eſt, cur idem nomen deferatur angelis, in quibus divinæ gloriæ claritas multo abundantius elucet. S. 5.

20. Illud vero maximè ad conſolationem & fidei noſtræ confirmationem facit, quod Scriptura paſſim Angelos teſtatur eſſe divinæ erga nos beneficentiæ diſpenſatores & adminiſtros, qui pro ſalute noſtra excubent, noſtri defenſionem ſuſcipiant, vias noſtras dirigant, ſolliciti ſint, ne quid adverſi nobis accidat. Vide Pſal. 91. 11. Pſ. 34. 8. exempla ſunt, Geneſ. 16. 9. & 24. 7. & 48. 16. Exod. 14. 19. & 23. Matth. 4. 11. Luc. 22. 43. Matth. 28. 5. 7. Luc. 24. 5. Act. 1. 10. & 12. 7. 2 Reg. 19. 35. S. 6.

21. An vero ſingulis fidelibus ſinguli Angeli ad eorum defenſionem ſint attributi, dubitari poteſt. Qui affirmant, ſolent citare locum Dan. 10. 13. 20. & 12. Vnde videtur ſequi, certos Angelos regnis & provinciis quaſi præſides eſſe deſtinatos. Item Matth. 18. 10. quo loco Angeli puerorum dicuntur ſemper videre faciem patris. S. 7.

22. Sed ex illis nondum videtur conſequens, unicuique ſuum præeſſe Angelum: cum ex Scriptura conſtet, non unum tantum Angelum, ſed omnes uno conſenſu vigilare pro ſalute noſtra. omnes enim gaudẽt ſuper uno peccatore, Luc. 15. 7. Plures Angeli animam Lazari deferunt in ſinum Abrahæ, Luc. 16. 23. Currus ignei & multitudo Angelorum tuentur Eliſæum, 2 Reg. 16. 17. S. 7.

23. Objici ſolet ex Act. 12. 15. de Angelo Petri. Sed vel ex communi opinione ſic loquuntur, vel ſpeciale hîc quiddam accidit, ut tunc uni peculiariter Angelo Petri cura mandata ſit, qui tamen non fuerit perpetuus ejus cuſtos. S. 7.

24. Concludimus, anxia hujus rei inveſtigatione opus non eſſe. Illud magis conſolationi noſtræ inſervit, quod ſcimus, omnes cœleſtis militiæ ordines pro nobis excubare. Et cum promiſſæ

nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nobis ſint ingentes auxiliares copiæ, quæ nos undique cingant & cuſtodiant, non videtur ſine injuria Eccleſiæ & fidelium perpetua Dei cura ad unum Angelum poſſe reſtringi. S. 7.

25. De multitudine & ordinibus Angelorum quidpiam definire, nimię fuerit audacię. Etſi enim Michaëlis & Gabrielis atque Archangeli fiat mentio in S. Literis, Dan. 12. 1. Luc. 1. 19. 26. Iud. verſ. 9. 1. Theſſ. 4. 16. difficile tamen eſt, ex eo ſingulis honorum diſtinctos gradus, locum & ſtationem aſſignare. S. 8.

26. Quantum ad numerum eorum, conſtat, valde magnum eſſe, Chriſtus enim meminit 12 legionum, Matth. 26. 15. Daniel multas vidit myriadas, Dan. 7. 10. Eliſæus & puer ejus plenos currus, 2 Reg. 16. 17. David ingentem multitudinem innuit, quando ait, eos caſtra metari in circuitu timentium Deum. S. 8.

27. Quoad formam, certum eſt, eos, cum ſint ſpiritus, carere forma. Etſi enim ſub nomine Cherubim & Seraphim ignei & alati nobis depingantur, accommodata tantum eſt loquendi formula, ad ingenii noſtri modulum, ut eorum pernicitas, & ad nos juvandos incredibilis celeritas exprimeretur. Sed in his myſteriis, quorum plena revelatio in ultimum diem differtur, præſtat nimiam vel in quęrendo curioſitatem, vel in loquendo audaciam cavere. S. 8.

28. Porro Sadducæorum error craſſa fuit ignorantia & verum delirium. Negabant, Angelos eſſe ſubſtantias ſpirituales; ſed docebant, tantum eſſe motus, quos Deus hominibus inſpirat, vel ſpecimina duntaxat virtutis ſuæ. S. 9,

29. At his repugnat, quod multæ myriades & legiones Angelorũ recenſentur, qui Deo aſſiſtunt.

Tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Tum vero ejuſmodi res illis tribuuntur, quæ non niſi naturæ ſubſiſtenti conveniunt. Dicuntur enim gaudere, Luc. 5. 10. manibus nos ſuſtinere, Pſal. 91. 11. Miniſtrare Chriſto, Matth. 4. 16. Luc. 4. 10. animas deferre in quietem, Luc. 16. 22. Videre faciem Patris, Matth. 18. 10. Adde quod in manu eorum lata ſit lex, Act. 7. 15. Gal. 3. 19. quod Angelis futuri ſimus ſimiles, Matth. 22. 30. quod ne Angeli quidem norint diem judicii, Matt. 24. 37. Et cum Angelis venturus eſt Chriſtus, qui congregabunt electos, Luc. 9. 26. Matth. 25. 31. Paulus Timotheum coram Chriſto & Angelis atteſtatur, 1 Timoth. 5. 21. Chriſtus factus eſt excellentior Angelis, Hebr. 1. 4. non aſſumpſit Angelos, Hebr. 2. 16. Item ſtatuuntur Angeli una cum fidelibus in regno Dei, Hebr. 12. 12. Et mirantur Dei gratiam, 1 Pet. 1. 12. ſubſunt capiti ſuo Chriſto, Hebr. 1. 6. Apparuerunt olim Patribus ſub forma hominum, loquuti ſunt, & excepti hoſpitio: Chriſtus denique in perſona Mediatoris Angelus vocatur. In his certe nemo motum aut merum accidens intelliget. Eſt ergo illa ſtulta & abſurda opinio. S. 9.

30. Sequitur de cultu Angelorum, de quo nobis neceſſariò eſt agendum, quia nullum ferè antiquius vitium, teſte Paulo, Col. 2. 18. Et facilis hîc eſt lapſus, exemplo Iohannis, Apoc. 19. 10. & 22. 8, 9. Nec mirum eſt; cùm dicantur omnium bonorum miniſtri & præbitores, cumque in iis refulgeat divini numinis fulgor; ſi principio quidem in illorum admirationem rapiantur homines, nihilque non honoris deferendum illis putent, poſt etiam, quæ ſoli Deo & Chriſto debentur, in illos transferant. S. 10.

31. At 1. hanc ſuperſtitionem refutat Paulus ad

Coloſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Coloſ. 2. 18. & 1. 16. Quibus locis non tantum Angelorum cultum prohibet; ſed hoc quoque urget, Chriſtum omnibus Angelis eſſe anteferendum: quippe quibus bonorum omnium ſit author, ut non minus illis, quam nobis, ex eodem fonte hauriendum ſit. II. Angelus ipſe Apoc. 19. & 22. non permiſit ſe adorari, addita duplici ratione, quia ſit Iohannis conſervus; & quod ſolus Deus ſit adorandus. III. Conſideremus finem, cur Deus utatur Angelorum miniſterio, non certè, quod ex neceſſitate illis indigeat (quandoquidem illis præteritis, quoties ipſi libet, opus ſuum vel ſolo nutu peragit) ſed potius, dum videmus, tot periculis & hoſtibus nos circumſideri, ne trepidemus aut deſperemus; ſed in Angelis Dei præſentiam apprehendamus, certique ſimus de Dei tutela, qui nos tam multorum ſatellitum præſidio circumcinctos eſſe voluit. Vnde non tantum cum Eliſæo firmiter credemus, plures eſſe pro nobis, quam contrà nos; ſed etiam cum puero illius, quamvis hoſtium multitudinem facilè contemnemus. Quo poſito, ſequitur præpoſterè homines abduci à Deo, cum potius Angeli nos recta manu ad Deum adducant, ut ipſum ſolum auxiliatorem ſpectemus, & in uno Mediatore Chriſto acquieſcamus, cujus ſolius interceſſione etiam Angelorum miniſteria ad nos pertingunt: Quod ipſum olim in ſcala Iacobi fuit adumbratum, Gen. 28. 12. Iohan. 1. 51. IV. Huc pertinet exemplum ſervi Abrahæ, qui Angeli cuſtodiæ commendatus, tamen ipſum non invocat, ſed ea commendatione fretus, preces fundit coram Domino, cujus miſericordiam implorat. V. Denique ſicut Deus non facit Angelos potentiæ & bonitatis ſuæ miniſtros, ut ſuam cum illis gloriam partiatur, ita nec opem

ſuam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſuam in illorum miniſterio promittit, ut noſtram fiduciam inter Deum & illos dividamus. Proinde valeat illa Platonica Philoſophia, de quærendo aditu ad Deum per Angelos, hoc fine colendos, ut Deum faciliorem reddant. Hæc enim ſuperſtitioſorum hominum mera vanitas eſt & inſania. S. 12.

32. Hactenus de Angelis bonis. Nunc etiam de malis & de Diabolis diſſerendum eſt. Horum nomina in Scripturis varia memorantur. Satan enim vocatur princeps hujus ſæculi, 2 Cor. 4. 4. Ioh. 12. 31. Et fortis armatus, Matth. 12. 29. Spiritus, cui eſt poteſtas aëris, Eph. 2. 2. Leo rugiens, 1 Pet. 5. 8. Paulus Diabolos vocat principes aêris, poteſtates tenebrarum, & ſpirituales nequitias, Eph. 6. 12. Vnde conſtat, eſſe hoſtem audacia promptiſſimum, viribus robuſtiſſimum, artibus callidiſſimum, diligentia & celeritate infatigabilem, machinis omnibus refertiſſimum, pugnandi ſcientia expeditiſſimum. S. 13.

33. Nec omittendum, quod adverſarius Dei & noſter ubique dicitur: cujus rei exemplum dedit in ſeductione Adami, per quam Deum juſto honore voluit ſpoliare, hominem autem in ruinam præcipitavit, Gen. 3. Idem zizania ſpargit, ad corrumpendum ſemen vitæ æternæ; unde inimicus dicitur, Matth. 13. 28. Item homicida, Ioh. 8. 44. qui peccavit ab initio, 1 Ioh. 3. 8. natura pravus & malignus, omnis malitiæ author, dux, & architectus, ut ex mendaciis, erroribus, odiis, contentionibus, pugnis, quas ſuſcitat, aliisque ejus factis experimur. S. 15.

34. Hanc ipſam tamen malitiam, quam naturæ ejus tribuimus, non ex creatione, ſed ex depravatione habet, defectione & lapſu accerſitum malum. Id Christus docet, quando Satanam pronuntiat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nuntiat, quoties mendacium loquitur, ex propriis loqui; cujus rationem adfert, quia in veritate non ſteterit. Vnde conſequitur, eum in veritate aliquando fuiſſe. Ideo enim quoque patrem facit mendacii, Ioh. 8. 44. Sed clariſſimè idem teſtatur Petrus Epiſt. 2. cap. 2.4. & Iudas ℣.6. Angelos non ſervaſſe ſuam originem, ſed reliquiſſe ſuum domicilium: denique Paulus electos Angelos nominans, haud dubie reprobis tacitè opponit: Quod ideo notandum, ne Deo conditori malitiam aſcribamus, cujus ipſe Diabolus ſibi cauſa fuit. S. 16.

35. Qui cauſam, modum, tempus, & ſpeciem lapſus putant debuiſſe diſtinctè & ordine in Scriptura exponi, quærunt unde paſcant curioſitatem ſuam, cum nec illa magnopere ad nos pertineant, & ſatis eſſe debeat, breviter nobis indicatum, Angelos prima creatione fuiſſe bonos, ſua culpa factos eſſe malos, & aliis inſtrumenta perditionis: hoc enim abundè ſufficit, ut Dei Majeſtas ab omni calumnia vindicetur. S. 16.

36. Ad numerum quod attinet, magnas eſſe copias denuntiat Scriptura. Ex Maria Magdalena ſeptem ejiciuntur Dæmonia, Marc. 16. 9. Et ejectum Dæmonium ſeptem nequiores dicitur aſſumpſiſſe, Matth. 12.45. Item legionem Dæmonum poſſediſſe unum hominem, Luc. 8. 30. Nec obſtat, quod Satan ſæpius numero ſingulari legitur. Sic enim denotatur factio & principatus iniquitatis, qui regno Chriſti, tanquam Eccleſiæ capiti, adverſatur. Quo ſenſu Diaboli, & Angelorum ejus fit mentio, Matth. 25. 41. S. 14.

37. Quæ de potentia Diaboli diximus, ejusque perpetuo certamine cum Deo, ſic accipere oportet, ut fixum maneat, illum niſi volente & annuente

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

annuente Deo nihil facere poſſe. Hinc dicitur ſe ſiſtere Deo, ad excipienda ejus mandata; nec Iobum aggredi niſi impetrata facultate, Iob. 1. 6. & 2. 1. Achabum decipit, ſed à Deo miſſus, 1 Reg. 22. 20. Spiritus malus Sauli à Deo dicitur immiſſus, 1 Sam. 16. 14. & 18. 10. Plagæ Ægyptiacæ ſcribuntur inflictæ per Angelos malos, Pſ. 78. 49. Et generatim Paulus excæcationem incredulorum teſtatur opus eſſe Dei, cum antea vocaſſet operationem Satanæ, 2 Theſ. 2. 9. 11. Totum ergo hoc certamen Satanæ à Dei permiſſione pendet; ita ut nihil omnino poſſit ſine Dei nutu, imo velit, nolit, maneat ſub Dei poteſtate, eique obſequi & miniſterium ſuum præbere cogatur. Quod ergo cupiditate, propoſito, conatu, reluctatur Deo, hoc habet à ſe ipſo & à ſua nequitia: quoad effectum, nihil exequi poteſt, niſi divinitus conceſſum fuerit. Sect. 17.

38. Deinde operæ pretium eſt diſtinguere inter fideles & infideles. Fideles enim patitur Deus oppugnari à Satana, urgeri, conturbari, & vulnerari interdum; in animas tamen eorum nullum Satanæ regnum concedit, nec unquam eos vinci aut opprimi patitur, ſed tandem lætam victoriam largitur. S. 18.

39. Ad certamen pertinent hortationes, quæ ad pugnandum fortiter invitant, Epheſ. 4. 27. & 6. 11. 1 Pet. 5. 8. 2 Cor. 12. 7. De victoria teſtantur promiſſiones, earumque complementum; primum quidem in Chriſto capite, tum etiam in Eccleſia & membris ejus, Gen. 3. 15. Luc. 10. 18. & 11. 21. Rom. 16. 20. S. 18.

40. Neque tamen hanc victoriam referre convenit ad ſingulos actus. David enim impulſu Satanæ numerat populum, 2 Sam. 24. 1. & Paulus memi-

meminit eorum, qui irretiti ſunt Satanæ laqueis, quibus tamen ſpem veniȩ facit, 2 Tim.2.26. Idem promittit contritionem Satanæ, ſed poſt luctam, Rom.16.20. Inchoatur ergo hic victoria, ſed plene tandem implebitur & perficietur, poſt conſummatum curſum. S. 18.

41. Quoad incredulos & impios, quos in grege ſuo Deus cenſeri non dignatur, illos Satanæ gubernandos tradit, ita ut eos ſubactos trahat, in eorum animis & corporibus imperium exerceat; ad omnia flagitia veluti mancipiis utatur. Eo ipſo eteñim, quod mundi princeps exturbari dicitur à Chriſto, innuitur ipſum mundum occupaſſe, Iohan.12.31. Dicitur etiam Satan excæcare incredulos, & agere opus ſuum in filiis contumaciȩ, Eph.2.2. Vocantur impii vaſa iræ, quoniam divinæ ultionis miniſtro ſubjiciuntur, Rom.9.22. Denique ex patre Diabolo, & filii ejus eſſe dicuntur, Ioh. 8. 44. 1. Ioh. 3. 8. nempe quia in Satanæ imaginem planè degenerarunt. S. 18.

42. Supereſt, ut erroneam de Diabolis opinionem refutemus, quaſi nihil aliud ſint, quam malæ inſpirationes, aut perturbationes, aut effectus pravi qui nobis à carne noſtra ingeruntur. Sed repugnat I. Quod vocantur Spiritus immundi, & dicuntur ab origine peccaſſe, Matth.12.42. Iudæ ℣.6. 2 Petr.2.4. 1 Iohan.3.8. Ergo ſunt Spiritus ſubſiſtentes, quos à pravitate affectuum convenit diſtinguere. II. Comparantur filii Diaboli cum filiis Dei, introducuntur pugnantes cum bonis Angelis, cum iiſdem dicuntur comparere coram Deo & loqui, ingredi in gregem, eundemque prȩcipitare in mare, Iudæ ℣.9. Iob. 1. 6. & 2. 1. Matth. 8. 31, 32. quæ ſtultum eſſet malis tantùm inſpirationibus aptare. III. Cum toties fiat mentio

pœnarum,

pœnarum, quas jam Diaboli ſentiunt ex Dei judicio, plenius ſenſuri in ultimo die, Matth. 8. 29. & 25. 41. 2 Petr. 2. 4. ſequitur, Diabolos reipſa ſubſiſtere, utpote pœnarum iſtarũ ſubjecta. Concludimus, hoc errore nihil perniciosius, qui dum metum hoſtium iſtorum nobis excutit, ad pugnandum reddit ſegniores & incautiores. S. 19.

43. Hactenus de Angelorum malorum natura dictum fuit, quantum ſatis eſt. Vſus hujus doctrinæ multiplex eſt. I. Vt quæ de Diabolorum pravitate & malitia intelleximus, nos ſollicitos, cautos, & vigilantes reddant ad præcavendas eorum inſidias & molitiones, Epheſ. 6. 12. 1 Petr. 5. 18. Quò etiam pertinet infinita hoſtium multitudo, ne dum paucitatem imaginamur, vel remiſſiores ſimus, vel ex præſumta intermiſſione deſidiæ indulgeamus. II. Vt armis nos inſtruamus ad propulſandos hoſtes potentiſſimos, ne opprimamur ignavia; ſed erectis animis ad finem uſque in hac militia fortiter perſeveremus, quæ non niſi morte terminatur. III. Ex nomine adverſarii monemur perpetuum & irreconciliabile cum Diabolo certamen gerere. Debet enim nobis eſſe cordi Dei gloria, & regnum Chriſti, cujus ille exſtinctionem molitur: debet quoque nos tangere ſalutis noſtræ cura, in cujus perniciem aſſiduè conſpirat. IV. Vt imbecillitatis & ruditatis noſtræ conſcii, Dei opem tantò ardentius invocemus, nihil tentemus, niſi ipſo freti, peſſimum denique hoſtem minimè metuamus, quem Chriſtus jam devicit, & tandem ſub pedibus ſuorum conteret. S. 13. 18.

44. Et hæc de Angelis nobiliſſimo creationis opere dicta, ſufficiant. Sed enim priuſquam de homine agimus, paucis tota creationis hiſtoria percurrenda, & in quem ſcopum referri debeat,

mon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

monſtrandum eſt. Etſi enim hoc creationis theatrum non ſit præcipuum, eſt tamen ordine naturę primum fidei documentum. De qua quid potiſſimũ ſcire noſtra refert, à Moſe breviter eſt expoſitum, & à viris ſanctis copiosè illuſtratum. S. 20.

45. Summa hæc eſt. Deum Verbi & Spiritus ſui potentia, ex nihilo creaſſe cœlũ & terram; utrumque omnium rerum copia, varietate, pulchritudine exquiſitiſſima exornaſſe, & mirabili ſerie diſtinxiſſe; ſuam unicuique rei naturam & vires indidiſſe: ſingulis aſſignaſſe officia, loca, ſtationes; ſingularum ſpecierum conſervationi providiſſe; denique hominem & quidem talem formaſſe, in quo præclariſſimum operum ſuorum ſpecimen extare voluit. S. 20.

46. Scopus duplex eſt. Primus, ut in cognitione, contemplatione, & memoria immenſæ ſapientiæ, juſtitiæ, bonitatis, & potentiæ Divinæ nos jugiter exerceamus. Cui repugnat ingrata vel incógitantia vel oblivio. Hujus contemplationis exemplum nobis eſt propoſitum in ſtellarum multitudine ac ſerie, & aliquarum quidem immobilitate, aliarum verò motu; unde dierum, noctium, menſium, & annorum detur menſura: tali tamen temperamento, ut in ſumma inæqualitate nulla ſit confuſio. Item in ſuſtentatione tantæ molis, & celeri cœleſtis machinæ gubernatione, aliiſque ſimilibus. Breviter, tot ſunt Divinæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis documenta, quot ſunt in mundo rerum ſpecies, ſive magnæ ſint, ſive exiguæ. S. 21.

47. Alter ſcopus ad fidem propius accedit, & ex illa contemplatione nos ad Dei fiduciam, invocationem, laudem & amorem excitat. Neque enim de Dei paterna ſollicitudine dubitare, aut in

malis

malis diffidentia trepidare licet, cum ex ordine creationis ſciamus, nos illi curæ fuiſſe, antequam naſceremur, tantam porrò omnium bonorum affluentiam dediſſe, adeoque totum orbem titulo donationis homini ſubjeciſſe. Quid verò non ſperemus & petamus ab eo, qui res omnes habet in ſua poteſtate, utpote Creator, quique nos, tanquam filios, in ſuam fidem & cuſtodiam ſuſcepit? Denique, cum tanta ejus erga nos ſint beneficia, & tanta bonitas, meritò cum gratiarum actione Dei benificentia eſt agnoſcenda, ipſe verò toto pectore amandus & colendus. S. 22.

DISPVTATIO VII,

De Creatione hominis.

Ex lib. 1. *cap.* 15.

1. POrro nobis de creatione hominis diſſerendum eſt, in quo ſapientiæ, juſtitiæ, & bonitatis ſpecimen maximè elucet, cujus cognitio ad Dei notitiam potiſſimum eſt neceſſaria. Cum autem noſtri cognitio duplex ſit; una, ut ſciamus quales ſimus à prima origine; altera, quales facti poſt lapſum; hujus quidem ſuo loco habenda erit ratio; nunc de priori nobis eſt agendum. S. 1.

2. Etenim ad rectè intelligendam naturæ noſtræ corruptelam, multum facit naturæ integræ deſcriptio. Et ſic etiam præciditur omnis tergiverſatio; juſtitia verò Dei ab inſimulatione vindicatur, ne, quod vitium à libero noſtro arbitrio extitit, in Deum, aut alio derivetur. S. 1.

3. Cæterum, hominem conſtare anima & corpore extra controverſiam eſt. Corpus ex terra & luto formatum eſſe, Scriptura docet. Atque ſic, 1. injectum fuit ſuperbiæ frenum: abſurdum enim foret,

foret, terram & cinerem de ſua excellentia gloriari. II. Cum Deus voluerit vas hoc teſtaceum eſſe domicilium ſpiritus immortalis, habuit Adam, cur in tanta Creatoris liberalitate jure gloriari poſſet. S. 1. 2.

4. Animæ nomine eſſentiam intelligimus immortalem, nobiliorem hominis partem, creatam tamen, quæ interdum Spiritus vocatur, ubi hoc nomen ſeorſim ponitur, ut Eccleſiaſt. 12.7. Luc. 23.46. Act. 4.59. S. 2.

5. Qui verò imaginantur animam ideò dici Spiritum, quia flatus ſit, aut vis infuſa corporibus, ſed eſſentia carens, eos craſsè deſipere & res ipſa & tota Scriptura demonſtrat. S. 2.

6. Rationes in adverſum multæ ſunt. I. Quia ſic ſtatuitur totius hominis mortalitas: qui error ex terrenis affectibus & tenebris mentis oritur. II. Repugnat conſcientia, quæ dum inter bonum atque malum diſcernit, & ad Dei Tribunal penetrare cogitur, terroremque ſibi ex reatu incutit, indubium eſt immortalis Spiritus teſtimonium. Hæc enim non facit motus ſine eſſentia: nec metus pœnæ ſpiritualis in corpus, ſed in animam ſolam cadit. III. Animæ noſtræ mundum cognitione Dei tranſcendunt: Ad hanc Dei cognitionem vigor evanidus pervenire nequit. IV. Mens humana omnem naturam perluſtrat, omnia ſæcula intellectu & memoria complectitur, ſingula ſua ſerie dirigit, futura ex præteritis colligit, Deum inviſibilem & Angelos intelligentia concipit, quæ recta & juſta ſunt apprehendit. At hæ actiones in corpus non cadunt. Ergo latet aliquid in homine à corpore diſtinctum. Ad hæc omnes illæ præclaræ dotes totidem ſunt immortalis eſſentiæ argumenta, V. Homo dormiens res nunquam factas cogitat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

cogitat, ea quoque quæ futura ſunt, præſagit: Iam vero ſomnus corpus obſtupefacit, & quaſi vita ſua exuere videtur. Non ergo corpore tantùm, ſed animo quoque immortali homo conſtat. S. 2.

7. Ex Scriptura res longè eſt evidentior: Nam I. Etſi anima ſit conjuncta corpori, tamen, quando audimus nos habitare domos luteas, migrare ex hoc corpore, exuere quod eſt corruptibile, ut quisque reportet in corpore, quodcumq; geſſerit; patet diſtingui animam à corpore, ad quam etiam hominis nomen, tanquam ejus partem principalem transfertur, Iob. 4. 19. 2 Cor. 5. 4. 2 Pet. I. 13, 14. 2 Cor. 5. 10. II. Paulus hortatur fideles, ut ſe mundent ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, 2 Cor. 7. 1. Duas ergo diſtinctas partes conſtituit, in quibus reſident peccati ſordes. Quò pertinet, quod cupiditates dicuntur militare adverſus animam, 1 Pet. 2. 11. Itemque quod jubemur animas purificare per obedientiam veritatis, 1 Petr. 1. 22. III. Petrus Chriſtum vocat epiſcopum animarum, 1 Petr. 2. 25. & Paulus Paſtores dicit excubare, rationemque reddituros pro animabus noſtris, Hebr. 13. 17. Habent ergo animæ noſtræ propriam eſſentiam, circa quam hoc officio funguntur. IV. Paulus diſtinguens patrem ſpirituum à patribus carnis noſtræ, luculenter eſſentiam animarũ aſſerit, Heb. 12. 9. V. Cum æterna ſit animarum ſalus, 1 Pet. 1. 9. contra fieri poſſint obnoxiæ pœnæ, 2 Cor. 1. 23. & mitti in gehennam, etiam poſt mortem corporis, Matth. 10. 28. ipſe certè ſtatus poſt hanc vitam, fœlix, vel miſer, docet animas ſubſiſtere. VI. Adde, quæ animabus noſtris extra corpus tribuuntur, ut ſunt, gaudere in ſinu Abrahæ, vel tormentis puniri, Luc. 12. 5. Dei præſentia frui, à quo abſentes

ſumus,

ſumus, dum habitamus in carne, 2 Cor. 5. 6. 8. Hęc enim demonſtrant animas ſuperſtites eſſe ſolutas corpore. VII. Sadducæorum hic fuit error, quod Spiritus & Angelos eſſe non crederent, Actor. 23. 8. VIII. Denique ab imagine Dei firmiſſimum ſumitur argumentum, cujus ſedem in anima eſſe dubium non eſt. Aliud ergo eſt anima, & à corpore diſtincta. S. 2. 3.

8. Hac occaſione nobis plenius eſt inveſtigandum, tum ſubjectũ proprium, tum vera definitio hujus imaginis. Et de ſubjecto quidem ſive ſede imaginis ſic diſputat Oſiander, ut eam tam ad corpus quam ad animam extendat, idque reſpectu ad Chriſtum, cui corpus fuerit deſtinatum, exemplar iſtius corporeæ figuræ, quæ tunc fuit formata à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. S. 3.

9. At hac ratione, I. Sermo æternus ſtatuitur imago Spiritus, quem tamen ordine præcedit, & evertitur diſtinctio inter Filium & Spiritum S. II. Non poteſt oſtendi, quomodo Chriſtus in carne ſua referat Spiritum, aut ejus ſimilitudinem exprimat. III. Sequetur, Chriſtum ſui eſſe imaginem, quia verba, *Faciamus hominem ad noſtram imaginem*, &c. Filio quoque communia ſunt. IV. Sequetur etiam, non niſi ad Chriſti hominis typum formatum fuiſſe Adamum, quem Scriptura dicit in Dei imagine creatum eſſe. V. Denique, cum Chriſtus ſit perfectiſſima imago Dei, ad quam renovamur in juſtitia & ſanctitate, imaginatio illa de figura corporis per ſe evaneſcit. S. 4.

10. Nec juvat Oſiandrum, quod totus homo dicitur creatus ad imaginem Dei. Nam totus homo dicitur mortalis, nec tamen ſecundum animam: totus dicitur animal rationale, nec tamen ſecundum corpus. Licet igitur anima non ſit totus

 homo,

homo, animæ tamen reſpectu dicitur gerere imaginem Dei. S. 3.

11. Qui exponunt, Adamum factum eſſe in imagine Dei, quia Chriſto, qui eſt unica imago Patris, conformis fuit, argutè quidem loquuntur, ſed ſolidè non demonſtrant. S. 3.

12. Nos ita ſentimus, patere Dei effigiem ad totam præſtantiam, qua hominis eſſentia eminet inter omnes creaturas. etſi enim in ſingulis mundi partibus fulgeant quędam glorię Dei lineamenta, hoc tamen hominis peculiare eſt elogium, quod ad imaginem Dei factus eſt, quæ eum ſupra res omnes extollit, & à vulgo ſeparat, exceptis Angelis, quos Moſes hoc loco cum homine non comparat, ſed tantùm viſibiles creaturas. S. 3.

13. Cum autem homo conſtet anima & corpore, utrobique libenter agnoſcimus Dei gloriam, & vel per externam ſpeciem corporis, qua homo diſtinguitur à brutis, fatemur ſimul, eum propius Deo adjungi. Imaginis tamen Dei propriè dictæ primariam ſedem in mente & corde collocamus, vel in anima ejusque potentiis; quod ex ſequentibus plenius eluceſcet. S. 3.

14. Primum hic occurrunt voces *Imaginis & Similitudinis*, quarum hæc exegeticè priori fuit addita, ut ſciremus ideo hominem dici imaginem Dei, quia Deo ſimilis eſt, vel quia Deus in homine ſeipſum, tanquam in imagine, voluit repræſentare, propter inſculptas ſimilitudinis notas. S. 3.

15. Iam verò ita creatus eſt Adam, ut polleret recta intelligentia, affectus haberet compoſitos ad rationem, ſenſus omnes recto ordine temperatos, & verè eximiis dotibus opificis ſui excellentiam referret. In hac ergo integritate, qua præditus fuit Adam, rectè ponetur imago Dei. S. 3.

16. Plena

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

16. Plena verò imaginis definitio non aliunde melius quam ex reparatione naturæ corruptæ cognoſci poteſt. Etſi enim non fuerit prorſus deleta hæc imago lapſu Adami, id ipſum tamen, quod ſupereſt, horrenda eſt deformitas. Amiſſæ ergo inſtauratio, qualis in creatione fuerit, luculentum eſt indicium. Vnde & Chriſtus ſecundus Adam vocatur, hac nimirum de cauſa, quod nos in veram integritatem reſtituit. S. 4.

17. Non obſtat, quod Chriſtus uberiorem gratiæ menſuram in regeneratiōe tribuit: quo nomine in ſpiritum vivificantem factus dicitur, cum prior Adamus in animam viventem creatus ſit. manet enim, hunc eſſe regenerationis finem, ut Chriſtus nos ad imaginem Dei reformet. S. 4.

18. Eodemque pertinet, quod novus homo dicitur creatus ſecundum Deum, & quod renovetur ſecundum imaginem ejus qui condidit eum, Epheſ. 4. 20. Col. 3. 10. Vnde patet, imaginem priſtinam ex reparatione rectè colligi. S. 4.

19. Qua in re porrò iſta imago ſita ſit, I. Paulus explicat, quando renovationem hanc ponit in agnitione Dei, deinde in juſtitia & ſanctitate. Hinc ſequitur, imaginem Dei initio in luce mentis, cordis rectitudine, partiumq; omnium ſanitate conſpicuam fuiſſe. Sicut enim in regeneratione hæc præcipuum locum habent, ita in creatione ſummum gradum tenuerunt. II. Idem docetur, 2 Corinth. 3. 18. quando fideles dicuntur revelata facie gloriam Chriſti intuentes in eandem imaginem transformari. Iam verò Chriſtus eſt perfectiſſima Dei imago, ad quam inſtauramur, ut pietate, juſtitia, intelligentia, & puritate, Dei imaginem geſtemus. Neque verò ad rem facit, quod vir ſolus imago & gloria Dei vocatur, à quo honore

mulier excluditur, 1 Cor. 11. 7. quia ex contextu patet, ad ordinem politicum hęc reſtringi. III. Porrò Iohannes monſtraturus, quam ſingulari gratia Deus hominem ſegregaverit à reliquis creaturis, aſſerit, vitam quæ in æterno Dei Sermone ab initio erat, fuiſſe lucem hominum. Non ergo vulgarem adeptus eſt vitam, ſed conjunctam cum luce intelligentiæ. qua in re imago Dei conſiſtit. Concludimus, imaginem eſſe integram humanæ naturæ præſtantiam, quæ ante lapſum refulſit in Adamo, poſt vitiata eſt & propè deleta, nunc in electis & regenitis ex parte conſpicitur, in cœlo tandem plenum fulgorem obtinebit. S. 4.

20. Eorum verò non eſt probabilis opinio, qui hanc imaginem in ſolo dominio creaturarum ponunt. Imago enim propriè quærenda eſt, nō extra hominem, ſed in ipſo homine, & quidem in anima, cujus eſt interius bonum. S. 4.

21. Animæ naturam penitius inveſtigaturis, prius Manichæorum & Oſiandri deliriis eſt occurrendum. Illi quidem ita ſentiebant, animam traducem eſſe ſubſtantiæ Dei, & veluti portionem aliquam immenſæ divinitatis, quæ in hominem fluxerit. Quo ſenſu dicebant Deum inſpiraſſe in faciem hominis ſpiraculum vitæ. At hunc portentoſum & abſurdiſſimum eſſe errorem ſic probamus. I. Si anima noſtra eſt ex eſſentia divina, ſequetur naturam Dei obnoxiam eſſe mutationi, paſſionibus, ignorantiæ, pravis cupiditatibus, infirmitati, atque adeò omne genus vitiis: conſtat enim animam noſtram variis & contrariis motibus diſtrahi, ſubinde per ignorantiam hallucinari, minimis tentationibus vinci, omnium denique ſordium eſſe receptaculum. II. Si partem eſſentiæ divinæ quisque poſſidet, tum neceſſe eſt

Crea-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Creatoris eſſentiam lacerari. III. Animas noſtras non minus creatas eſſe, quam Angelos, certò ſtatuendum eſt. At creatio non eſt transfuſio, ſed eſſentiæ ex nihilo exordium. S. 5.

22. Objiciunt I. ex Act. 17.28. nos Dei vocari progeniem. Reſp. Non ſubſtantia, ſed qualitate, quatenus divinis dotibus ſumus ornati. Object. II. Spiritum datum eſſe à Deo, & migrando ad ipſum redire. Reſp. Ex eo non conſequi, ſpiritum hominis decerptum eſſe ex eſſentia Dei. S. 5.

23. Oſiander verò nullam imaginem Dei in homine agnoſcebat ſine eſſentiali juſtitia. Cujus erroris fons, quod non putaret, nos Spiritus virtute poſſe Deo conformes fieri, niſi Chriſtus ſubſtantialiter ſe in nos transfunderet. At I. Facile eſt videre, hanc opinionem reſipere Manichæorum errorem. II. Facile refutatur ex inſtauratione imaginis, quam Paulus ait fieri Spiritus Domini virtute & operatione, 2 Cor. 3. 18. At ille non reddit nos conſubſtantiales Deo. Ergo imago non eſt ex ſubſtantiæ influxu. S. 5.

24. Plenam verò definitionem animæ ſtultum eſt petere à Philoſophis, cum plærique potentias & facultates ejus ita pręſenti vitę affigant, ut extra corpus nihil reliquum faciant. Plato quidem ſubſtantiam immortalem eſſe agnoſcit, & imaginem Dei in illa conſiderat; ſed Scriptura de his plenius diſſerit. S. 6.

25. Poſtquam enim ſtatuit ſubſtantiam eſſe incorpoream, loco propriè non comprehenſam, in corpore tamen velut ſuo domicilio habitantem, cujus partes omnes animat, organa ſuis actionibus apta reddit; ſimul & docet, primatum in regenda hominis vita obtinere, non ſolum, quo ad officia terrenæ vitæ, ſed maximè, ut ad colendum Deum excitet. S. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

26. Atque ita ſe rem habere conſtat. I. ex reliquiis hujus rei in ipſa corruptione. Patet enim hominibus maximam eſſe curam famæ: unde autem hæc niſi ex pudore? pudor verò non eſt niſi ex honeſti reſpectu. Sequitur homines ſcire, ad juſtitiam colendam ſe natos eſſe, & conſequenter ad religionem. II. Ex notitia inſculpta ipſi animæ, quod ad cœleſtem vitæ meditationem homo conditus ſit. III. Ex fine hominis, ut cum Deo conjunctus ſit. hunc finem ſi ignoraret, præcipuo intelligentiæ uſu careret. Ergo præcipua actio animæ eſt, ut ad illum finem, hoc eſt, ad ſuam cum Deo conjunctionem aſpiret. IV. Denique, quo quis magis ad Deum accedere ſtudet, eò magis probat ſe ratione præditum eſſe. S. 6.

27. Cæterum hoc melius intelligemus, ubi animæ facultates perſpectas habebimus. Primum illud ponimus, unam tantum in homine eſſe animam. Qui enim, ſenſitivam & rationalem, duas eſſe animas volunt, frivolis & inutilibus rebus ſeipſos torquent. S. 6.

28. Probabile videtur, nec tamen firmum eſt, quod ajunt, eſſe repugnantiam inter organicos motus, & rationalem animæ partem: unde duas animas eſſe colligunt. Sed in promptu eſt negare conſequentiam. Nam & ipſa ratio ſecum diſſidet, nec tamen diviſa eſt: & iſtæc perturbatio ex naturæ depravatione ortum habet. S. 6.

29. Philoſophorum varias de potentiis animæ ſententias recitare longum eſſet, nec admodum magni fructus: partim, quia nos obſcuritate ſua magis involverent, quam juvarent. partim quia duos hominis ſtatus, integrum & corruptum perperam, ex ignorantia defectionis humanæ confundunt. S. 6.

30. Sic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

30. Sic ergo, quantum ad præſens inſtitutum, ſtatuimus, ſubeſſe duas animæ humanæ partes, intellectum & voluntatem. Illius officium eſt, inter objecta diſcernere, prout unumquodque probandum, aut improbandum viſum fuerit. Voluntatis eſt eligere & ſequi bonum, quod intellectus dictaverit; aſpernari & fugere, quod ille improbaverit. Ita intellectus animæ dux & gubernator eſt: voluntas ejus nutum reſpicit, & judicium exſpectat. Ad alterutrum horum reliquæ animæ potentiæ referri poſſunt. S. 7.

31. His præclaris dotibus excelluit prima hominis conditio, ut ratio, intelligentia, prudentia, judicium, non modo ad terrenæ vitæ gubernationem ſuppeterent, ſed ad Deum ipſum & æternam felicitatem tranſcenderent, & acceſſit electio, quæ appetitus dirigeret, motusque omnes organicos temperaret, ſecundum rationis moderationem. S. 8.

32. In hac integritate, homo pollebat libero arbitrio, quo, ſi vellet, adipiſci poſſet vitam æternam. In mente enim, & in voluntate, ex creatione, ſumma fuit rectitudo, & omnes organicæ partes ritè in obſequium compoſitæ, ita ut ſtare poſſet, ſi vellet. S. 8.

33. Quod autem prolapſus eſt, inde fuit, quod in utramque partem flexibilis erat ejus voluntas, nec data ad perſeverandum conſtantia. Libera tamen fuit electio boni & mali, nec niſi propria voluntate cecidit. S. 8.

34. Hujus mutationis ignorantia facit, ut Philoſophi, dum liberam boni & mali electionem adſtruunt, in ruina & diſſipatione corruptionis, ædificium integritatis quæſiverint. S. 8.

35. Eoque minus quorundam, profeſſione

Chriſtianorum, ferendus error, qui, dum in homine perdito liberum arbitrium adhuc ſomniant, inter Philoſophorum placita & cœleſtem doctrinam partiendo, planè deſipiunt. S. 8.

36. Si quis objiciat, in lubrico hac ratione poſitum fuiſſe Adamum; proinde excuſabilem. Reſp. I. Satis datum fuiſſe Adamo, cum acceperit poſſe ſtare, ſi vellet, etſi non habuerit velle, quod ſequuta fuiſſet perſeverantia; hunc autem gradum ſatis valuiſſe ad tollendam excuſationem. II. Non fuiſſe obſtrictum Deum, ut hominem faceret, qui vel non poſſet, vel nollet omnino peccare; neque noſtrum eſſe hac de re expoſtulare cum Deo. S. 8.

37. Si quæritur, cur Deus mediam dederit facultaté, & caducam, nec eum potius perſeverantiæ virtute fulciverit? Reſp. I. hoc in Dei conſilio latere. II. nobis ſatis eſſe, quod ſciamus Deum nobis non fuiſſe obligatum. III. Hac ratione, ex Adami lapſu voluiſſe gloriam ſuam elicere. S. 8.

38. Concludimus longè alium prima creatione fuiſſe hominem, quam ſit tota ejus ſecuta poſteritas, quæ à corrupto Adamo hæreditariam labem contraxit. S. 8.

DISPVTATIO VIII, De Providentia Dei.

Ex lib. I. cap. 16. 17. & 18.

1. CVm creatione rerum omnium conjuncta eſt Dei Providentia, quæ omnia regit ac gubernat. Neque enim momentaneus eſt creator, qui ſemel duntaxat opus ſuum abſolverit, & poſt ejus curam abjecerit: nec tantùm in origine virtutem ſuam, ſed vel maximè in perpetuo mundi ſtatu demonſtrare voluit. c. 16. S. 1.

2. Eſt

2. Eſt autem hæc potiſſimum doctrina fidei, utpote quæ ſola Deo veram ſolidamque creationis laudem aſſignat, Heb. 11. 3. Quo ipſo præcipuè à prophanis hominibus fideles diſcerni convenit. cap. 16. S. 1.

3. Etſi enim impii quoque ex cœli terræque aſpectu creationem agnoſcant, & arcana Dei inſpiratione vegetari omneis mundi partes, etiam philoſophi doceant, noſque *in Deo eſſe, moveri, & vivere*, tamen nec hi ad ſpecialem Dei gratiam paternumque favorem pertingunt, nec illi rectè capiunt, quid ſit Deum eſſe creatorem; ſed ubi Dei virtutem in creatione ſibi propoſuerunt, illic ſubſiſtunt. Et ſi quis longiſſime procedit in opificio hoc conſervando ac movendo, non niſi generalem aliquam actionem ſomniat, unde ſcilicet vis actionis dependeat. Denique ad res omnes ſuſtinendas ſufficere putant vigorem divinitus ab initio conditum. c. 16. S. 1.

4. At fides altius penetrat, & quem creatorem eſſe didicit, etiam perpetuum conſervatorem ac moderatorem eſſe colligit, neque id univerſali tantum quadam motione, ſed ſingulari providentia, qua unumquodq; eorum quæ condidit, etiam ſuſtinet, fovet, & curat, Matth. 6. 26. & 10. 29, 30. Act. 17. 28. Pſal. 104. 27, 28, 29. & Pſal. 33. 6, 13. Quo loco David, à rerum creatione, ad earum curam optima ſerie nos deducit. c. 16. S, 1.

5. Ad pleniorem hujus rei notitiam, illud primum ſciendum eſt, providentiam Dei in Scriptura fortunæ & caſibus fortuitis opponi. Nam & vulgo & omnibus ſæculis, cunctis fere mortalibus perſuaſum eſt, omnia fortuito contingere. Vnde proſperos & adverſos caſus fortunæ adſcribunt. Sed qui à Chriſto didicerunt, omnes capillos ca-

pitis noſtri numeratos eſſe, ſtatuunt, quoslibet eventus occulto Dei conſilio gubernari, Matth. 10. 30. c. 16. S. 2.

6. Quod ipſum in rebus inanimatis valdè perſpicuum eſt, quibus ſingulis naturalẽ indidit proprietatem, tamen exerendi vim ſua manu dirigit, ita ut inſtrumenta duntaxat Dei ſint, quibus tantum inſtillat efficaciæ, quantum vult, eademque ad actionem hanc vel illam pro arbitrio ſuo flectit & convertit. Exemplum habemus in Sole, cujus cum mirabiles ſint operationes in toto orbe, circa animalia, terræ ſemina, arbores, flores, &c. harum omnium tamen laudem ſibi vendicat. qui propterea terram omni herbarum & fructuum genere refertam eſſe voluit, antequam Solem crearet, ut ſciremus, quod etiam abſque Sole per ſe ipſum nihilo difficilius eadem poſſit agere, Gen. 1. Quique eundem alias fecit biduo ſubſiſtere, alias retrocedere, Ioſ. 10. 13. 2 Reg. 20. 11. ut conſtaret, non cæco naturæ inſtinctu, ſed Dei potentia ſolem oriri & occidere. Idem teſtatur varia & inæqualis partium anni diverſitas, quibus nihil magis eſt naturale, quam certa ſerie viciſſim ſuccedere, cum tamen ſingulos annos, menſes, & dies, nova & ſpeciali providentia temperari videamus. c. 16. S. 2.

7. Deinde expendenda venit Dei omnipotentia, non quæ poſſit quidem agere, ſed otioſa ſit, & ferè ſopita; non etiam, quæ generali duntaxat inſtinctu continuet ordinem, quem præfixit: ſed quæ efficax ſit & operoſa, & in continuo actu verſetur, quæque ad ſingulos & particulares motus intenta, ſic omnia moderatur, ut nihil niſi ejus conſilio accidat. Talem enim nobis præſcribit Scriptura, & ratio poſtulat. Nam 1. Pſal. 115. 3. Deus noſter dicitur eſſe in cœlis, & facere omnia, quæ vult.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

vult. At mens Prophetæ eſt conſolari pios, quia nihil accidat, niſi Dei ordinatione & mandato. Intelligit ergò voluntatem certam & deliberatam, non autem cõfuſum motum, cujus generale principium ſit Deus. Et cum ad omnia Dei opera providentiam extendat, non poteſt includi in naturæ influxu. 11. Si non niſi ſecundum perpetuam naturæ legem omnia fluunt, Deus ſua gloria, & homines utiliſſima doctrina conſolationis fraudarentur; quod certè fieri non debet. Sic enim extenuatur ſingularis erga ſingulos homines Dei bonitas, quam etiam *infantes pendentes à mammis matrum prædicant*, Pſal. 8. 3. Et cum duplex fructus ex agnitione Omnipotentię Dei promanet, quod ſcimus, tum penes Deum eſſe amplam benefaciendi facultatem in quavis occaſione, tum vero ſecurè nos in ejus tutela poſſe quieſcere contra omnes noxas, omniumque hoſtium, maximè Satanæ furias & apparatus, eo ipſo, quod omnes res creatas habeat in ſua poteſtate: ſi generalis tantum eſt providentia, neutra conſolatione frui poterimus, imò ad quævis pericula & omnes cœli, aëris, terræ, & aquarum motus neceſſe erit expaveſcere. Quem metum, ut ſuperſtitionis & infidelitatis ſignum, paſſim Scriptura prohibet, præſertim Ier. 10. 2. Itaque colligimus, non regi creaturas erratica vel potentia, vel motione, ſed arcano Dei ſcientis & volentis conſilio. c. 16. S. 3.

8. Atque ſic errores circa hanc doctrinam ſua ſponte corruunt. Multi enim nugantur de nuda præſcientia. Hac ratione Deus otioſus ſpecularetur è cœlo, quæ in mundo fiunt. Et malè pronunciaſſet Abraham, *Deus providebit*, Gen. 22. 8. Ita enim curam rei incognitæ in ejus voluntatem rejicit. Vnde ſequitur, providentiam in actu poſitam

eſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eſſe. Epicurei verò Deum otioſum inertemque ſomniant. Alii commenti ſunt, Deum ita dominari ſupra mediam aëris regionem, ut inferiora fortunæ relinquat. Sed inſaniam tam evidentem ipſæ mutæ creaturæ refutant. c. 16. S. 4.

9. Illorum probabilior viſa eſt ſententia, qui univerſalé providentiam ſtatuerunt, quæ generali motu omnia volvat, cujusque verò actionem peculiariter non dirigat. Ita fieri, ut res quæq; agere poſſit pro naturę ſibi indita ratione, ne contingentia rerum tollatur: & dum homo ſuas actiones voluntarie moderatur, ſua voluntati conſtet libertas. Denique Dei quidem potentia, ſed non deſtinatione mundum gubernari volunt. c. 16. S. 4.

10. At I. Hac ratione inter Deum & homines partiuntur, nec ipſi gloriam integram tribuunt. II. Hoc eſt confuſam, cœcam, & ambiguam moderationem Deo concedere, quod præcipuum eſt Deo adimere, ſapientiam ſcilicet, quæ omnia ad ſuum finem diſponit. III. Vnde ſequitur, verbo tantùm, non re, Deum eſſe rectorem mundi, quia moderatio eripitur. Quid enim eſt moderari, niſi ita præeſſe, ut deſtinato ordine ea regas, quibus præes? IV. Nec nos univerſalem providentiam negamus, qua nempe poſitum à ſe naturæ ordidem tuetur, ſecundum quem ſingulæ rerum ſpecies arcano naturæ inſtinctu moventur. Quo referri poſſunt dicta Ioh. 5. 17. Act. 17. 28. Heb. 1. 3. V. Sed hoc prætextu non debet obſcurari ſpecialis providentia, qua peculiarem uniuscujusque operis ſui curam gerit, vel ipſis adverſariis teſtibus, qui multa fieri peculiari providentia fateri coguntur, ſed perperam ad quoſdam actus eam reſtringunt, quæ circa omnes verſatur. c. 16. S. 4.

11. Definimus ergò providentiam, quod ſit,

qua

qua Deus ad ſingulos eventus regendos ſic attendit definito ſuo conſilio, ut nihil fortuito contingat. c. 16. S. 4.

12. Talem porro eſſe ſpecialem providentiam, probamus. 1. Ex varietate dierum, noctium, hyemis, æſtatis, frigoris, caloris, ſiccitatis, pluviarum, grandinum, itemque effectuum qui inde oriuntur, fœcunditatis, ſterilitatis, famis. Iam ſi certam tantum legem præſcripſit Deus naturæ, eundem ſemper tenorem ſervarent. Fruſtra proinde naturales cauſæ prætenduntur, cum præter harum ordinem multa contingant, in quibus neceſſe eſt peculiare Dei opus agnoſcere. Quanquam fortius urget Scriptura, quando fœcunditatem & ſterilitatem atque famem, &c. ſtatuit vel gratiæ, vel iræ Dei argumenta, ut paſſim ex lege & Prophetis videri poteſt. Vide Pſal. 146. 7. Et ne ad particularia quędam hęc reſtringantur, tenendum eſt, *Ne paſſerculum quidem cadere in terram ſine voluntate Patris*, Matth. 10.29. Et *oculos Dei aſpicere omnia quæcunq; accidunt in cœlo & in terra*, Pſal. 11. 4. 5. 11. Ex iis quæ hominem ſpectant, tùm liberi arbitrii, tùm rerum fortuitarũ reſpectu. Si enim hæc, quæ maximè contingentia videntur, ex Dei ordinatione geruntur: quantò magis reliqua? Atqui *non ab homine ſed à Deo eſt greſſus viri*, ut ne profari quidem aliquid poſſit, niſi quod Deus voluerit, Ier. 10.23. Prov. 20.24. & 16. 1. Ad hæc nec ramus defractus prætereuntem interficit, nec ſortes conjiciuntur in urnam, & inde exeunt, nec dives aut pauper quisquam eſt, nemo denique ad honores emergit aut deprimitur, ſine ſpeciali Dei providentia; Exod. 21. 13. Prov. 16. 33. & 22. 2. Pſ. 75. 7, 111. Ex ſingularibus eventibus, quæ totidem ſunt ſingularis providentiæ Dei teſtimonia.

Vt

Vt quod ventos excitat, non extraordinariè tantum, Pſal. 78. 26, 27, 28. Num. 11. 31. ſed quoties ipſi libuerit, Pſalm. 104. 4. & 107. 25, 29. & 135. 7. Quod alios relinquit orbos, alios ſobole dignatur, cum tamen vis generandi naturaliter indita ſit hominibus. Vnde fructus ventris donum Dei eſſe dicitur, Pſal. 127. 3. Gen. 30. 2. Quod alimoniam & fulcimentum panis à ſe & ſua benignitate peculiariter pendere aſſerit, cum tamen nihil magis ordinarium ſit in natura, quam pane nutriri, Deut. 8. 2. Eſa. 3. 1. Pſal. 136. 25. Quo nomine docemur panem quotidie petere à Domino, Matth. 6. 11. Denique cum oculi Domini dicantur eſſe ſuper juſtos, & injuſtos, Pſal. 34. 16, 17. quis negabit omnes creaturas præſto eſſe ad obſequium Dei, ita ut non tantum naturæ ordo continuetur, ſed in proprium finem admirabili Dei conſilio aptetur? c. 16. S. 5, 6, 7.

13. Quæ contra ſolent objici, facilè diluuntur. Ajunt primò, hac doctrina ſtabiliri dogma Stoicorum de fato. Reſp. I. Nos fati nomen non recipere, tùm quia prophanam continet novitatem, tum quia ſic gravatur veritas. II. Malitiosè & per calumniam nobis tale dogma impingi. Stoici neceſſitatem comminiſcuntur perpetuo cauſarum nexu & ſerie, quæ in natura contineatur. At nos Deum ſtatuimus moderatorem omnium, etiam conſiliorum & voluntatis hominum, qui pro ſua ſapientia ab æterno decrevit, quid facturus eſſet, & nunc potenter, quod decrevit, exequitur. S. 8.

14. Deinde concludunt, ex hac doctrina ſequi, nihil contingere aut fortuito accidere. Reſp. I. *Fortunam* & *Caſum* eſſe voces Ethnicas, quæ ab hoc negotio debent exulare. II. Quandoquidem ſucceſſus omnis eſt Dei benedictio, calamitas

ejuſ-

ejuſdem maledictio, fortunæ aut caſui nullus eſt locus. III. Cum Auguſtino dicimus, caſum poſſe vocari, cujus ratio nos latet; & per fortunam intelligi fortuitos rerum eventus: quò pertinent conſuetæ voces, fortè, fortaſſis, fortuito, &c. quibus etiam licebit uti, modo ad divinam providentiam revocentur, illudque fixum maneat, non temere verſari mundum, nihilque fieri niſi Deo ordinante, cujus nullam aliam cenſemus quærendam eſſe cauſam, niſi voluntatem Dei, & quidem actualem. IV. Dicimus, eadem, quæ Dei conſilio & certa diſpoſitione fiunt, nobis tamen eſſe quaſi fortuita. Eorum enim quæ eveniunt, ordo, finis, ratio, & neceſſitas, ut plurimum in Deï conſilio latent, & eatenus certa ſunt: ſed in natura ſua conſiderata, aut ſecundum notitiam noſtram judiciumque æſtimata, videntur nobis quaſi fortuita. Idque videre eſt in exemplis. Mercator errorę delatus incidit in latrones, & jugulatur; mors hęc quo ad Deum non præviſa tantum, ſed decreta fuit, Iob. 14. 5. quo ad hominem, & natura ſua, quicquid in morte interceſſit, fuit fortuitum. Saul deprehenſum tenens Davidem, propter ſubitam irruptionem Philiſtinorum, cogitur diſcedere, 1 Sam. 23. 26, 27. Hæc irruptio contingens fuit opinione hominum, nec tamen caſu facta, quia Deus ſic voluit Davidis conſulere ſaluti. Itidemque oſſa Chriſti ſua natura erant fragilia, quæ tamen Dei decreto frangi non potuerunt, Ioh. 19. ℣. 33, 34. Eadem eſt ratio futurorum, quæ ut contingentia & incerta nobis ſint, nihil tamen credimus eventurum, quod non Dominus jam providerit. Huc pertinet diſtinctio in ſcholis conſueta neceſſitatis abſolutæ & ſecundũ quid. Itemque conſequentis & conſequentiæ. Summa hæc eſt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eſt: Quicquid Deus ſtatuit, ſic neceſſe eſt evenire, ut tamen neque præciſè, neque ſuapte natura fuerit neceſſarium. Ex quibus colligitur; etſi fortunæ, caſus, & eventus nomina uſurpentur, nempe quia prima cauſa ab hominibus abſcondita eſt, occultam tamen Dei providentiam non poſſe deleri ex hominum cordibus, quam & Philiſtinorum Augures, licet ambigui vacillent, agnoſcere tamen coguntur, 1 Sam. 6. 9. c. 16. S. 9.

15. Cæterum, ut hæc omnia melius perſpiciamus, tenendum eſt, in quem finem omnia divinitus ordinentur, & quis rectus hujus doctrinæ uſus ſit. Cui rei hæc præſtruimus axiomata. I. Dei providentiam tam in futurum, quam in præteritum tempus eſſe conſiderandam. II: Sic res omnes moderari, ut nunc mediis interpoſitis operetur, nunc ſine mediis, nunc contra omnia media. III. Huc eam tendere, ut totum humanum genus ſibi curæ eſſe oſtendat, ſed præcipuè Eccleſiam. IV. Sic Dei favorem & judicia in toto providentiæ curſu relucere, ut interdum eorum, quæ accidunt, occultæ cauſæ ſint: exitu tamen patefieri, Deo conſilii ſui optimas conſtare rationes; vel ut ſuos erudiat ad tolerantiam, vel ut eorum pravos corrigat affectus, vel ad ſui abnegationem ſubigat, vel torporem expergefaciat; rurſum ut proſternat ſuperbos, impiorum aſtutiam diſcutiat, machinationes diſſipet: denique ut ea ipſa, quorum nos cauſæ latent, ad ſuam gloriam arcana ratione dirigat, Pſalm. 40. 6. Iohann. 9. 3. cap. 17. S. 1.

16. Ideo quietis ac ſedatis mentibus ad diſcendum parati eſſe debemus, Deique occulta judicia revereri, ita ut in ejus voluntate, tanquam juſtiſſima rerum omnium cauſa & regula lubentes acqui-

quieſcamus. Quam hic non fingimus abſolutam aliquam, qua juſtitia Dei ſeparatur ab ejus potentia, ſed illam rerum omnium moderatricem, à qua nihil niſi rectum manat, quamvis nobis abſconditæ ſint rationes. c. 17. S. 1, 2.

17. Ita enim nobis ſtatuendum eſt, Deum optimè temperare ac dirigere in rectum finem ea ipſa, quæ maximè nobis confuſa & turbulenta videntur: adeoque plus ipſi licere, quam nobis dictat ratio propria: nec æquum eſſe, ut Deum ad cauſam nobis reddendam cogamus, aut ejus opera ad calculum noſtrum revocemus, aut certè de incognitis ſententiam feramus, cum etiam de factis mortalium judicium ſuſpendere malimus, quam notam temeritatis incurrere. c. 17. S. 1.

18. Nec verò morari eorum protervia nos debet, qui nos exagitant, quod non contenti legis divinæ præceptis, quibus Dei voluntas continetur, arcanis conſiliis mundum regi ſtatuamus. Atqui non eſt cur nobiſcum litigent. Audiant Scripturam, quæ diſerte legem à judiciis Dei, & quæ nobis revelata ſunt, ab occultis ejus, & ſapiendi modum, quem hominibus præſcripſit, à ſapientia, quæ penes Deum reſidet, diſcernit, Deut. 30. 12, 13, 14. & 29. 29. Iob. 28. 21. 28. Quid quod judicia Dei nobis incomprehenſibilia & abyſſus profunda vocantur? non eo certè ſenſu, quo etiam myſteria plurima verbo continentur, quæ ſenſus noſtri modum ſuperant, ad quę tamen capienda luce verbi & Spiritu mentes noſtræ illuminantur, ſed quia voluntas Domini, & ratio, quæ res omnes gubernat, vere nobis eſt inſcrutabilis & inveſtigabilis; reverenter, dum nos latet, adoranda, Pſ. 36. 7. Rom. 11. 33. Iob. 26. 14. Auguſt. lib. 83. quæſt. cap. 27. c. 17. S. 2.

19. Nemo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

19. Nemo itaque ritè & utiliter Dei providentiam expendet, niſi ad metum & reverentiam ſe demiſerit, ſciens cum opifice ſuo rem ſibi eſſe, quem rationis humanæ terminis circumſcribere, planè eſt iniquum. Et qui ad hanc modeſtiam erit compoſitus, abuſum hujus doctrinæ non magno negotio devitabit, ſive in tempus futurum, ſive in præteritum ejus habenda ſit ratio. c. 17. S. 2, 3.

20. Prophani quidem homines turpiter hac doctrina abutuntur, minimè facturi, ſi primò didiciſſent benè expendere, quid Deo placeat. Deinde ſi paratos ſe exhiberent ſequi Deum, quocunque vocat. Ita reipſa intelligerent nihil hac doctrina eſſe utilius. Nunc ſtultè cum ſuis ineptiis tumultuantur. Alii hoc prætextu in adverſis fremunt, & deſperant. Alii ſcelerum ſuorum culpam in Deum transferunt, cujus ordinationi tanquam miniſtri ſubſerviant. Plurimi reperiuntur, qui cautiones, & media omnia clamant eſſe inania: etiam orationes fidelium eſſe ſupervacuas colligunt: denique tolli omnia in poſterum conſilia, cum jam ab æterno decretum ſit, quid fieri Deus velit. Quibus nihil poteſt dici ineptius & abſurdius. c. 17. S. 3.

21. Nam quod ad res futuras attinet, non pugnat Dei providentia cum mediis, quæ non tollit, ſed ponit citius & mandat. I. Certè Salomon deliberationes humanas cum Dei gubernatione aptiſſime connectit, Prov. 16. 9. II. Notum eſt, conſultandi & cavendi artes nobis inſpiratas eſſe à Deo, non alio fine, quam ut inſerviant providentiæ Dei: quò etiam pertinent ſubſidia & remedia, quæ Deus ſuppeditat, ut iis ad vitam noſtram tuendam utamur. III. Non uſus mediorum, ſed eorum neglectus & ſocordia divinam providen-

tiam

tiam oppugnat. Cujus rei argumentum eſt, quod viri providi conſiliis Deus benedicit, ſtultorum temeritatem punit. IV. Ideo etiam nos futura celare voluit Deus, ut tanquam in rebus dubiis non deſinamus parata opponere remedia, donec aut ſuperata fuerint, aut omnem curam ſuperarint. Faciendum ergò nobis, quod noſtri eſt officii: ſed eventus Deo eſt committendus. c. 17. S. 4.

22. Nec minus peccant, qui præteriti temporis eventus perperam ad nudam Dei providentiam trahunt. Ajunt quidem, ſi quæcunque contingunt ex ea pendent, tum vero nulla patrari peccata, quin Dei voluntas intercedat. Quo poſito, non eſſe puniendos fures & homicidas; quippe qui Dei voluntati ſerviant. At nos hoc quidem negamus: divinæ enim voluntati, in verbo revelatæ, quæ peccata prohibet, reſiſtunt. Hæc autem ſola in rebus agendis valere debet. II. Non, quid ille velit, cogitant, nec hoc fine male agunt, ut Deo, ſed ut malignæ ſuæ cupiditati obſequantur. III. Non excuſat illos, quod male agendo Dei providentiæ, tanquam inſtrumenta ſubſerviant, quibus ad exequenda judicia ſua bene utitur. Redarguuntur enim propria conſcientia, totumque in ſe malum deprehendunt, ut purgare ſeſe nequeant, nec Deum alicujus injuſtitiæ inſimulare, penes quem non niſi legitimum malitiæ ſuæ uſum reperient. IV. Nec verò, licet per malos Deus operetur, ideo in ſocietatem peccati poteſt pertrahi. Omnis enim mali & culpæ materia ſubſidet in hominibus, quæ ipſa tamen inquinare Deum nullo modo poteſt, etiam tum, quando ad ſuum arbitrium eorum utitur miniſterio. c. 17. S. 5.

23. Cæterùm has ſive calumnias, ſive phreneticorum deliria, facilè diſcutiet pia divinæ providentiæ

dentiæ meditatio, quam dictat pietatis regula, ut optimum inde fructum percipiamus. Conſiſtit autem potiſſimum in his tribus capitibus. I. Cum nihil fortuito, ſed omnia Dei diſpenſatione eveniant, ad ipſum tanquam ad præcipuam rerum cauſam eſſe reſpiciendum: cauſas tamen inferiores ſuo quoque loco etiam eſſe intuendas. II. Non dubitabit, Dei ſingularem providentiam excubare ad ſui conſervationem, quæ nihil paſſura ſit evenire, quod non in ſalutem ſuorum vertat. III. Quum partim cum hominibus, partim cum reliquis creaturis negotium nobis ſit, utrobique ſibi pollicebitur Dei providentiam regnare. c. 17. Sect. 6.

24. De cauſis inferioribus, & recto mediorum uſu ſic ſentiemus: I. Quos Deus voluerit eſſe miniſtros ſuæ erga nos bonitatis, iis gratos nos præbebimus, hac lege, ut Deum prædicemus, velut præcipuum authorem, homines honoremus, ut ejus miniſtros. II. Si jactura facta ſit noſtra vel negligentia, vel imprudentia, ſtatuemus quidem, Deo volente ſic accidiſſe, nobis tamen culpam imputabimus. III. Si quid peccatum fuerit furto, fraude, malitia, non excuſabimus prætextu divinæ providentiæ, ſed in eodem facinore Dei juſtitiam & hominis nequitiam diſtinctè contemplabimur. IV. In futuris, inferiores cauſas non negligemus; ſubſidia oblata inter Dei benedictiones reponemus; conſilia prudenter capiemus: aliorum quoque opem implorabimus: quæ commodare poterunt, tanquam legitima divinæ providentiæ inſtrumenta, nobis applicabimus: Et quamvis de exitu incerti ſimus, niſi qua eum Deo committimus, ad id maxime adſpirabimus, quod nobis utile eſſe poterimus mente aſſequi: In capiendis

tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tamen conſiliis nos Dei ſapientia & ductu regi patiemur. v. In externis vero ſubſidiis, nec ſi adſint fiduciam ponemus, nec ſi deſint, trepidabimus, ſed defixam in ſola Dei providentia mentem habebimus, exemplo Ioabi 2 Sam. 10. 12. VI. Præſertim in continua Dei invocatione perſeverabimus. VII. Denique firma ſpe omnia, quæ circumſtant pericula, ſecurè & firmiter deſpiciemus. c. 17. S. 9.

25. De ſingulari Dei providentia, præſertim quæ ſpectat fidelium ſalutem, multa loquuntur Scripturæ teſtimonia, Pſalm. 55. 23. 1 Petr. 5. 9. Pſal. 91. 1. Zach. 2. 8. Eſai. 26. 2. & 29. 15. Lucu-lentiſſime autem omnium Chriſtus, Matth. 10. 29. Quanto enim propiore cura Deus ſuis proſpicit, qui nec viliſſimos paſſerculos, nec capillos capitis noſtri negligit? c. 17. S. 6.

26. Omnes porro homines, eorumq; conſilia, voluntates, & facultates ſub Dei poteſtate eſſe, ſive conciliandi ſint eorum animi, ſive cohibenda malitia, manifeſtè liquet ex eo, quod Iſraëlitis gratiam dederit in oculis Ægyptiorum, Exod. 3. 21. Hoſtibus alias mentem adimit, ne ſana capeſſant conſilia, 1 Reg. 22. 12. alias eos tenet, ne, quod conceperint, velint aut machinentur: alias conari permittit, quod libido ſuadet, ſed impetus eorum opportune abrumpit, & ante tempus diſſipat, 2 Sam. 17. 7. 14. Omnes denique creaturas, adeoque Satanam ipſum, ſic in ſuorum ſalutem moderatur, & cohibet, ut ſine ejus mandato & permiſſu nihil poſſint, Iobi c. 5. & 2. c. 17. S. 7.

27. Ex hac notitia fructus ſequuntur admirabiles, tum proſperis, tum adverſis rebus, adeoque per omnem vitam. 1. In ſingulis rebus proſperis incitabimur ad gratitudinem, ut totum Deo ac-

ceptum

ceptum feramus, quidquid boni, ſive hominum ſive aliarum creaturarum miniſterio ad nos manavit. Agnoſcemus enim, Deum eſſe, qui per talia inſtrumenta nobis benedicere voluit. c. 17. S. 7.

28. 11. In adverſis mentem ad Deum attollemus, & ad patientiam, placidamq; moderationem componemus: Exemplo Ioſephi, Geneſ. 45. 8. & 50. 20. Iobi, Iob. 1. 21. Davidis, 2 Sam. 16. 28. Pſal. 38. 10. Sic enim Deo placet nos variis modis per Diabolum & improbos exercere, Eph. 6. 12. Ipſe interim tanquam agonotheta ſedet, & patientiam noſtram probat. Atq; hic nullũ efficacius iræ & impatientiæ remedium, quàm, omiſſa eorum qui nos læſerunt improbitate, ad juſtam Dei diſpenſationem conſcendere, ſine qua nec permiſſum, nec immiſſum fuit, quicquid in nos ſceleratè eſt admiſſum. Si vero absque hominum opera cladibus & miſeriis premimur, in memoriam veniat, eſſe juſtiſſimas Dei pœnas, quibus torporem noſtrum coarguit, ut quando beneficiis nihil aut parum profecerit, ſaltem flagellis ad reſipiſcentiam ſtimulet, Deut. 28. 2. Levit. 26. 33. Thren. 3. 38. Amos 3. 6. Eſai. 46. 7. c. 17. S. 8.

29. Hinc porro exiſtit illa fidelium ſecuritas & inæſtimabilis piæ mentis felicitas. Si enim tecum expenderis innumera, quæ vitam humanam obſident, mala, quæque totidem oſtentant mortes, quorum alia conſpiciuntur in tam variis morborum generibus, & infinitis eorum cauſis; alia in obviis periculorum occaſionibus, domi foriſque, alia in tempeſtatibus & quæ inde conſequuntur incommodis, certè non poteſt homo non eſſe miſerrimus, & in perpetua verſari trepidatione atque anxietate, præſertim ſi ſe ad cæcos & quosvis fortunæ impetus redactum ſenſerit. Quamvis enim

ex illis quædam rarò, nec omnibus, nec omnia eveniant, aliorum tamen exemplis admonemur, eadem nobis evenire poſſe. Adhæc, cum à Diabolo & ſceleratis hominibus quotidiè ſalus noſtra oppugnetur, etiam fortiſſimum quemvis protinus animo concidere neceſſe eſt. c. 17. S. 10, 11.

30. At verò ubi lux divinæ providentiæ homini affulget, non illa tantum extrema anxietate, ſed omni quoque cura relevatur ac ſolvitur. Intelligit enim, ſic Patrem cœleſtem, omnia ſua potentia, imperio, & ſapientia moderari, ut nihil niſi ex ejus deſtinatione poſſit accidere: præterea cum in fidem Dei ſit receptus, & Angelorum curæ demandatus, neque aquæ, neq; ferri, neq; ignis noxa poſſe attingi, Pſal. 91. 3. itinera & tempora noſtra eſſe in manu Dei, 1 Theſſ. 2. 18. 1 Corinth. 16. 7. Pſal. 31. 16. hoſtes etiam potentiſſimos non eſſe niſi *titiones fumantes*, Eſ. 7. 4. & veluti beluas marinas, *quas Deus hamo ſuo capit & trahit quocunq; voluerit*, Ezech. 29. 4. Diabolum deniq; & totam improborum cohortem, ſic à Deo, tanquam fræno, cohiberi, ut nec concipere ullum adverſus nos maleficium, nec conceptum moliri, nec ad perpetrandum, movere digitum queant, niſi quantum ille permiſerit, imò quantum mandarit & ad obſequia præſtanda coëgerit. Sicut enim Domini eſt, eorum furorem armare, convertere & deſtinare, quo libuerit, ita & medium finemq; ſtatuere, ne pro ſua libidine licentiosè exultent. Vnde illa emergit in ſanctis gloriandi fiducia, & inexpugnabilis animi ſecuritas, cujus paſſim exempla legimus, Pſalm. 118. 6. & 27. 3. & 56. 5. & 23. 4. c. 17. S. 11.

31. Hactenus quidem de Dei providentia ſatis dictum eſt, quantum ad ſolidam fidelium & eru-

ditionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ditionem & conſolationé conducit. Verum antequam finiamus, opus eſt, ut nonnullas objectiones, quæ contra ſolent adferri, paucis diluamus. In quibus primum locum obtinent illa Scripturæ loca, quibus nonnulli abutuntur, ut probent, non eſſe æternum, firmum, & ſtabile Dei de rebus omnibus conſilium, ſed pro rerum inferiorum diſpoſitione mutari, vel prout ſunt cujusque merita, & juſtum videtur, ita Deum in ſingulos annos dies, & horas hoc vel illud decernere. In eam rem utuntur duplici locorum genere. c. 17. Sect. 12.

23. Primò ajunt, non raró pœnitentiam adſcribi Deo, ut Gen. 6.6. 1 Sam. 15.11. Ier. 18.8. Reſp. 1. Nullam propriè dictam pœnitentiam in Deum cadere, cum ſemper ignorantiam, vel errorem, vel impotentiam includat: quorum nihil de Deo dici poteſt. Et ex hoc ipſo loco 1 Sam. 15. 29. & Num. 23. 19. patet, Deum nulla duci pœnitentia, quod, niſi repugnantiam in Scriptura ſtatuere velimus, de Deo propriè & ſine figura negatur. Sequitur ergò, pœnitentiam Deo figuratè tribui. 11. Dicimus, hanc locutionem à noſtro ſenſu ſumi, ſicut & alias formulas, quæ Deum humanitus deſcribunt, non qualis in ſe eſt, ſed qualis à nobis ſentitur. Iraſci enim dicitur, cum tamen extra omnem perturbationis affectum ſit, quoties judicia ſua exercet. Ita pœnitentiæ vocabulum factorum mutationem denotat, ſicut apud homines operis mutatio correctionem, hæc diſplicentiam & pœnitentiam arguit. Pœnitere proinde dicitur Deus, quod in operibus ejus ſubita nonnunquam appareat varietas & mutatio, non autem, quod conſilium ejus vel affectus commutetur. c. 17. S. 12, 13.

24. De-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

33. Deinde urgent ea loca, quibus nonnullæ decretorum Dei abrogationes commemorantur, ut: Ion. 3. 4,10. Eſai. 38. 1, 5. 2. Reg. 10, 1,5. Reſp. I. Decretum Dei ſemper firmum manere & immotum, liquet ex multis locis, præſertim Eſai. 14.27. II. Hallucinantur ex male intellecta phraſi, quæ tacitam conditionem includit. Idque conſtat, 1. Ex ipſis allatis exemplis, & ſcopo denuntiationis. Ionas mittitur, ut Ninivitæ reſipiſcant, & emendati ſerventur. Ezechiæ mors renunciatur, ut eam deprecetur, & ſibi peculiari Dei beneficio vitam prorogatam agnoſcat. 2. Ex aliis locis quibus ſeipſum Deus exponit. Sic Abimelecho mortem ſimpliciter comminatur, ut animum ejus concutiat: poſt addita conditione voluntatem ſuam liquide explicat, Geneſ. 20. 3, 7. Nihil ergo derogatur hîc conſilio Dei, ne verbo quidem, ſed via potius ſternitur æternæ Dei ordinationi perficiendæ. c. 17. S. 14.

34. Secunda objectionis claſſis ea continet Scripturæ loca, quibus Deus Satanam ipſum, & omnes reprobos, ſuo arbitrio flectere & trahere dicitur. Hinc difficilior emergit quæſtio, quomodo Deus per illos agens, nullam ex eorum vitio labem contrahat: in opere communi à culpa ſit immunis: miniſtros denique ſuos juſtè damnet. Quæ ſenſus carnis non capit. cap. 18. S. 1.

35. Ad hujus nodi ſolutionem quidam adferunt diſtinctionem inter agere & permittere; Et mala quidem permiſſu Dei fieri, non autem ejus voluntate. Hac ratione putant ſe vitare abſurditatis ſpeciem, & Dei juſtitiam ab omni ſiniſtra nota vindicare. Sed 1. Iuſtitia Dei patrocinio mendacii non indiget, & ſeipſam facile tuebitur, etiam quando judicatur. II. Dicimus, diſtinctionem actionis &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

permiſſionis eſſe merum effugium, quo propoſita quæſtio non ſolvitur. Permiſſionem verò intelligimus nudam atque otioſam, ac ſi in ſpecula ſedens Deus fortuitos expectaret eventus: adeoque ipſo vel inſcio vel quieſcente, homines cæco motu ruerent: quo poſito judicia Dei penderent ab hominum arbitrio. 111. Scriptura talem permiſſionem non agnoſcit, ſed actionem, & efficientiam, arcanumq; motum Deo tribuit, ut homines nihil faciant, nec quicquam deliberando agitent, niſi quod ipſe jam apud ſe decreverit, & arcana ſua directione conſtituerit. c. 18. S. 1. Vtrumque membrum ſic probamus.

36. Primum quidem, ex illis Scripturæ locis, quæ tum generatim affirmant Deum facere omnia quæcunque vult, Pſal. 115. 3. & 135. 6. (id enim ad omnes actiones hominũ pertinere certum eſt) tum ſpeciatim exemplis, quibus hoc aperte pronunciatur, ut, Iobi, Iob. 1. 21. Achabi & Prophetarum ejus, 1. Reg. 22, 20, 21, 22, 23. Pilati & Iudæorum, Actor. 4. 27, 28. & 2. 23. & 3. 18. Abſolonis, 2. Sam. 16. 22. & 12. 12. Chaldæorum, Ierem. 50, 25. Aſſyriorum, Eſai. 5. 26. & 10. 5, 6, 12, 15. Semei, 2. Sam. 16. 10. defectionis Iſraëlitarum, 1. Reg. 11. 31. contumaciæ filiorum Eli, 1. Sam. 2. 34. Ex quibus liquet, non nudam eſſe Dei permiſſionem. Ipſe enim agit; aufert bona; attingit Iobum; excæcat Achabum; Ejus conſilio & manu traditus eſt Chriſtus. Abſolonis incæſtus, ſævitia Chaldæorum, ſpoliatio & ruina templi atque urbis, eſt opus Dei: Et in hoc negotio Nebucadnezar atque Aſſyrii ſervi Dei, virga furoris, & ſecuris in manu ejus, à quo miſſi ſunt, cujus juſſu excitati ſunt, cujus præcepto Semei maledixit Davidi, &c. Eſt ergo hic præcipua Dei actio, tan-

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quam judicis, non permittentis certè, ſed decernentis quid fieri velit, & mandantis executionem miniſtris, quorum operam & conatus ad exequenda judicia ſua convertit, ſive propoſitum ſit punire peccantes, ſive probare ſuos: cujus utriuſque actionis Satan & improbi homines miniſtri quidem ſunt, ſed Deus autor eſt. c. 18. S. 1.

37. Arcanam verò directionem probamus. I. Ex illis Scripturæ locis, quibus Deus dicitur operari in cordibus hominum, adeo ut quicquid animis concipimus, arcana Dei inſpiratione ad ſuûm finem dirigatur. *Deus flectit cor regis quo vult,* Prov. 21. 1. *Etiam cor principibus, labium à veracibus, à ſenibus prudẽtiam aufert,* Pſal. 107. 40. Iob. 12. 24. Ezech. 7. 26. Eſaiæ 29. 14. *pavorem & ſoporẽ cordibus immittit,* Lev. 26. 23. 1. Sam. 26. 12. II. Ex eo, quod paſſim Deus pronuntiat, ſe excæcare hominum mentes, ac vertigine percutere, ſpiritu ſoporis inebriare, incutere amentiam, obdurare corda, Rom. 1. 16. & 11. 8. Exod. 8. 15. Quæ omnia minus rectè dicerentur, niſi intus quoque Deus operaretur in mentibus hominum. cap. 18. S. 2.

38. Solent verò hic excipere. I. ad permiſſionem hæc pertinere, quia Deus ſinit illos à Satana excæcari. II. Non Dei, ſed propria voluntate, Pharaonem aggravaſſe cor ſuum. III. Deum interpoſita opera Satanæ agere in reprobis. c. 18. S. 2.

39. Reſp. ad primum; frivolam eſſe ſolutionem, cum diſerte Deus dicatur indurare, & juſto judicio infligere cæcitatem & amentiam: quæ verba non ſignificant nudam permiſſionem. Ad ſecundum, I. Hæc duo optime convenire inter ſe, ut ſimul agat homo, ubi agitur à Deo, licet diverſis modis agant. 2. Si indurare nudam ſonat per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

miſſionem, tunc quando Pharao ſeſe induravit, contumaciæ motus non fuit proprie in Pharaone, quia tantum obdurari ſe paſſus eſt. quod eſt valde inſipidum. 3. Ipſe Deus indurandi rationem deſcribit, quando ait: *Ego tenebo cor illius*: Et de Chananæis, quod roboraverit cor eorum. Et de Ægyptiis, convertit cor eorum. Et de Aſſyriis, quod eos miſerit, & præcepta ipſis dederit ad ſpoliandum, &c. non certè quod impios docturus ſit, quaſi ſponte parati eſſent ad obediendum, ſed quia flexurus ſit ad exequenda ſua judicia. Ad tertium dicimus, Satanam quidem ſuas partes agere, ſic tamen ut impulſu Dei agat, nec quicquam proficiat, niſi quatenus datum eſt. Spiritus malus turbat Saulē, ſed qui à Deo eſſe dicitur, 1. Sam. 16. 14. Satan excæcat mentes infidelium, ſed à Deo manat efficacia erroris, 2. Cor. 4. 4. Pſeudo-Prophetæ loquuntur mendacium, decepti à Deo, Ezech. 14. 19. Et Rom. 1. 28. Deus dicitur tradere in ſenſum reprobum. In his omnibus Deus juſtæ ſuæ vindictæ autor præcipuus, Satan verò tantum miniſter eſt. cap. 18. S. 2.

40. Summa eſt: quando Dei voluntas dicitur rerum omnium cauſa, tunc providentiam ejus ſtatui moderatricem in cunctis hominum conſiliis & operibus, ut non tantum vim ſuam exerat in electis, qui Spiritu Sancto reguntur: ſed etiam reprobos in obſequium cogat. c. 18. S. 2.

41. Sed adverſus hanc doctrinam & reſponſionem acrius inſurgunt nonnulli, & duobus porro argumentis oppugnant. Primum objiciunt, ſiquidem nihil eveniat, niſi volente Deo, duas in Deo ſtatui contrarias voluntates, quia occulto conſilio decernat, quæ lege ſua palam vetuit. Reſp. 1. Hoc cavillum petit ipſam Scripturam, quæ Deum non

veretur

veretur earum rerum authorem vocare, quas ipſi volunt otioſo tantum ipſius permiſſu contingere; vide Iob. 1.21. 1.Sam.2.25.Pſal.115.3.Eſa.54.7. Amos 3.6. Deut. 19.5. Actor. 4.28. Hæc judicia Deus aut volens aut nolens exercet. Non hoc: Ergo Deo volente fiunt. II. Negamus conſequentiam. Non enim pugnat ſecum, nec mutatur voluntas Dei, nec ulla hic eſt ſimulatio. Certè voluntas Dei una ſemper eſt, & ſimplex, ſed nobis multiplex apparet, ſicut etiam ſapientia Dei nobis multiplex videtur, cum tamen Deus conſilium non mutet, nec à ſeipſo diſſideat. Ergo quando non capimus, quomodo Deus velit fieri, quod vetat, occurrat nobis, 1. mentis noſtræ imbecillitas; 2. Ipſa Dei lux inacceſſa, 1.Tim.6.16. III. Rectè diſtinguit Auguſtinus, ea quæ fiunt, hominum & Dei reſpectu. Poſſumus enim benè velle, quoad nos, nec tamen velle, quod Deus vult; Et rurſus male velle, quoad nos, quod tamen & ipſe Deus recte vult. Videndum ergo, quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem referatur cujuſque voluntas, ut vel approbetur vel improbetur. IV. Denique ex eodem Auguſtino, non fieri præter Dei voluntatem, quod tamen fit contra ejus voluntatem. Improbi quidem quantum ad ipſos pertinet, faciunt quod Deus non vult: quantum ad Dei omnipotentiam, nullo modo hoc potuerunt, ſed de ipſis facta eſt potius Dei voluntas. Atque hoc modo facile tollitur voluntatis, quæ fingitur, contradictio. c. 18. S. 3.

42. Secundo objiciunt: Si non modo impiorum opera utitur Deus, ſed etiam conſilia & affectus gubernat, ſequitur, ſcelerum omnium eſſe authorem, & proinde immerito damnari homines, qui exequuntur quod Deus decrevit, quia ejus vo-

luntati obtemperant. Reſp. 1. Perperam miſceri voluntatem Dei, de qua hic agitur, cum præcepto, à quo illa longiſſime differt. Nec inceſtum Abſoloni, nec Semei maledictum præcepit Deus, niſi Davidis reſpectu, quem ob peccata caſtigare voluit. Non illorum laudatur obſequium, ſed Dei prædicatur judicium. 11. Dum per impios agit Deus, quod occulto ſuo judicio decrevit, non obediunt illi præcepto ejus, ſed ſcientes in peccata vetita ruunt. Manent ergo inexcuſabiles. 111. Idem opus ſimul juſtum eſt, quatenus à Deo proficiſcitur, & ratione hominum eſt injuſtum: nimirum quia in eodem opere finis & cauſa non eſt una, ob quam fit. Defectio populi à domo Davidis ad Ieroboamum fuit à Deo. 1. Reg. 11. 30, 31. & 12. 15, 24. Oſe. 13. 11. Et à Deo non fuit, Oſe. 8. 4. nempe qua fuit mera perfidia contra ordinem à Deo ſancitum: ſed quatenus Salomonis punivit ingratitudinem, juſtum fuit Dei judicium. Eodem modo, cum Samaritani commodant operam ſuam regi Iehu in exterminanda progenie Achabi, in eodem opere injuſtam agnoſcimus crudelitatem, & juſtum tamen etiam Dei judicium, ex cujus verbo hæc omnia evenerunt, 2. Reg. 10. 17. Ad hæc docet Scriptura, non Iudam tantum perfide tradidiſſe Dominum, ſed & Patrem tradidiſſe filium ſuum in mortem. Vnum quidem fuit opus, ſed cauſa diſſimilis. Et in eodem hoc opere, ſicut Iudæ non potuit adſcribi laus redemptionis noſtræ, ita nec Deo culpa ſceleris ejus. Concludimus cum Auguſtino, in hoc examine Deum non inquirere, quid potuerint homines, vel quid fecerint, ſed quid voluerint, ut in rationem veniat conſilium & voluntas. c. 18. S. 4.

43. Hactenus quæ apertè & non ambiguè in Scriptu-

Scriptura traduntur de Dei providentia, recitavimus. Quæ ſi moroſis hominibus aſpera videntur, eademque, quia captum eorum excedunt, doceri nolunt, aut etiam ſiniſtris accuſationibus gravare non verentur, cogitent. 1. quanta ſit ſuperbia, ſub modeſtiæ prætextu opinionem ſuam divinæ authoritati opponere. 2. Si pergant maledicere & cum Deo litigare, aut ejus damnandi poteſtatem ſibi arrogare, nihil eos blaſphemando proficere, quia Deus juſtitiam ſuam ſemper aſſerit, fides autem noſtra calumnias omnes facile deſpicit. Horum omnium remedium eſt, cum manſueta docilitate amplecti, & quidem ſine exceptione, quæ Deus per Prophetas & Apoſtolos nos doceri voluit. cap. 18. S. 3. 4.

COROLL. I. *An Calvinus in his tribus Capitibus doceat, Deum authorem eſſe peccati. R. N. 1. Quia diſertè teſtatur, ſe hanc blaſphemiam deteſtari. 2. Quia tum hic, tum alibi eandem ex profeſſo ſolide refutat.*

II. *An ex phraſibus, quibus hic utitur Calvinus, idem directe vel indirecte concludi poſſit. N. 1. Quia pleraque phraſes ſunt ipſius Scripturæ. 2. Quia, ſi qua ſunt alia duriores, ex mente Calvini ſunt exponendæ, & ad ſanum ſenſum revocandæ. 3. Quia ex ſcriptis Adverſariorum conſimiles phraſes demonſtrari poſſent. Ergo quam illi benignitatem & charitatem poſtulant, æquiſſimum eſt, ut & Calvino tribuant.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

THESES THEOLOGICÆ,

DISPVTATIO I.

De Notitia noſtri: Lapſu Adami; & peccato Originali.

Ex Inſtitutione Calvini lib. 2. cap. 1.

HActenus de cognitione Dei Creatoris egimus, quantum ſatis eſſe videbatur. Porro de cognitione Dei, quatenus Redemptor eſt, dicendum erit. Sed huic diſputationi præmittenda tractatio de cognitione noſtri, ut de Redemptionis occaſione & neceßitate plenius conſtet.

THESIS I.

QVantopere homini neceſſaria ſit ſuiipſius cognitio, Philoſophi rectè agnoverunt, & res ipſa docet. Si enim turpe eſt ignorare, quę ad humanæ vitæ rationem pertinent, multo fœdior eſt ignorantia, qua fit, ut in capiendis conſiliis miſere hallucinemur adeoque cœcutiamus. Sect. 1.

2. Sed enim cavendum, ne tam utili præcepto malè utamur; quod ipſum Philoſophis quibuſdam accidit. Hortantur ſiquidem, ut quiſque ſeipſum noſcat, ſed non alio fine, quam ut dignitatis & excellentiæ ſuæ memor, habeat unde inani fiducia intumeſcat & ſuperbiat. Sect. 1.

3. Et ſane noſtri cognitionem in eo primum ſitam eſſe libenter concedimus, ut quiſq; cogitet, quid in creatione datum ſit, & quam benigne hanc gratiam Deus erga nos continuet. Hinc enim intelligimus. 1. quanta ſit naturæ noſtræ præſtantia, ſiquidem integra manſiſſet. 2. Nihil nobis eſſe proprium, ſed omnia precario obtinere à Deo, quo

quo ſemper ab ipſo pendeamus. 3. Cum ad imaginem ſuam nos finxerit, & ratione atque intelligentia diſcreverit à brutis animalibus, non eſſe negligendam tantam generis noſtri nobilitatem, ſed mentes noſtras ad virtutis ſtudium & æternæ vitæ meditationem erigendas. Sect. 1.

4. Cæterum in mentem venire nequit prima illa dignitas, quin mox ex altera parte ſeſe offerat triſte fœditatis & ignominiæ noſtræ ſpectaculum, ex quo in primi hominis perſona ab origine noſtra excidimus. Vnde & noſtri diſplicentia veraq; humilitas oritur, & novum accenditur quærendi Dei, & amiſſa bona recuperandi, ſtudium. Sect. 1.

5. Et talem noſtri notitiam exigit Dei veritas, quæ nos & ab omni propriæ facultatis confidentia procul avocet, & omni gloriandi materia deſtitutos ad ſubmiſſionem adducat: quæ ſola eſt rectè tum ſapiendi tum agendi regula. Sect. 2.

6. Iam vero univerſis hominibus pluſquam cœcus ſui amor ingenitus eſt. Vnde fit, ut vel nihil ſibi deeſſe putent ad bene beateque vivendum; vel ſi quidquam Deo concedant, ne ſibi omnia videantur arrogare, ita tamen inter Deum & hominem partiuntur, ut potiſſimam gloriæ & fiduciæ materiam penes ſe retineant. Ad quæ ſi accedat oratio, quæ virtutes noſtras commendet, ſponte prurientem ſuperbiam ipſis animi medullis concipiunt. Cujus rei ſignum, quod prout quiſque magis humanæ naturæ præſtantiam ſuis laudibus extulit, eo majore applauſu exceptus fuit. Hac vaniſſima ſui opinione & falſa humanæ præſtantiæ commendatione decepti, non proficiunt in ſui cognitione, ſed potius in peſſimam ignorantiam abrepti, ſi quid moliantur, inter primos conatus deficiunt, & ſi pergere conētur, in exitium corruunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

7. Ad illam ergo cognitionem neceſſe eſt ut porro accedat miſera poſt lapſum Adę noſtra conditio, omnium, inquam, bonorum inopia cum turpi ignominia conjuncta: cujus ſenſus, proſtrata omni gloria & fiducia, nos pudore obruat, & verè coram Deo humiliet. Sect. 1.

8. In eo quidem conſenſus eſt, ſecundam ſapientiæ partem in noſtri cognitione poſitam eſſe: ſed in ipſa cognoſcendi ratione magnum eſt diſſidium. Illi enim probe ſeipſos exploraſſe & noſſe credunt, quando, ſua intelligentia & integritate confiſi, ſe ad virtutis officia incitant, & ad honeſta toto ſtudio incumbere coguntur. Sed qui ad amuſſim divini judicii ſe expendunt, nihil reperiunt, quod fiduciæ materiam præbeat, adeoque quo penitius ſe excutiunt, eo magis dejiciuntur, nihilque ſibi ad vitam rectè inſtituendam relinquunt. Nec tamen inutilis eſt primæ originis & dignitatis noſtræ conſideratio. 1. Quia prodeſt ad meditandam & expetendam immortalitatem. 2. Quia docet unde exciderimus, & quantum à fine creationis noſtræ averſi ſimus, ut miſeræ ſortis pertæſi, humiliter ingemiſcamus, & ad perditam illam dignitatem ſuſpiremus. Sect. 3.

9. Concludimus tunc rectè hominem ſeipſum noſſe, ſi primo loco rectè ſecum reputet, in quem finem ſit creatus, & quæ dona à Deo acceperit. Tum ſi inopiam ſuam expendat, & hac perſpecta in extremam confuſionem redigatur. Illic, quid ſui ſit officii; Hîc, quid ad illud præſtandum valeat, agnoſcit. De utroque pro re nata deinceps erit diſſerendum. Sect. 3.

10. Sed enimvero, ut quam miſera ſit hominum conditio, rectè cognoſcamus, primum expendere convenit, quodnam fuerit illud Adami deli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

delictum, cujus cauſa tam horribilis Dei vindicta totum genus humanum pervaſit. Et variant hîc quidem nonnihil ſententiæ. Quidam in gulæ intemperie peccatum hoc conſiſtere ſtatuunt. Sed hæc opinio videtur puerilior; 1. Quia cum Adamus tanta lautitiarum copia & varietate abundaverit, non poteſt virtutum ſumma poni in unius fructus abſtinentia. 2. Quia prohibitio arboris ſcientiæ boni & mali fuit obedientiæ examen. Idque patet I. Ex fine mandati, quem ipſo nomine arboris ſcientiæ boni & mali Deus deſignavit, ut primus parens ſua ſorte contentus ultra Dei imperium nihil amplius affectaret. II. Ex addita promiſſione vitæ æternæ, quamdiu ederet ex arbore vitæ. III. Ex comminatione mortis, ſimulac de vetito fructu guſtaret. Proinde ad fidem ejus probandam & exercendam præceptum hoc ſpectavit. Sect. 4.

11. Auguſtinus ſuperbiam dixit malorum omnium fuiſſe initium. Nec male: quoniam Adamum altius, quam fas erat, extulit ambitio, & de gradu ſuo dejecit. Sect. 4.

12. Sed plenior hujus peccati definitio ex tentationis ſpecie, quam deſcripſit Moſes, ſumenda eſt. Eva enim Satanæ illecebris per infidelitatem à Dei verbo abducitur, & contemta veritate ad mendacium deflectit. Radix ergo defectionis fuit infidelitas, & initium ruinæ inobedientia, teſte Paulo Rom. 5. 19. Porro infidelitas ambitioni januam aperuit, ambitio contumaciæ fuit mater, ut abjecto Dei metu ſeſe projiceret, quo ferebat libido, & de fructu vetito comederet. Sect. 4.

13. Hinc conſtat quam fuerit prodigioſa hæc impietas, quando Adamus 1. contempto Dei verbo excuſſit omnem reverentiam. 2. Execrabili

ſcelere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſcelere apoſtaſias conditoris ſui imperio ſe petulanter ſubduxit. 3. Etiam Satanæ calumniis ſubſcribere auſus eſt, quibus Deum & mendacii, & invidiæ & malignitatis, inſimulabat. 4. Non contentus imagine Dei, ad quam creatus erat, æqualitatem cum Deo affectavit. 5. Ingratus tantam liberalitatem qua ditatus fuerat, indigne ſprevit. 6. Ita quantum in ſe fuit totam Dei gloriam exinanivit. Nulla ergo cauſa eſt cur peccatum Adæ extenuetur. Sect. 4.

14. Hoc peccato 1. alienatus eſt primus parens à Deo, in quo conſiſtit animæ interitus. 2. Obliterata fuit cœleſtis imago; ut in locum ſapientiæ, virtutis, juſtitiæque ſucceſſerint teterrimæ peſtes, cæcitas, impotentia, impuritas, vanitas & injuſtitia. 3. Hanc porro maledictionem ad totam ſobolem propagavit. Atque hæc eſt illa hæreditaria corruptio, quam peccatum Originis Veteres nuncuparunt. Peccati autem voce intelligebant naturę antea bonæ puræque depravationem. Sect. 5.

15. Sed de hoc peccato Originis diſputatum fuit olim, & adhuc certatur. Pelagii commentum fuit, Adamum ſuo tantum damno peccaſſe, nihil nocuiſſe poſteris: Quod autem peccatum tranſire dicitur in poſteros, id fieri imitatione non propagine. Orthodoxi contra firmiter aſſeruerunt, nos non aſcita nequitia corrumpi, ſed ingenitam vitioſitatem ab utero matris afferre. Hujus ſententiæ rationes has proferimus. Sect. 5.

16. Si Adami defectio totum naturæ ordinem pervertit, ut teſtatur Paulus Rom. 8. 22. nihil mirum eſt, ſi genus quoq; ſuum peſſumdedit. 2. David fatetur ſe in iniquitatibus genitum, & in peccato conceptum eſſe à matre, Pſal. 51. 7. At hoc Davidi non eſt peculiare. Ergo humani generis

ſortem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſortem ſuo exemplo notavit. Nam quod hîc delicta patris aut matris argui dicunt, frivolum eſt, quia propriæ perverſitatis confeſſionem ab ipſa genitura repetit, ut Dei erga ſe bonitatem melius commendet. 3. Rationē hanc regula generalis confirmat. Quis enim dabit mundum de immundo? Iob. 14. 4. Omnes autem deſcendimus ex immundo ſemine. Ergo omnes peccati contagione naſcimur infecti. Hujus autem corruptionis non alibi datur invenire exordium, niſi ad Adamum aſcendamus humani generis progenitorem & radicem. 4. Hoc ex Adæ & Chriſti comparatione planum facit Apoſtolus Rom. 5. 12. 1. Cor. 15. 22. Nam docet 1. per unum hominem peccatum introiiſſe in mundum & per peccatum mortem, atque ita in omnes propagatam eſſe, quia omnes peccarunt; omnes denique mortuos eſſe in Adamo. Omnes ergo peccati labe ſumus impliciti: neque enim ad nos damnatio perveniret, ſi nulla eſſet iniquitatis culpa. 11. Nos in Chriſto recuperare, quæ in Adamo amiſimus, & per Chriſti obedientiam juſtificari, ſicut per Adæ inobedientiam peccatores ſumus conſtituti. At totum illud fit per communionem quam habemus cum Chriſto, propter juſtitię ſuæ vim, quam in nos transfundit, Roman. 8. 10. Idem proinde dicendum de communione quæ nobis eſt cum Adamo. Sic corruit imitationis figmentum. 5. Paulus dicit nos natura eſſe filios iræ, Eph. 2. 3. Naturam autem intelligit vitiatam. Sequitur nos in ipſo utero maledictos eſſe. 6. Immota eſt Chriſti ſententia, Quidquid genitum eſt ex carne, carnem eſſe. Atque hinc Chriſtus probat opus eſſe nova generatione. Patet ergo homines pravos & vitioſos naſci. Sect. 5. 8.

17. Quæ contra adferri ſolent, non ſunt magni momen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

momenti. Objiciunt 1. Nihil à communi ſenſu magis eſſe remotum, quam ob unius culpam omnes fieri reos, & ita peccatum fieri commune. Reſp. Culpam Adami ad nos quoque pertinere, quia omnes in ipſo fuimus, & peccavimus tanquam primo humani generis parente & capite. S. 5.

18. Objiciunt, poſito hoc dogmate ſequi filiorum animas ex traduce paternæ animæ ortum ſuum habere. Id vero videri abſurdum. Reſp. Veteres quidem hæc diſputatio non parum torſit. Eſt tamen expedita reſponſio. Sic à Deo fuiſſe ordinatum, ut quæ primo homini dona contulerat, tam ſibi quam ſuis haberet aut perderet. Non uni ergo homini, ſed univerſæ hominis naturæ fuerunt attributa. Proinde Adamo per peccatum inquinato, in naturam ſerpſit contagio, & perpetuo fluxu à prioribus in poſteros transfunditur, idque juſto Dei judicio: quod ad præſentem quæſtionem ſatis eſſe debet. Neque enim in ſubſtantia carnis aut animæ cauſam habet contagio, ut de animæ traduce & modo propagationis non ſit neceſſe nos eſſe ſollicitos, cum de re ipſa conſtet. S. 7.

19. III. Cavillantur Pelagiani, à piis parentibus non poſſe corruptos naſci, cum eorum puritate potius ſanctificentur. Reſp. Confundi regenerationem ſpiritualem cum generatione carnali. Reatus eſt ex natura. Sanctificatio ex ſpirituali gratia. Parentes ſive infideles ſive fideles reos generant liberos, quia ex vitioſa natura generant. quod vero fidelium liberi ſanctitati parentũ communicant, ſpecialis eſt Dei benedictio. Sect. 7.

20. Hactenus an ſit peccatum Originale: nunc quid ſit, nobis eſt inquirendum. Quidam definierunt eſſe carentiam juſtitiæ originalis, quam ineſſe nobis oportebat. At vero licet dicant, quod res eſt,

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

non tamen ſatis ſignificanter vim atq; energeiam peccati hujus expreſſerunt: Neque enim tantum inops eſt boni natura noſtra, ſed & malorum omnium ferax. Alii peccatum hoc dixerunt eſſe concupiſcentiam. Quam vocem admittimus, modo addatur, quidquid in homine eſt ab intellectu ad voluntatem, ab anima ad carnem uſque, hac concupiſcentia inquinatum eſſe & refertum. S. 8.

21. Nobis definitur, hæreditaria naturæ noſtrę pravitas & corruptio in omnes animæ partes diffuſa, quæ primum facit reos iræ Dei, tum etiam opera in nobis profert, quæ Scriptura vocat opera carnis. Sect. 8.

22. Atque id eſt propriè, quod à Paulo ſæpius peccatum vocatur. Etſi enim & opera, quæ hinc emergunt, paſſim peccata nuncupentur, ſæpius tamen hujus peccati fructus nominari ſolent, Galat. 5. 19. Sect. 8.

23. Illud vero primum eſt obſervandum, quod omnibus naturæ partibus vitiati, jam ob talem duntaxat corruptionem damnati merito, convictique tenemur. Etenim Deo nihil eſt acceptum, niſi juſtitia, innocentia & puritas. Quicquid cum hac non conſentit, Deo eſt odioſum & abominabile. Sect. 8.

24. Neque tamen hoc ita eſt accipiendum, quaſi eſſet alieni delicti obligatio, quam inſontes & immerentes ſuſtinemus. Omnes enim per Adami tranſgreſſionem ſic maledictione induti ſumus, ut inſtillata ab ipſo lues in nobis reſideat, cui merito pœna debetur. Habemus ergo proprium peccatum, quod alienum dici non poteſt, niſi quatenus propagine in nos derivatur. Idque probamus 1. Ex dicto Pauli Roman. cap. 5. 12. ubi teſtatur mortē in omnes eſſe pervagatam, eo quod omnes pecca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

peccaverint, hoc eſt, involuti ſint originali peccato & ejus maculis inquinati. II. Ab infantibus, qui dum ſuam ſecum damnationem ab utero afferunt, non alieno utique ſed ſuo vitio cenſentur obſtricti. Nec obſtat, quod nondum iniquitatis fructus actu protulerint: quia incluſum habent in ſeſe peccati ſemen. Concludimus ergo propriè coram Deo cenſeri peccatum, quia non eſſet reatus, ſi non eſſet culpa. Sect. 8.

25. Alterum porro accedit, quod hæc perverſitas nunquam ceſſat, ſed novos aſſiduè fructus parit, opera nempe carnis, quæ ex hac veluti ſcaturigine ſine fine & modo ebulliunt. Sect. 8.

26. Tertium definitionis membrum, priori loco poſitum, cunctas animæ partes aſſerit à peccato originali ita poſſideri, ut non appetitum tantum inferiorem, ſed arcem ipſam mentis, nefanda occupaverit impietas, & ad intimum cor penetraverit ſuperbia. Sect. 9.

27. Errant itaque qui hanc corruptelam vel ad ſenſuales tantum motus reſtringunt, aut fomitis nomine extenuant, qui ſenſualitatem ad peccatum alliciat, excitet & trahat, aut ejus denique ſedem in carne ponunt. Sect. 9.

28. At I. his contradicit Paulus, qui carnis nomine non partem animæ ſed totam naturam deſignat, quæ ſpirituali gratiæ opponitur. II. Quando dicit Roman. 7. 18. in carne ſua non habitare bonum, nihil à mortifera peccati tabe purum eſſe demonſtrat. III. Ex Epheſ. 4. 17, 18. patet ab Apoſtolo mentem ipſam cœcitatis, & cor pravitatis coargui. IV. Caput tertium ad Romanos nihil eſt aliud quam peccati originalis deſcriptio. Vide verſ. 11, 12, 17, 18, 22. V. Idem teſtatur vox Spiritus qui veteri homini & carni opponitur: adeoque

que totum regenerationis beneficium, quę plenam omnium animæ partium reformationem complectitur. Et de renovatione mentis atque ſpiritus diſerte Apoſtolus loquitur Eph. 4. 23. Rom. 12. 2. v1. Idem aperte docet omnes affectus vel cogitationes carnis eſſe inimicitias adverſus Deum, adeoque mortem, Rom. 8. 7. Ex his evincitur non inferiorem tantum, ſed præſtantiſſimam quoque animæ partem ſic eſſe corruptam, ut non modo ſanari, ſed novam prope naturam induere opus habeat. Sect. 9.

29. Cæterum quando naturaliter homines vitioſos eſſe aſſerimus, diſtinguere oportet inter naturam integram & pollutam. Integra & incorrupta Adæ natura Dei fuit opus. Quia degeneravimus ab hac prima conditione, carnis noſtræ culpa periimus. Nec incommode dicitur, à natura corruptionem hanc non fluxiſſe, ut ſignificemus adventitiam magis eſſe qualitatem, quam ſubſtantialem proprietatem, quæ ab initio fuerit condita: Et tamen eſſe naturalem, quia non eſt conſuetudine ſed hæreditario jure acquiſita. Quo ſenſu etiam natura filii iræ vocamur, Eph. 2. 3. Iam vero Deus non eſt iratus operi ſuo, ſed operis corruptioni. Quod ſi natura rectè dicimur Deo abominabiles, non ineptè etiam naturaliter pravi vocabimur. Sect. 10. 11.

30. Hinc apparet quam inſulſe quidam Deum peccati cauſam & authorem fieri colligunt, eo quod dicimus naturaliter vitioſos eſſe homines. Nam malè Dei opus confundunt cum depravatione quæ ſecuta eſt, Eccleſ. 7. 30. Hærere illud vulnus dicimus in natura, ſed quod aliunde acceſſerit, non autem ab originę inſederit. Ideo addimus per peccatum fuiſſe inflictum. Vnde liquet

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

non eſſe, cur conqueramur niſi de nobis ipſis. S. 10.

31. Obſtrepunt hîc nonnulli, potuiſſe Deum ſaluti noſtræ melius proſpicere, ſi lapſui Adæ occurriſſet. Reſp. 1. Audacem nimis hanc eſſe curioſitatem & piis mentibus abominandam. 2. Pertinere hanc quæſtionem ad arcanum prædeſtinationis, de qua poſt dicetur. Sect. 10.

32. Denique ex prædictis etiam evaneſcit ſtultum Manichæorum nugamentum, qui ſubſtantialem in homine malitiam imaginati ſunt, unde alterum illi conditorem affinxerunt, ne ſcilicet viderentur Deo cauſam mali aſſignare. Quo delirio nil erat opus, ſi diſcrimen naturæ integræ & vitioſæ probe obſervaſſent. Sect. 11.

DISPVTATIO II.

De Libero Arbitrio.

Ex lib. 2. cap. 2. 3.

1. POſita corruptione generis humani, & peccati dominatu, atque ſervitute, quæ ſingulorum animas occupavit, illud propius excutiendum reſtat, an omni libertate ſimus ſpoliati, & ſi qua particula adhuc viget, quouſque vis ejus procedat. cap. 2. Sect. 1.

2. Sed ne hic erremus, duo nobis cavendi ſcopuli. 1. ne ex hac doctrina deſidiæ vel licentiæ occaſionem arripiamus. 2. Ne ſi quidquam nobis tribuatur, Deo ſuus honor præripiatur, ipſi autem temeraria confidentia ſuperbiamus. Remedium erit ſi homo intelligat, nihil boni reliquum ſibi eſſe; ſic tamen, ut doceatur ad bonum quo vacuus eſt, & ad libertatem, qua privatus eſt, tanto acrius aſpirare. Hoc poſterius omnes fatentur eſſe neceſſarium. De priori autem potiſſimum dubitatur,

cujus

cujus tamen & veritas & docendi neceſſitas eſt evidentiſſima. Sect. 1.

3. Etſi enim nihil homini de ſuo ſit adimendum, illud tamen conſtare debet, quantopere interſit ipſum falſa gloriatione dejici. Idque tum Dei, tum noſtri cauſa 1. Ne Dei gloriæ quicquam derogetur. Et certè ſi ne primus quidem homo, unde gloriaretur in ſe, habuit, niſi quod ad imaginem Dei creatus, non propriis donis, ſed Dei participatione beatus fuit, quid ſupereſt, quam ut homo omni jam gloria nudus, & in extremam ignominiam ſua ingratitudine redactus, propriæ paupertatis confeſſione Deum glorificet? 11. Ne dum aliquid ultra verum ſibi largitur, cum priori ſacrilegio etiam ruinam ſuam conjungat: quam certo conſequi neceſſe eſt, quia baculo arundineo confidit, adeoque fumo & vanitati, quiſquis vires ſuas commendat. Eſt igitur è re noſtra, omnem ſapientiæ virtutiſque laudem homini derogari. S. 1.

4. Sic ergo intelligimus, tum quem ſcopum in tota hac diſceptatione præfixum habere debeamus, tum vero quam illa ſit in omni religione utilis & neceſſaria ſententia, quæ, humanis everſis viribus, hoc agit, ut Dei virtus in homine ſtabiliatur. Sect. 1.

5. Cæterum ut de ſtatu quæſtionis conſtare poſſit, operæ pretium erit varias hac de re ſententias in conſpectu ponere. Atque ut à Philoſophis incipiamus, cum tres ſint animæ facultates, Intellectus, Senſus, & Appetitus ſeu Vóluntas: In Intellectu rationem eſſe volunt, quæ conſiliis omnibus præluceat, & inſtar reginæ voluntatem moderetur. Senſum contra torpere, & craſſioribus objectis volutari, nec unquam ſe attollere ad veri perſpicaciam, talem tamen eſſe, ut rationis ductu domari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

domari paulatim queat. Voluntatem inter mentem & ſenſum mediam eſſe, ſui juris & libertatis compotem, ut rectam viam tenere poſſit, ſi rationi velit obtemperare; aut etiam in libidinem degenerare, ſi ſe ipſam in ſervitutem ſenſus addicat. S. 2.

6. Hæc ipſa tamen non æque conſtanter tuentur. Nonnulli enim, convicti experientia, imbecillitatem rationis fatentur, tam in dijudicatione bonorum, quam in voluptatis & ſenſuum imperio: adeoque igniculos illos naturales, ſæpius tum pravis opinionibus, tum malis moribus extingui. Hoc tamen extra controverſiam ponunt, virtutes & vitia in noſtra eſſe poteſtate, ut ſit liberæ noſtræ electionis, agere & non agere, bene aut male agere. Quidam etiam eo licentiæ proruperunt, ut in bonis actionibus, ne Dei quidem beneficium agnoſcerent. In eo omnes conveniunt, humani intellectus rationem rectæ gubernationi ſufficere, voluntatem ſollicitari quidem à ſenſu ad mala; ſed cum liberam habeat electionẽ impediri non poſſe, quo minus rationem ducẽ per omnia ſequatur. S. 3.

7. Ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis omnes quidem agnoſcunt rationem hominis ex peccato graviter vulneratam, voluntatem pravis cupiditatibus valde implicitam fuiſſe. Sed in explicatione non omnes idem dicere videntur. Veteres Doctores plus æquo cum Philoſophis vires humanas extulerunt, idque hoc conſilio. 1. Ne Philoſophis & communi hominum judicio abſurda tradere viderentur. 2. Ne carni ad bonum torpenti novam deſidiæ occaſionem darent. Hinc factum ut Scripturæ ſententiam cum dogmatibus philoſophicis conciliare ſtuduerint: torporem autem ſic optime poſſe expergefieri cenſuerint, ſi ſolo noſtro arbitrio nos peccare arguerent. Sect. 4.

8. Hinc

8. Hinc illæ loquendi formulæ apud Chryſoſtomum & alios : bona & mala eſſe in noſtra poteſtate : Deum non invitos nos retinere ; ſed volentes amplecti : malum fieri bonum , & bonum fieri malum ſi voluerit : non totum eſſe divini auxilii ; ſimul opus eſſe ut nos aliquid quoque noſtrum afferamus : noſtrum eſſe incipere , Dei autem perficere : noſtrum, offerrę quod poſſumus : Dei eſſe implere reliqua , quæ non poſſumus, &c. Quibus ſententiis plus quam par eſt homini ad virtutis ſtudium largiti ſunt. Sect. 4.

9. .Et ſi vero in extollenda voluntatis humanæ facultate modum exceſſerint , præſertim Græci Patres, ſic tamen omnes in hac re, excepto Auguſtino , aut variant , aut vacillant , aut perplexe loquuntur , ut certi fere nihil ex eorum ſcriptis referre liceat. Sect. 4.

10. Qui poſtea ſecuti ſunt , ſenſim in deterius lapſi , hominem ſenſuali tantum parte corruptum docuerunt, retinuiſſe vero prorſus incolumem rationem, voluntatem etiam majori ex parte , denique naturalia eſſe corrupta , ſupernaturalia ablata: qua de re poſt videbimus. Sect. 4.

11. Præſertim verò Latini in urgenda voce *Liberi Arbitrii* modum non tenuerunt , & Græci τὸ αὐτεξούσιον vocabulum arrogantius uſurparunt , ac ſi integer adhuc eſſet homo , & ſui ipſius poteſtatem haberet. Sect. 4.

12. Illud ipſum tamen liberum Arbitrium pauci , & quidem obſcure definiverunt. Auguſtinus dixit eſſe facultatem rationis & voluntatis , qua bonum eligitur gratia aſſiſtente , & malum ea deſiſtente. & hanc definitionem Scholaſtici magis amplexi ſunt : Addiderunt , explicationis gratia, nomen *Arbitrii* magis ad rationem , epithetum

Liberi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Liberi, ad voluntatem eſſe referendum. Hinc Thomas liberum arbitrium definivit, vim electivam, quæ mixta ex intelligentia & appetitu, magis tamen ad appetitum inclinet. Sect. 4.

13. Ex hac ergo ſententia vis liberi arbitrii poſita eſt in ratione & voluntate: porro videndum quid utrique parti tribuant. Communiter ſolent res, quæ ad regnum Dei non pertinent, libero hominis arbitrio ſubjicere: veram autem juſtitiam ad ſpecialem Dei gratiam & regenerationem referre. Cæterum non hic quæri, quid liberum arbitrium ad res Civiles; ſed quid ad divinæ legis obedientiam valeat. Atque horſum facit duplex diſtinctio. 1. Triplicem eſſe voluntatem, ſenſitivam, animalem, ſpiritualem: duas priores homini manſiſſe liberas, ultimam eſſe Spiritus S. opus. 2. Triplicem eſſe libertatem, à neceſſitate, à peccato, à miſeria, primam homini eſſe naturalem nec poſſe eripi, duas alteras per peccatum eſſe amiſſas: & hanc diſtinctionem libenter recipimus, modo neceſſitas quævis cum coactione non confundatur. Sect. 5.

14. Hinc ſequitur, non ſuppetere homini liberum arbitrium ad bona opera, niſi adjuvetur gratia ſpeciali, qua electi ſoli donantur. ſed nondum liquet, ſitne in totum privatus bene agendi facultate, an habeat adhuc nonnullam, ſed puſillam & infirmam, quæ per ſe quidem nihil poſſit, opitulante verò gratia, ſuas ipſa quoque partes agat. Sect. 6.

15. Lombardus cupiens hunc nodum expedire, duplicem gratiam eſſe neceſſariam docet, unam operantem, qua fit, ut efficaciter velimus bonum; Alteram cooperantem quę bonam voluntatem ſequitur adjuvando. Sed in hac partitione duo deſideramus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

deramus. 1. Quod in prima gratia videtur innuere, hominem jam ſuapte natura bonum quodam modo appetere, licet inefficaciter. 2. Quod in ſecunda, gratia ambiguè ſupponitur donari merito vel bono uſui primę gratię, in quem ſenſum poſteriores Scholaſtici verba Lombardi detorſerũt. S. 6.

16. Placet tamen quod Lombardus pronunciat, non ideo liberi arbitrii nos eſſe, quod ad bonum & malum vel agendum vel cogitandum peræque polleamus; ſed duntaxat, quod coactione ſoluti ſumus. Poterit ergo libertas cum pravitate naturę conſiſtere, & liber ideo dicetur homo, quia malè agit ſua voluntate, non coactus. Sect. 6.

17. At quantulum hoc eſt, ut tam ſuperbo libertatis titulo inſigniatur? Vitandæ quidem logomachiæ; ſed & voces cavendæ, in quibus periculoſe erratur: Nec poteſt vitari periculum, etſi de voce plebs doceatur. 1. Quia vix nominari poteſt liberum arbitrium, quin ſtatim homo concipiatur mentis & voluntatis ſuæ Dominus. 11. Quia humanum ingenium propendet ad illum errorem. 111. Idque experimento conſtat: nam veterum interpretatione prætermiſſa, poſteri, dum in verbi etymo hærent, in exitialem confidentiam inciderunt. Sect. 7.

18. Nec aliter ſenſerunt Patres, imprimis Auguſtinus: Nam licet hoc verbum aſſiduè habeat in ore, ut occurrat illis qui vellent excuſare peccatum; ſimul tamẽ declarat quanti faciat illius uſum. Paſſim enim ſervum vocat arbitrium, & captivatum, nec quicquam poſſe dicit ad juſtitiam: hominem malè uſum libero arbitrio, & ſeipſum & arbitrium perdidiſſe: denique non eſſe liberum, niſi quatenus gratia Salvatoris & Spiritus Dei liberatur: ideoque liberatum potius quam liberum

eſſe

eſſe appellandum. Quamobrem per nos quoque licebit hac voce uti, modo rectè intelligatur: quamquam propter periculũ, & majus Eccleſiæ bonum præſtaret à vocis hujus uſu abſtinere. S. 8.

19. Cæterum quod Patres omnes, excepto Auguſtino, diximus ambiguè aut variè locutos eſſe, nemo ſic accipiet, ac ſi tanquam adverſarios in hac cauſa teſtes recuſemus. Etenim voluimus tantum bene conſultum conſcientiis, ne in incerto fluctuent. Ita enim hominem ſuis viribus inſtruere videntur, ut tamen alias iiſdem ſpoliatum ad ſolam Dei gratiam confugere doceant. Cyprianus ait: *de nullo eſſe gloriandum.* Eucherius, *lignum ſcientiæ boni & mali eſſe liberum arbitrium, de quo, ſi quis guſtet, moriatur.* Chryſoſtomus, *Hominem non tantum eſſe peccatorem; ſed & totum eſſe peccatum.* Sanè qui ſic loquuntur, in Deo uno fortitudinem omnem noſtram, & omnis boni laudem repoſitam eſſe docent. Sect. 9.

20. Nunc ad ſimplicem veritatis explicationem progredimur. eſt autem nobis repetendum quod initio diximus, tum demum optimè nos in noſtri cognitione profeciſſe, quando maxime nuditatis, & ignominiæ conſcientia dejecti ſumus. Qui vero vel tantillum ultra jus ſuum ſibi ſumere auſus fuerit, I. Inani confidentia ſe perdit. II. In Deum eſt ſacrilegus. III. A diabolo hoc conſilium accipit, qui talem quoque cogitationem primis parentibus ſuggeſſit, ut ſuum aliquid habere expeterent. IV. Memor eſſe debet locorum Scripturæ, quæ vetant in nobis confidere, Ier. 17. 5. Pſal. 147. 10. Et Deo roboris noſtri laudẽ tribuunt, Eſa. 40. 29, 30, 31. nẽc niſi humilibus gratiam dari aſſerunt, cum contra Deus ſuperbis reſiſtat, Iac. 4. 6. V. Addat porro Spiritus S. & gratiæ promiſſiones,

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quæ paſſim ſitientibus fiunt & aridis, ut ſciamus Dei benedictiones, non percipi niſi ab iis, qui paupertatis ſuę ſenſu tabeſcunt, Eſa.44.3.& 55.1. Cogitet denique ſolum Deum in nobis velle glorioſum videri Eſa.60.19. Sic ab iis, qui hominum opinione excellunt, facile animum avocabit. S. 10.

21. In eandem ſententiam Chryſoſtomus & Auguſtinus fundamentum noſtræ religionis in humilitate ponunt, non qua homo alicujus virtutis ſibi conſcius, à faſtu abſtinet; ſed qua ita inopem ſe ſentit, ut nullum habeat niſi in humilitate & ſuæ nullitatis confeſſione refugium, nullum niſi in Dei miſericordia remedium. S. 11.

22. Ad iſtam humilitatem ut quiſquam perveniat, non eſt neceſſe, ſi quas habet facultates, ut illas neget; ſed ut ſepoſito *φιλαυτίας* & *φιλονεικίας* morbo in ſpeculo Scripturæ ſeipſum probè recognoſcat, S. 11.

23. Vt ergo noſtram ſententiam afferamus, placet, quod vulgo dicitur, Naturalia eſſe corrupta per peccatum, ſupernaturalia eſſe ablata. Supernaturalia vocamus tam fidei lucem, quam juſtitiam, amorem Dei, dilectionem proximi, ſanctitatis ſtudium, quibus omnibus primus homo ad felicitatem aſſequendam inſtructus fuerat. Sed poſtquam ſe abdicavit à regno Dei, exſtincta ſunt & abolita, donec per regenerationis gratiam ipſa recuperet, unde adventitia & præter naturam eſſe merito cenſentur, quia per Chriſtum reſtituuntur. S. 12.

24. Naturalia dona ſunt, tum ipſa mens & voluntas, tum mentis ſanitas & cordis rectitudo. Ratio ſive mens qua homo intelligit & judicat, quæque diſcernit inter bonum & malum, non potuit in totum deleri, ſed partim debilitata eſt, partim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

vitiata, ut deformes tantum ruinæ appareant; quo ſenſu dicitur, lucem adhuc in tenebris lucere, ſed à tenebris non comprehendi, Ioh. 1. 5. Neque voluntas periit, quia eſt inſeparabilis ab hominis natura, pravis tamen cupiditatibus ſic eſt devincta, ut nihil rectum appetere queat. Sanitas igitur mentis, & cordis rectitudo ablata fuit, & hæc eſt naturalium donorum corruptio; de quibus ordine dicendum erit. S. 12.

25. Ac primum quidem de mente, quam omni intelligentia qui vellet ſpoliare, tum experientiæ tum verbo Dei repugnaret. Nam 1. omnes naturaliter veritatis amore rapimur. 11. Hoc ipſum nos à brutis animantibus ratione carentibus diſcernit. 111. Lux dicitur lucere in tenebris Ioh. 1. 5. Supereſt ergò nõnulla humani intellectꝰ perſpicientia. S. 12.

26. Eadem tamen duplici vanitate laborat. 1. Quod pro hebetudine ſua rectam veri inveſtigandi viam tenere nequit: itaque facilè impingit, & oberrans deficit & evaneſcit. 2. Non diſcernit, in quarum rerum notitiam incumbere expediat: hinc in rebus nihili & ſuperfluis inquirendis ridiculè curioſa eſt, ad res neceſſarias aut non advertit, aut contemtim vel raró deflectit. quâ de re tum ipſi Ethnici ſæpius conqueruntur, tum Salomon in Eccleſiaſte palam teſtatur, quando humanæ ſapientiæ ſtudia inanitatis condemnat. S. 12.

27. Nec tamen ita conatus ejus irriti ſunt, ut non aliquid aſſequatur. Quod ut melius intelligamus, obſervanda rerum, circa quas verſatur, diſtinctio. Etenim alia eſt rerum terrenarum intelligentia, alia cœleſtium. Res terrenas vocamus, quæ ad Dei regnum non pertingunt, ſed cum vitâ præſenti rationem relationemq; habent, & intra ejus fines continentur. In quo genere ſunt, politia

œcono

œconomia, artes omnes mechanicæ & diſciplinæ liberales. Res cœleſtes nobis ſunt pura Dei notitia, veræ juſtitiæ ratio, regni cœleſtis myſteria. Huc ergo pertinet divinæ voluntatis cognitio, & vitæ ſecundum eam formandæ regula. S. 13,

28. Iam nobis diſpiciendum, quid intelligentia valeat circa res terrenas: Et primum quidem quoad politiam. Conſtat autem civilis cujuſdam honeſtatis & ordinis univerſales impreſſiones inesſe omnium hominum animis, idque ad ſocietatem humanam fovendam atque conſervandam. Hinc fit, ut omnes intelligant ad eam rem opus eſſe legibus, earumque principia & ſemina absque legiſlatore inſita demonſtrent, in eas denique leges tam gentes omnes quam ſinguli mortales unanimiter conſentiant. S. 13.

29. Nec obſtat, quod quidam jus & fas omne inverſum velint, ut fures & latrones; alii vero judiciis ſuis diſcrepent: Vtrumque enim ex accidente & vitio hominum fit. Illi enim non ignorant leges bonas eſſe, ſed cupiditatibus abrepti, quod mente probant, pro ſuâ libidine oderunt. Hi etiam, quando de his aut illis legum capitibus diſceptant, in quandam tamen æquitatis ſummam concurrunt. Ita quidem debilitas mentis humanæ arguitur, ipſum naturæ jus non tollitur. Hoc ergo ſit primum argumentum, in hujus vitæ conſtitutione nullum hominẽ deſtitui luce rationis. S. 13.

30. Sequuntur artes liberales, & manuariæ, in quibus apparet vis humani acuminis non exigua. 1. Ex eo quod illis diſcendis ineſt omnibus nobis quædam aptitudo & facilitas. Etſi enim non omnes ſint æquè idonei, communis tamen quædam perſpicientia ſeſe exerit: non ex recordatione, ut Plato voluit, ſed quia homini ejus ingenitum

eſt principium. II. Quia præterea ſuppetit ad excogitandum in arte quavis novum aliquod, vel ad amplificandum & expoliendum, quod alio præeunte didiceris, energia. III. Ex artium inventione, methodica traditione, interiori ac præſtantiori cognitione. Etſi enim hæc paucorum ſit, nec probet communem perſpicaciam, jure tamen inter dotes naturales cenſetur, quia promiſcuè piis & impiis contingit. IV. Ex ipſis profanis ſcriptoribus, in quorum libris admirabilis quædam veritatis, æquitatis, rationis, ſapientiæ lux affulget. Teſtes ſunt Iuriſconſulti, Logici, Medici, Mathematici, quorum ſcripta non niſi ſumma cum admiratione legi poſſunt. S. 14. 15.

31. Hinc diſcimus, quot & quam multa menti humanæ bona Deus reliquerit, inter dona tamen Dei connumeranda. Nam, I. Etſi omnibus univerſaliter aut plærisque inſint, in earum tamen varietate quisque peculiarem Dei gratiam poteſt agnoſcere. II. Quoties Deus motiones creat, non tantum docet, quam nihil valeat mens, niſi ejus lumine perfuſa; ſed ſimul gratuito beneficentiæ argumento ad gratitudinem invitat. III. Si Dei Spiritus eſt unicus veritatis fons, ſane illam reſpuere non poſſumus, ubi apparet, nec ejus laudem alio deferre. IV. Quicquid eſt laudabile aut præclarum, non niſi Deum poteſt habere autorem. V. Etiam Ethnici poëtæ philoſophiam, & leges, & bonas omnes artes Deorum inventa eſſe confeſſi ſunt. VI. Id Deus olim ſpeciali exemplo Beſeleelis, & Oliabi comprobavit, Exod. 31. 2. & 35. 30. Si enim oportuit ſcientiam, quæ ad templi fabricam requirebatur, à Deo inſtillari, nihil mirum eſt earum rerum, quæ ſunt in vitâ humanâ præſtantiſſimæ, cognitionem per Spiritum Dei

commu-

communicari. Spiritum autem hîc intelligimus, non ſanctificationis, qui proprius eſt fidelium, ſed eum, cujus virtute Deus replet, movet & vegetat omnia, ſecundum proprietatem cuique rei, creationis lege, tributam. S. 14, 15, 16.

32. Nec idcirco contemnenda quæ in Phyſicis, Dialecticis, Mathematicis, & reliquis tractata inveniuntur, eo quod impiorum opera & miniſterio ad nos pervenerint. Etenim Dei dona ſunt, quæ ultro oblata nemo poteſt negligere, niſi juſtas ignaviæ ſuæ pœnas dare velit. S. 16.

33. Nemo tamen hoc ipſo ſe valde beatum æſtimet, quia tota hæc intelligendi vis, & ipſa intelligentia, fluxa eſt & evanida, niſi accedat ſolidum veritatis fundamentum. Quo ſenſu Auguſtinus veriſſimè dixit, naturalia, quæ reſtant homini, corrupta & inquinata fuiſſe, non quatenus à Deo proficiſcuntur, ſed quia homini pura & laudi eſſe deſierunt. S. 16.

34. Concludimus itaque, homini in rebus externis non deeſſe perſpicaciam & rationem, quæ eum à reliquis creaturis diſtinguat, ſic tamen ut ejus laus ſoli Deo debeatur. Nam I. ipſi defectus, ut cum naſcuntur moriones & ſtupidi, tam non obſcurant Dei gratiam, ut potius eam commendent. II. Specialis donorũ varietas nemini Deum obſtrictum eſſe clamat. III. Idem teſtantur ſingulares & heroici motus, quos pro cujusque vocatione Deus inſtillat. IV. Atque huc pertinent exempla, quæ in factis particularibus ſunt conſpicua. Itemque phraſes, quibus Dei Spiritus dicitur inſiluiſſe, induiſſe, tranſiviſſe, mutaſſe, tetigiſſe corda hominum, Iudic. 6. 34. I Sam. 10. 6. & 16. 13. V. Idem de ſuis heroibus paſſim fatetur Homerus. VI. Et probat quoque experientia, attonitos ſcili-

cet hærere etiam ſolertiſſimos niſi ſingulis momentis à Deo regantur, Pſal. 107. 40. S. 17.

35. Porro videndum eſt, quid ratio humana poſſit circa regnum Dei & res ſpirituales. Cum autem earum perſpicientia tribus potiſſimum rebus conſtet, ut & Deum norimus, & noſtram adoptionem, ſive paternum ejus erga nos favorem, & formandæ vitæ noſtrę rationem, in primis illis duobus, præſertim in ſecundo, etiam ingenioſiſſimi hominum, talpis ſunt cæciores. S. 18.

36. Fatemur equidem, de Deo apud Philoſophos multa legi ſcitè & appoſitè dicta. Aſſerimus etiam, Deum illis divinitatis ſuæ guſtum præbuiſſe. Sed addimus, illa ipſa, quæ de Deo cognoverunt, exigua fuiſſe & paucula: tum vero, vertiginoſam quandam imaginationem reſipere: ipſas quoque veritatis guttulas, quas libris aſpergunt, multis & portentoſis mendaciis inquinari: Certitudinem vero benevolentiæ divinæ ne olfecerunt quidem. Itaq; nunquam ad veritatem iſtam contendit aut appropinquat humana ratio, ut intelligat, quis ſit verus Deus, & qualis erga nos ſit. Reliqua, quæ ſupereſt, cognitio, horſum tantum facit, ut homines reddantur inexcuſabiles. S. 18.

37. Sed hæc plenius nobis demonſtranda ſunt. Primum locum obtineant ea Scripturæ loca quibus non renati tenebris, itemque carni & ſanguini conferuntur, Ioh. 1. 12. Matth. 16. 17. ſimulque dicitur lucem à tenebris non comprehendi, carnem vero non eſſe capacem divinæ illius ſapientiæ, nec eam poſſe revelare: fideles autem ex Deo naſci, & ſpeciali Patris patefactione Deum cognoſcere. Sequitur illud ipſum acumen, quod in naturâ manſit, quantum ad Dei notitiam, meram eſſe caliginem & ſtupiditatem. S. 19.

38. In ſecunda claſſe ponimus Scripturæ teſtimonia quæ agunt de noſtra regeneratione. Quicquid enim à Deo & per Spiritum regenerationis confertur, id naturæ noſtræ deeſſe conſequens eſt. Pſal. 36. 10. *Apud Deum eſt fons vitæ, & in lumine ejus videmus lumen.* Alibi ergo nihil eſt, niſi mors & tenebræ. 1 Cor. 12. 3. *Nemo poteſt dicere Dominum Ieſum niſi in Spiritu Sancto.* Ioh. 3. 17. *Nemo poteſt accipere quidquam niſi datum ſit ei deſuper*, proinde nec rerum divinarum intelligentiam. Deut. 23. 1. *Viderunt oculi tui ſigna, &c. Et non dedit tibi Deus cor ad intelligendum nec oculos nec aures, &c.* Ergo ſtipites ſumus in operibus Dei conſiderandis. Rurſus, *Deus dat cor ad cognoſcendum Deum.* Idque ſingularis gratiæ loco pollicetur, Ierem. 24. 7. Idem Chriſtus docet Iohan. 6. 44. *Nemo venire ad me poteſt, niſi Pater traxerit eum.* Erat tamen Chriſtus viva Patris imago: Et venerat ut voluntatem Patris patefaceret: atque hac legatione fideliter eſt defunctus. Sed hac ipsâ prædicatione externâ nihil effici teſtatur, niſi interior magiſter Spiritus viam ad animos aperiat. Eodem pertinet locus, Eſ. 54. 7. *Erunt omnes edocti à Deo.* Promittit enim peculiare beneficium. Externum vero docendi genus tam impiis quam piis eſt commune. Clariſſimè vero Paulus non tantum univerſam humanam ſapientiam tanquam cæcam, & noxiam in negotio ſalutis rejicit 1 Corinth. 1. & 2. ſed omne etiam acumen homini detrahit. *Animalis homo*, qui naturæ lumine duntaxat nititur, *non poteſt percipere quæ ſunt Spiritus Dei, quia ſtultitia ipſi ſunt: nec poteſt intelligere*, in ſpiritualibus ſcilicet myſteriis. Et cauſam adfert, *quia ſpiritualiter dijudicantur*, 1 Cor. 2. 14. Quo ſenſu ℣. 9. myſteria regni ſupra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

oculorum, aurium, & mentium capacitatem extulit, & verſ, 10. 12. eorum revelationem atque notitiam Deo & Spiritui ejus attribuit. Eodem modo Eph. 1. 15. Deum, ait, dare Spiritum ſapientiæ & revelationis, illuminare mentem, ut ſciamus ſpem vocationis noſtræ. Ergo ante revelationem cæcutiunt homines, nec hujus ſcientiæ ſunt capaces, niſi Deus eam donet. S. 20. 21.

39. Excipiunt Pelagiani, Deum noſtræ ruditati per doctrinam verbi ſuccurrere, & eo dirigere intellectum, quo ſine duce pervenire non poterat. Reſp. Præter externam prędicationem opus eſſe interno magiſterio, de quo Paulus manifeſtè loquitur. Idque exemplo ſuo probat David, qui petit oculos ſibi revelari, Pſ. 119. 18. cum tamen in manibus haberet legem Dei. Sic Apoſtoli, ab optimo magiſtro externè edocti, opus tamen habuerunt Spiritu veritatis, qui etiam intus doceret, Iohan. 14. 26. Eſt quidem Dei verbum, velut Sol aliquis, affulgens nobis: ſed porro neceſſe eſt, ut etiam in cordibus Pater ille luminum reſplendeat. Iacob. 1. 17. Denique cum hanc intelligentiam petere à Deo debeamus, eamque Deus ſe daturum promittat, utrinque noſtra luculenter arguitur inopia. S. 21.

40. Reſtat tertium membrum, quid mens humana valeat circa juſtitiam operum, vel regulam vitæ rectè inſtituendæ. Atque hîc acutiorem eſſe, quam in ſuperioribus, nō diffitemur. Rectè ſiquidem Paulus ait, Gentes habere legem ſcriptam in cordibus, & natura facere ea quæ ſunt legis, Rom. 2. 14. Vnde etiam vulgo dicitur, hominem lege naturali ſufficienter ad rectam vitę normam inſtitui. Sed ex eodem loco Pauli, ſi ſcopum & methodum reſpicias, apparet, finem legis naturalis non eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eſſe alium, quam ut homo reddatur inexcuſabilis. Itaque ſic rectè definietur, quod ſit conſcientiæ agnitio, inter juſtum & injuſtum diſcernentis, ad tollendum hominibus ignorantiæ prætextum, dum ſuo ipſorum teſtimonio convincuntur. S. 22.

41. Ex quibus colligitur falſam eſſe Platonis ſententiam, non peccari niſi ex ignorantia. Eſt enim homini impreſſum boni & mali judicium, ad quod mens malè ſibi conſcia identidem volens nolens retrahitur. S. 22.

42. Rectius videtur ſenſiſſe Themiſtius, qui docet, intellectum circa theſin rariſſimè falli, hallucinari autem circa hypotheſin & particularia. Etenim homicidium & adulterium in genere fatebitur eſſe res malas: ubi ad ſingulares ſuas actiones ventum eſt, regulæ obliviſcitur, & privatim ſibi blanditur. In hac tamen ſententiâ multa merito deſiderantur. Nam 1. videas plurimos nō tantum ſibi imponere ſub ſpecie boni, ſed ſcientes & volentes, ut de ſe teſtatur Medea, in malum ruere. Et ſcitiſſimè Ariſtoteles incontinentem ab intemperanti ſic diſtinxit; ut illum diceret, abreptum affectu, in ſuo facinore non obſervare, quod generaliter in ſimilibus damnat, ſed ſtatim pœnitentiâ duci, ubi perturbatio deferbuit: Hunc vero obſtinatè in ſuſceptâ mali electione perſiſtere. 2. Deinde judicium illud univerſale in boni & mali diſcrimine non eſt ubiq; ſanum & integrum. Etſi enim aliquis juſti & injuſti delectus remanſerit, non eſt tamen neceſſe, ut in ſingulis veritatem cernat: Et ſatis eſt omnem ignorantiæ prætextum ſublatum eſſe ad condemnationem. III. Tum vero, ſi ad legem Dei ratio noſtra exigatur, comperiemus eam multis partibus cæcutire. 1. quoniam ea quæ de vero Dei cultu, primâ tabulâ continentur, ut

ſunt, fiducia in Deum, invocatio Dei, Sabbatiſmus, & ſoli Deo gloriam omnem juſtitiæ eſſe tribuendam, minimè aſſequitur. Itaque licet de ſpirituali cultu & cordis ſinceritate nonnihil concipiat, ſtatim tamen ad ſua commenta relabitur. Hinc fit, ut nec per ſe ſapiat, nec monitionibus auſcultare valeat. In præceptis ſecundæ tabulæ perſpicacior eſſe videtur, quia propius ad civilis ſocietatis conſervationem accedunt. Sed & hîc deliquium patitur; cujus manifeſtum eſt argumentum, quod prout quiſque præſtat ingenio, aliorum dominationem fert impatienter: adhæc injuriarum ultionem eſſe licitam, patientiam vero rem infamem eſſe judicat. Denique morbum concupiſcentiæ planè ignorat, craſſos tantum & immoderatos animi motus in vitio reponit. S. 23, 24.

43. Eorum vero qui conſultam malitiam in omnibus peccatis intercedere volunt, planè repudianda eſt ſententia, quia tum quoque nos graviſſimè labi teſtatur experientia, cum optima intentione quidpiam aggredi videmur. S. 25.

44. Quocirca maneat illud firmum & ratum, planè intellectum hominis cæcutire coram Deo in cunctis vitæ partibus. Ideo Paulus nos idoneos eſſe negat, qui cogitemus aliquid ex nobis tanquam ex nobis, 1 Cor. 3. 5. quin etiam, licet carni durum ſit, tamen Spiritui Sancto æquiſſimum eſſe videtur, Deum noſſe cogitationes hominum eſſe vanitatem, Pſal. 94. 11. Imò figmentum omne hominis tantummodo eſſe malum, Gen. 6. 3. & 8. 21. Nihil ergo jam homini acuminis ſupereſt in rebus divinis. Porro ſi Dei agnitio & intelligentia ſpiritualis eſt Dei beneficium, certè non eſt ſita in noſtra poteſtate. Atqui nemo ea de re dubitabit, qui Davidis & Pauli precationes arden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ardentiſſimas, & ſæpe repetitas rectè attenderit, quibus intellectum tum ſibi tum aliis conferri poſtulant, non illum naturalem, ſed novum certè & ſpiritualem, Pſalm. 119. Phil. 1. 4. Coloſſ. 1. 9. Eph. 1. 14. Nec malè Auguſtinus hanc illuminationis gratiam cum ſolis luce comparat, hâc addita conditione, ut oculos mentis, clauſos alioquin, Deus aperiat. Idemque in progreſſu quoque & incrementis hujus gratiæ locum habet, Pſalm. 119. 10. & 51. 12. S. 25.

45. Examinanda ſupereſt voluntas hominis, in quâ præcipue arbitrii libertas vertitur. Quidam ad voluntatis rectitudinem pertinere exiſtimant, quod Philoſophi tradunt, omnia naturali inſtinctu bonum appetere. Sed hoc naturale benè habendi deſiderium ad probandam arbitrii libertatem nihil conducit. 1. quia hominibus cum belluis adeoque metallis & lapidibus eſt commune. 2. quia magis ab eſſentiæ inclinatione, quam mentis deliberatione proficiſcitur. Iam verò ipſi Scholaſtici nullam liberi arbitrii actionem fatentur, quam quæ fiat præeunte deliberatione & electione. Requiritur ergo, non ut ſenſu naturæ ad bonum feratur, ſed ut bonum recta ratione dijudicet, cognitum eligat, electum perſequatur. III. quia homines ex iſta naturæ inclinatione non deligunt, quod verè bonum ſit; ſed potius ſine ratione & conſilio in contraria ruunt. IV. Denique quia nemo ad hoc ipſum bonum niſi Spiritus impulſu aſpirat. S. 26.

46. Supereſt ut inquiramus ſitne ita penitus vitiata voluntas, ut nihil niſi malum generet; an particulam aliquam illæſam retineat, unde naſcantur bona deſideria. Et Scholaſtici quidem, dum hominem reputant in puris naturalibus, primæ Dei gratiæ

gratiæ tribuunt, ut efficaciter velit. Ita videntur innuere ineſſe nobis facultatem ultro ad bonum aſpirandi, ſed imbecilliorem, quam quæ in ſolidum effectum emergat, aut conatum excitare poſſit. Eamque in rem abutuntur loco Pauli, Rom. 7. 15, 19. Sed præter mentem Apoſtoli, quem conſtat loqui de regeneratis. I. ex luctâ carnis & Spiritus, quam ibi deſcribit, ſicut & Gal. 5. 17. atqui Spiritus non eſt à naturâ ſed à regeneratione. II. quia negat ſe malum facere, ſed peccatum in carne habitans: quæ excuſatio ſolis regeneratis competit. III. quia meminit diſſidii inter legem membrorum, & legem mentis ſuæ atque interiorem hominem, ſecundum quem delectetur lege Dei: quale diſſidium eſſe nequit niſi in illis, qui Spiritu Dei regenerati reliquias carnis ſuæ circumferunt. IV. quia ipſe Auguſtinus hunc locum in retractationibus ſuis ſic interpretatur. S. 26. 27.

47. Porro falſum eſſe, quod ajunt hominem ſine gratiâ habere quamlibet puſillos, aliquos tamen, ad bonum motus, vel hinc liquet, quod Apoſtolus negat nos ad aliquid cogitandum eſſe idoneos 2 Cor. 3. 5. Et omne figmentum humani cordis tantummodo malum eſſe pronuntiatur, Gen. 8. 21. Inſuper totus homo naturâ peccator & ſervus peccati dicitur, Eph. 2. 3. Iohan. 8. 34. Hîc quis voluntatem eximet, quæ præcipua eſt peccati ſedes? Denique ſi qua præcederet voluntas Spiritus S. gratiam, non conſtaret, quod Paulus dicit, Deum operari in nobis velle & perficere. Phil. 2. 13. S. 27.

48. Falſa proinde ſunt, quæ de præparatione multi nugantur. Nec eorum cauſam juvat, quia fideles petunt ſibi cor formari ad legis obſequium, Pſal. 119. Nos enim de non renatis agimus. Et hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ipſum precandi deſiderium à Deo eſt, Pſal. 51. 12. Atque his ipſis conſona dicit Auguſtinus de verb. Apoſt. Ser. 10. cap. 2. S. 27.

49. Quod diximus totum hominem eſſe corruptum, apertius liquet hiſce argumentis. I. ex Ioh. 3. 6. Rom. 8. 6. quibus locis non eſt dubium totum hominem depingi. Iam ſi in hominis natura nihil eſt niſi caro, hæc autem toto ſuo affectu inimicitia eſt adverſus Deum, Legi vero Dei nec ſubjicitur nec ſubdi poteſt, nihil denique parit niſi mortis materiam, ſequitur ex eâ nihil boni poſſe elici. c. 3. S. 1.

50. Excipiunt carnis vocabulum ad ſenſualem tantum pertinere non ad ſuperiorem animæ partem. Reſp. Gloſſam pugnare cum argumentatione Chriſti & Apoſtoli. Nam 1. probat Chriſtus oportere hominem renaſci; rationem adfert, quia caro ſit. Non renaſcitur ſecundum corpus. Ergo ſecundum animum. Hunc autem renaſci eſt totum corrigi & renovari. II. Idem evincit antitheſis carnis & ſpiritus, quæ nihil relinquit medium. Ergo quidquid non eſt ſpirituale, hoc eſt carneum. Porro quidquid habemus Spiritus, eſt per regenerationem. Eſt igitur caro, quidquid nobis ineſt à naturâ. c. 3. S. 1.

51. II. Eodem facit conſideratio hominis ſecundum utramque partem animæ. De mente conſtat ex Epheſ. 4. 17, 18, 20, 23. Vbi 1. deſcribit veterem hominem, quem dicit corruptum eſſe concupiſcentiis erroris, vanitate mentis, obtenebratum intelligentia, alienatum à vita Dei propter ignorantiam & cæcitatem cordis. Hoc plus eſt quam in parte ſenſitiva tantum vitiatum eſſe. 2. Exigit, ut renovemur Spiritu mentis noſtræ. Id fieri non eſt neceſſe, niſi mens quoque ſit cor-

corrupta. 3. Gentibus nondum regenitis, & in vanitate mentis ambulantibus confert fideles aliter edoctos à Chriſto. Ita commendat gratiam Chriſti, quâ liberamur à cæcitate. Quo reſpicit promiſſio Eſ. 60. 2. Dominum fore in lucem ſempiternam Eccleſiæ. Extra hanc proinde, nihil ſunt niſi tenebræ, per totam terram, & in omnibus populis. Denique huc etiam commodè referri poſſunt quæ in hominis vanitatem paſſim declamat Scriptura, præſertim Pſalm. 62. 10. Nihil ergo menti relinquitur integrum, cum omnes ingenii cogitationes ut ſtultæ, frivolæ, inſanæ, perverſæ irridentur. c. 3. S. 1.

52. De voluntate res eſt non minus evidens. Ierem. cap. 17. 9. cor hominis præ omni re ait eſſe fraudulentum & perverſum. Illuſtris porrò eſt totius humani generis deſcriptio, quæ extat Rom. 3. à verſ. 10. uſque ad ẏ. 19. Ad cujus loci explicationem tenendum eſt. 1. non aliquos aut certos homines, non etiam unius aut alterius ſæculi mores coargui, ſed perpetuam naturæ humanæ corruptionem, non conſuetudine tantum, ſed naturæ pravitate acquiſitam. 2. Scopum Apoſtoli hunc eſſe, non ut objurget ad reſipiſcentiam, ſed ut omnes & ſingulos reos peragat ad condemnationem. Ideoque nullam homini eſſe ſalutem, niſi in Dei miſericordia, quia in ſe perditus eſt. 3. Hominem deſtitutum eſſe omni gloriâ Dei, juſtitia, hoc eſt, integritate & puritate, itemque ſapientia & intelligentia. hujus defectum arguit apoſtaſia à Deo verſ. 11. 12. illius τεκμήρια ſunt univerſalis vitæ corruptio, & flagitia, quibus ſingula membra omnes contaminant, denique vacuitas timoris Dei verſ. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Hæ ſunt hæreditariæ humani generis dotes

dotes & elogia. Itaque fruſtra ex hac natura corrupta aliquid boni requiras. c. 3. S. 2.

53. Nec obſtat, hæc in unoquoque homine flagitia non emergere. Semen enim & materia eorum in ſingulorum pectoribus latet, ſicut in corpore non ſano cauſæ morborum: hoc etiam cum diſcrimine, quod corpori vigor vitæ adhuc ineſt, anima vero tota jacet mortua in malo. cap. 3. S. 2.

54. Excipiunt, nonnullos Ethnicorum extitiſſe, & quidem omnibus ſæculis, qui eximiis virtutibus excelluerint, perpetuo quodam vitæ tenore ſe honeſtè geſſerint, & licet à lapſibus non eſſent immunes, ipſo tamen honeſtatis ſtudio ad virtutem contenderint. Quocirca non videri naturam hominis in totum eſſe vitioſam. Reſp. I. Quid hæ virtutes valeant ad juſtitiam, alibi plenius dicetur. Hîc quæritur, an conducant in naturæ commendationem. Id vero negamus, quia Paulus omnes pronuntiat inutiles, & gloriâ Dei deſtitutos, & variis peccatorum portentis obnoxios, è quorum numero nullus ſeipſum eximet, qui ſe recte examinat. II. Etiam hic gratiam Dei agnoſcimus, qui non permittit, hominum corruptionem pro libidine graſſari. Sed diſcrimen ſimul ponimus inter eam gratiam qua electos purgat à morbis ſuis; & alteram, qua duntaxat intus cohibet ne in actum, & multa fœditatis genera erumpant. Hinc alii quidem pudore, alii metu legum retinentur; qui vero ad virtutem aſpirare videntur, hoc nempe agunt, vel quod honeſtam vitæ rationem ſibi conducere putant, vel certè, ut ſua majeſtate alios in officio contineant. c. 3. S. 3.

55. Vrgent quidẽ, aut nihil diſcriminis eſſe inter Camillum & Catilinam, aut in illo naturæ exem-

plum

plum dari, quæ non prorſus omni bonitate vacet, ſi tantum ſtudio excolatur. Reſp. fatemur eſſe iſtas in Camillo ſpecioſas dotes, & jure commendabiles, ſi in ſe æſtimentur: nec tamen naturalis probitatis eſſe documenta. 1. quia concedi debet fuiſſe hominem animalem; proinde pravum, & ſub ipſa ſpecie integritatis ad corruptionem pronum. 2. non fuerunt iſtæ communes naturæ dotes; ſed ſpeciales Dei gratiæ, quas Deus diverſimode etiam profanis hominibus diſpenſat. Atq; hinc alium benè natum, alium pravæ naturæ eſſe vulgo dicimus, non quidem ut ab univerſali pravitatis conditione utrumque eximamus, ſed ut ſpecialem Dei gratiam alteri collatam indicemus. Hinc Saul veluti in novum hominem mutatus dicitur. 1 Sam. 10.6. Et Plato regum filios ſingulari nota inſignes creari dicit. Atque inde prodiit, quidquid vel de magnis ducibus vel de privatis heroicum legitur. 3. has ipſas tamen virtutes etiam præſtantiſſimi turpiter fœdarunt, primum ambitione, quâ ſolâ impulſi egerunt. deinde quod nullum habuerint gloriæ divinæ illuſtrandæ ſtudium: denique quod Dei timore caruerint, cujus Spiritus tantum ſuper Chriſtum requieſcit, & omnes eos, qui à Chriſto edocti ſunt. habeant ergo laudem ſuam in foro humano, coram Deo gratiam omnem amittunt. c. 3. S. 4.

56. III. Voluntatem porro corruptam eſſe & ſervam peccati, ita ut ſe ad bonum commovere, non poſſit, nedum applicare, ex eo etiam conſequitur, quod talis motus ſit principium converſionis naturæ ad Deum. At hæc tota Dei gratiæ tribuitur. Ieremias enim petit ſe converti à Deo. Et populum fidelem de manu fortioris redemtum eſſe dicit, cujus jugo tanquam arctis compedibus alliga-

alligatus fuerit, Ier. 31. 18. Neque tamen hoc ipſo voluntatem tollimus, ſed corruptam eſſe affirmamus, ut ſequenti diſputatione plenius demonſtrabitur. cap. 3. S. 5.

57. IV. Idem ex divinæ gratiæ remedio, quo naturæ vitioſitas ſanatur, liquido eluceſcit. Si enim, quod nobis deeſt, largitur Deus, ex ipſo Dei opere noſtra penuria ſatis arguitur. At ipſe eſt, qui dat boni operis principium, idemque perficit, Philip. 1. 6. Ipſe eſt, qui dat cor novum, & Spiritum novum, qui aufert cor lapideum, & dat cor carneum, qui denique efficit ut in præceptis ejus ambulemus, Ezech. 36. 26. nihil ergo hîc noſtri ſupereſt. S. 6.

58. Errant ergo I. qui voluntatem quidem per ſe infirmam eſſe admittunt, tunc à Deo bonum opus inchoari contendunt, quando voluntas adjuvatur. Nos contra ipſam voluntatem totam renovari & ex malà in bonam transformari oportere aſſerimus, adeoque quidquid boni eſt in voluntate, ſolius Dei gratiæ eſſe opus. 1. ex collatione cordis noſtri cũ lapide, Ezech, 36. 38. Sicut enim nulla huic ineſt mollicies, quæ flexum recipiat, ita nec voluntati. Itaque in hominis converſione tota nova creatur, abolita duritie & corruptione, in cujus locum quæ bonitas ſuccedit, tota Dei eſt. II. Cum ne ad cogitandum quidem aliquid boni ſimus idonei, & Deus operetur ipſum velle, 2 Corinth. 3. 5. Phil. 2. 13. ſequitur Deum non opitulari tantum infirmæ voluntati, aut pravam corrigere. III. Ejuſdem generis ſunt, quæ dicuntur, 1 Corinth. 12. 6. *Deum operari omnia in omnibus.* 1 Corinth. 1. 30. *Fideles eſſe ex Deo in Chriſto.* Eph. 2. 10. *Nos eſſe Dei opus, conditos in Chriſto ad bona opera quæ præparavit, &c.* Ergo ab initio uſq; ad finem,

& ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

& ab ipſo primo converſionis motu, tum initium omnis boni, tum tota ſpiritualis vita eſt non à nobis aut noſtra aliqua facultate, ſed in ſolidum Deo debetur. IV. Si qua eſſet vel minima ex nobis facultas, aliqua etiam ſupereſſet meriti portio. Iam vero ex nova creatione Paulus adſtruit gratuitam planè eſſe noſtram ſalutem, Eph. 2. 10. v. His adde dictum Pſ. 100. 3. *Non fecimus nos ipſi, ſed Deus nos fecit, & quidem populum ſuum.* Nihil ergo reſtat homini, in quo glorietur, quia non tantum laus ſalutis noſtræ Deo competit, ſed ab omni ejus ſocietate homo excluditur. Colligimus itaque inter Deum & hominem non dari partitionem. S. 6.

59. II. Errant etiam, qui concedunt voluntatem, à bono ex ſe averſam, ſola Domini virtute converti, ſic tamen ut præparata ſuas deinde partes habeat. In quem ſenſum adducunt verba Auguſtini, *omne bonum opus præcedere gratiam, comitante non ducente, pediſſequa non prævia voluntate:* Et Chryſoſtomi, *nec gratiam ſine voluntate, nec ſine gratiâ voluntatē quidquam poſſe operari.* Nos vero contendimus, & pravam naturam corrigi, & bonam à Deo ſubmitti, adeo ut & ipſam voluntatem operetur. Auguſtini verò mens non fuit, ſecundas aliquas à gratiâ partes in bono opere voluntati aſſignare. Sed cum refelleret Pelagium, probat gratiam omni merito priorem. De perpetuo autem gratiæ effectu ſic alibi luculentius. *Deus prævenit nolentem ūt velit, volentem ſubſequitur ne fruſtra velit. Item, in noſtra voluntate, quod noſtrum eſt & non ex Deo, non poteſt inveniri. Item Deus arbitrium adjuvat non tantum ut cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* S. 7,

60. Cæterum quia verſamur jam in præcipuo car-

cardine totius controverſiæ, ad argumenta quæ allata ſunt, hæc inſuper addimus. I. Conſtat electionis cauſam quærendam eſſe extra homines. Iam verò voluntas ad bonum propenſa non eſt, niſi in electis. Quocirca non eſt homini à ſe ipſo, ſed ex æterno Dei beneplacito fluit. II. Fides eſt gratuitum Dei donũ. Ergò & bene volendi agendique principium. Etenim utrumque ex fide eſt. III. Ex Ezech. 36. 26. & 11. 19. Ierem. 32. 29. His locis duo ponuntur, & cor lapideum tolli, & aliud dari cor, nempe carneum: ſimul etiam converſio noſtra, creatio novi Spiritus & novi cordis eſſe aſſeritur. Itaque ex noſtra voluntate nihil prodit boni, donec fuerit reformata, & poſt reformationem, qua bona eſt, non eſt à nobis, ſed à Deo. IV. Ex precationibus ſanctorum quibus poſtulant inclinari cor ſuum ad Dei mandata. Præſupponunt ergò cor naturaliter ad rebellionem propenſum, ferri ſuo motu in contumaciam, niſi correctione divina in obſequium cogatur. V. Ex Pſalmo 51. 12. Cor mundum in me crea, & Spiritum tuum iunova in viſceribus meis. Agnoſcit Propheta omnes cordis ſui partes impuras, & ſpiritum eſſe pravum: cordis verò munditiem ſolius Dei eſſe creaturam. Nec obſtat, quod ex pio affectu oret. Nam quia Dei gratiam ad tempus non ſenſerat, hominis à Deo alieni & mortuo ſimilis perſonam induens, meritò ſibi dari petit, quæcunque electis in regeneratione Deus confert. VI. Ex locis quibus cuſtodia Sabbathi religioſa mandatur. Ea vero conſiſtit in quiete ab operibus noſtris, ut Deus in nobis operetur. Conficitur, noſtris operibus valere juſſis, Dei operibus juſtum locum eſſe cedendum. VII. Ex Iohan. 15. 1. 4. 5. Ego ſum vitis vos palmites. Sicut palmes non

poteſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

poteſt ferre fructum à ſe ipſo, ita nec vos, niſi manſeritis in me. Sine me nihil poteſtis facere. Ergo nulla eſt naturæ noſtræ aptitudo ad bonum extra Chriſtum: nec tantum infirmi ſumus, ſed omni facultate benè operandi caremus. Quando autem fructificamus, à vite, cui ſumus inſiti, totum id habemus, non à nobis. Frivolum verò eſt ſuccum imaginari, & vim proferendi fructus incluſam palmiti, ut aliquid etiam ſuum videatur conferre. Dicimur enim ſeparati à Chriſto nihil aliud eſſe, quam lignum aridum, & nihili, cui extra Chriſtum nulla facultas inſit. Eademque ſententia Chriſtus arborem dicit eradicandam, quam Pater non plantaverit, Matth. 15. 13. VIII. Ex Philip. 2. 13. Deus operatur in nobis velle & perficere. Prior pars boni operis eſt voluntas, altera validus in exequendo conatus. Vtriusque author Deus eſt. Nihil ergò relinquitur homini, nec in voluntate, nec in intellectu: ſed *Deus eſt qui efficit omnia*, dona videlicet ſpiritualia *in omnibus* 1 Cor. 12. 6. IX. Ex Pſal. 86, 11. Doce me vias tuas, & ambulabo in veritate tua: unias cor meum ad timendum nomen tuum & Pſ. 119. 133. Itaque probè etiam affectus David, petit tamen confirmari ad conſtantiam ne evaneſcat, aut effluat. Concludimus, ita Deum in nobis inchoare & perficere bonum opus, ut ejus ſolius ſit, quod recta amamus, deſideramus, ſectamur: Deinde quod electionem, ſtudium, & conatum ad effectum perducimus. Poſtremò quod conſtanter in illis uſque ad finem perſeveramus. c. 3. S. 8, 9.

61. III. Errant & illi qui ſic voluntatem moveri volunt, ut noſtræ poſtea ſit electionis, motioni obtemperare aut refragari. Eoq; trahunt verba Chryſoſtomi: *quem trahit, volentem trahit.* Nos

contra

contra dicimus voluntatem efficaciter affici. Nam I. Abſurdum eſt in noſtra converſione Dominum porrecta manu tantum expectare, an juvari auxilio ejus nobis placeat. II. Confunditur ſtatus naturæ integræ cum corrupta. In illa potuit ſe homo, cum adhuc ſtaret, in alterutram partem inclinare. Sed poſt lapſum ſuo exemplo docuit, quam miſerum ſit arbitrium, niſi Deus in nobis & velit, & poſſit, præſertim cum datam gratiam nunc etiam obſcuremus. III. Confundunt univerſalem gratiam cum ſpeciali. Vniverſaliter omnibus expoſita eſt Dei gratia iis, qui eam quærunt. Sed illud quærere & velle eſt ſpeciale Spiritus S. donum, atque electorum prærogativa, quæ omnibus promiſcuè non contingit. IV. Pugnat iſta ſententia cum Scriptura. Deus enim non ſolum bonæ voluntatis gratiam offert, ſi acceptemus, ſed ipſum velle in nobis efficit, Philip. 2.13. Promittit etiam ſe daturum Spiritum, non tantum ut poſſimus ambulare in viis ejus, ſed ut re ipſa ambulemus, Ezech. 11, 19. 36, 27. Etiam Chriſtus efficacem Dei gratiam arguit, quando dicit omnes, qui audiverunt à Patre, venire ad Chriſtum, nemo autem venit niſi pater traxerit eum: Ioh. 6. 44, 45. Denique qui eſt ex Deo, non poteſt peccare, quia ſemen Dei manet in eo, 1 Ioh. 3. 9. Ergò inflexibili affectu efficacem Dei motionem ſequitur. Concludimus non dari motum medium, cui obſequi, vel quem repellere liberum ſit. c. 3, S. 10.

62. IV. Deniq; errant qui perſeverantiam ſtatuunt pro hominum merito diſpenſari, pro ut ſe unusquisq; non ingratum primæ gratiæ præbuerit. At I. Hic error natus eſt ex priori, quo exploſo per ſe corruit. II. Bifariam hic erratur. Primò quod legitimum primæ gratiæ uſum compenſari

docent

docent poſterioribus gratiis: Deinde, non ſolam gratiam in nobis operari, ſed eſſe tantum cooperatricem. Quo ad prius, concedimus Dominum, quia opus ſuum in nobis acceptum habet, majoribus gratiis cumulare, qui prioribus rectè uſi ſint, Matth. 25. 21, 23, 29. Sed hic duo cavenda. I. Ne putemus hominem ſua induſtria primam gratiam reddere efficacem: quia ipſe quoque bonus gratiæ uſus à Deo eſt. II. Ne ſic remuneratio laudetur, ut deſinat haberi gratuita Dei gratia. Ad poſterius reſpondemus, ſi diſtinctio gratiæ operantis & cooperantis ſic accipiatur, ac ſi ex proprio Dei & noſtri motu mutua fieret concurrentia, nos eam non admittere. Alioquin ex mente Auguſt. multiplicationem gratię denotat, ut eadem quidem ſit gratia, ſed quæ aliud ſortiatur nomen à diverſo effectus modo. Ita Deus cooperando perficit, quod operando incipit, ſic tamen ut nihil hic ſit, quod nobis liceat arrogare. Vtrumque enim, & velle, & perficere facit Deus ex gratuita ſua benevolentia, Phil. 2. 13. & ipſa voluntas, eſt inter gratuita Dei dona: Auguſt. c. 3. S. 11, 12.

63. Objiciunt I. Negari non poſſe, poſtquam primæ gratiæ locum dedimus, conatus noſtros ſubſequenti gratiæ cooperari. Reſp. Fatemur, ubi gratia Dei regnat, talem eſſe obſequii promptitudinem, qua ultro eam ſequimur. Sin hominẽ volunt à ſe ſumere, unde Dei gratiæ collaboret, graviſſime falluntur. Eſt enim idem Spiritus, qui principio generat obediendi affectionem, & ad perſeverandi conſtantiam porro confirmat. c. 3. S. 11.

64. II. Objicitur locus Pauli 1 Cor. 15. 10. Plus omnibus laboravi, non ego tamen, ſed gratia Dei mecũ, Facit ergo ſe Dei cooperarium. Reſp. 1. Paulus non facit ſe conſortem laboris cum Domino,

ſed

ſed totam potius laboris laudem uni gratię transſcribit. 11. Ambiguitas eſt in voce *mecum*, aut potius error ex mala verſione. Neq; enim dicit gratiam fuiſſe cooperatricem, ſed ἡ χάρις ἡ σὺν ἐμοὶ, hoc eſt, quæ mecum fuit, mihi adfuit, fuit omnis iſtius laboris effectrix. c. 3. S. 12.

65. Concludimus hanc diſputationem teſtimoniis Auguſt. ne quis vetuſtatem nobis adverſam eſſe criminetur. Voluntas bona hominis præcedit multa Dei dona, ſed non omnia, quia in eis & ipſa eſt. Miſericordia enim Dei prævenit eam ut velit, & volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit. Sic Bernhardus: Trahe me invitam ut facias voluntariam. Rurſus Auguſt. ait plus nobis datum eſſe quam Adamo, nempe ut velimus & poſſimus. Item, Tantum Spiritu Sancto accenditur voluntas ſanctorum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt, ideo velint quia Deus operatur ut velint. Idque inter tam multas tentationes, & in tanta noſtra infirmitate, fuiſſe neceſſarium, ut gratia divina indeclinabiliter & inſeparabiliter ageret, ne voluntas infirma deficeret. Ergò ex ſententia Auguſtini non tantum offertur gratia quæ liberæ ſit electionis, ſed quæ in corde & electionem & voluntatem formet. c. 3. S. 12. 13.

66. Quod vero alibi dicit, non tolli gratia voluntatem, ſed ex mala mutari in bonam, & bonam adjuvari, eo ſpectat, ut ſignificet non ſine motu cordis, aut extraneo impulſu ferri, ſed intus ſic affici ut ex corde obſequatur. Sępius alioquin negat hominum meritis ſubſequentem reddi gratiam. Contra docet humanam voluntatem, non libertate gratiam, ſed gratia conſecutam eſſe libertatem: Et per hanc ad perpetuitatem conformari. atque inſeparabili fortitudine roborari: hac guber-

nante

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nante non excidere, illa deſerente corruere: Denique nec ad Deum converti, nec in Deo perſiſtere poſſe niſi per gratiam, &c. c. 3. S. 14.

DISPVTATIO III,
Quâ dubia & objectiones ſolvuntur, quæ circa doctrinam de Liberó Arbit. moveri ſolent.

Ex lib. 2. cap. 4. & 5.

Hactenus ſufficienter probatum eſt, hominem ita peccati jugo captivum teneri, ut ad bonum nec voto adſpirare, nec ſtudio contendere poßit. Porro nobis occurrendum eſt difficultatibus & dubiis, quæ hic moveri ſolent, & adverſariorum objectiones refellendæ. cap. 4. Sect. 1.

I. PRimum offenduntur nonnulli, quod voluntatem, libertate abdicatam, dicimus neceſſitate in malum vel duci vel trahi. ita verò cenſent hominem omni voluntate privari. Reſp. id nullo modo conſequi. Nam 1. diſtinguenda eſt neceſſitas à coactione. Eſt enim Deus neceſſario bonus, nec niſi benè agere ſolet, & tamen non coactè ſed liberrimè agit. Sic etiam Diabolus neceſſario eſt malus, & cum non niſi malè agere poſſit, voluntate tamen peccat. Ergo ſimul idem neceſſarium eſſe poteſt, & voluntarium. Eadem ratione, licet homo peccandi neceſſitati ſit obnoxius, nihilominus voluntariè peccare dicetur. 2. non dicimus voluntate privatum eſſe hominem, ſed voluntatis ſanitate. Manet ergo voluntas, & tum quoque, quando neceſſario peccat homo, non invitus tamen nec coactus, ſed propenſiſſimâ affectione ad peccandum propendet & feſtinat. III. nec aliter ſenſerunt aut loquuti ſunt Auguſtinus & Bernardus. cap. 3. S. 5. cap. 4. S. 1.

2. De-

2. Deinde quæritur, cum homo in ſervitutem Diabolo ſit addictus, ejuſque arbitrio videatur magis agi, quam ſuo, quale ſit actionis utriuſq; genus. Reſp. I. Voluntatem hominis animalis ſubjacere imperio Diaboli conſtat ex 2. Cor. 4. 4. Eph. 2. 2. quibus locis dicitur excœcare mentes, & operari in filiis contumaciæ. Nec aliter fieri poteſt. quos enim Spiritus ſui regimine non dignatur Dominus, eos ad Satanæ dominium juſto judicio ablegat. Atque huc pertinet ſimilitudo equi & inequitantis ſeſſoris, qua Auguſtinus utitur. II. Cum voluntas imperio Diaboli agitatur, non reluctans aut reſtitans cogitur, ſed Satanæ præſtigiis faſcinata, illi ſe ad omnem ductum obſequentem volens & tamen neceſſario præbet. Sequitur proinde, excæcationem, & inde orta flagitia, rectè dici opera Satanæ, ſed quorum cauſa extra humanam voluntatem non ſit quærenda. c. 4. S. I.

3. Tertiò, illa quoque ſolvenda quæſtio, an aliquid in malis operibus Deo ſit tribuendum; in quibus nonnullam ejus actionem Scriptura intercedere paſſim inſinuat. Reſp. nos hic loqui, non de univerſali Dei motione, ſed de ſpeciali, quæ in unoquoq; facinore apparet. Hanc vero Dei actionem diſtinguendam eſſe à Satanæ & hominum actionibus. Idem enim opus Deo, Satanæ, & hominibus tribui non eſt abſurdum, modo diſcrimen obſervetur in fine & modo: in qua varietate tum hominum tum Satanæ nequitia ſeſe prodit, tum Dei juſtitia relucet inculpata. Exemplo ſit ſpoliatio Iobi facta per Chaldæos inſtigante Satana. Iobus tamen fatetur eſſe opus Dei. Sed conſilii diverſitas opus hoc diſtinguit. Deus vult ſervi ſui patientiam exercere. Satan molitur eum ad deſperationem adigere. Chaldæi ex re aliena præter jus & fas lu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

crum quærunt. Conſilium Dei fuit optimum: finis Satanæ & Chaldæorum peſſimus. Quoad modum, Deus ſervum affligendum permittit Satanæ, Chaldæos autem illi permittit & tradit impellendos. Satan pravos Chaldæorum animos inſtigat ad perpetrandum ſcelus. Chaldæi ad injuſtitiam furioſe ruunt. Hîc Satan propriè agit in reprobis, & regnum nequitiæ exercet. Deus etiam ſuo modo dicitur agere, quod Satan tanquam inſtrumentum iræ Dei, pro ipſius nutu & imperio, huc atque illuc ſe inflectit ad exequenda juſta Dei judicia. cap. 4. Sect. 2.

4. Qui hanc Dei actionem non operatione, ſed præſcientia vel nuda permiſſione definiunt, rem ipſam non ſatis explicant. Nam Scriptura dicit Deum excæcare, indurare, corda vertere, inclinare, impellere, &c. At hæ loquutiones plus intervenire teſtantur, quam puram præſcientiam aut permiſſionem. Vnde Auguſtinus rectè contendit, non permiſſionis tantum aut patientiæ divinę eſſe peccata, ſed etiam potentiæ. Duplicem autem actionem in his operibus obſervamus, primam deſertionem, alteram traditionem in manus Satanæ. cap. 4. Sect. 3.

5. Deſerit Deus, quando facultatem videndi, parendi, & rectè exequendi adimit, ſublato lumine & Spiritu Sancto, adeoque ceſſante ejus directione. Ita fit ut nihil quam cæcitas ſuperſit ac duritiés & obliquitas. Huc pertinent loca, Ezec. 7. 26. Pſal. 107. 40. Iob. 12. 20. Eſa. 63. 17. c. 4. S. 3. 4.

6. Tradere dicitur Satanæ, quoties ipſum tanquam iræ ſuæ miniſtrum, & conſilia impiorum ad exequenda ſua judicia deſtinat, quo viſum eſt & voluntates excitat ac conatus firmat. Atque hîc plenius indicatur, quales Deus homines faciat non

tantum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tantum deſerendo, ſed etiam opus ſuum in ipſis peragendo. Indurat Sihonem, & cor ejus obfirmat, hoc quidem fine, ut det ipſum in manus Iſraëlitarum Deut. 2.30. Ergo quia perditum volebat, obſtinatio cordis fuit ad ruinam præparatio. Itidem Deus indurat, aggravat, roborat cor Pharaonis & populi Ægyptiaci, ac vertit, ut odio habeant populum Dei, Exod. 4.21. & 7.3. & 10.1. Deut. 2.30. Pſal. 105.25. Quocirca non tantum Dei conſilio deſtituti impegerunt, ſed quia roborantur & vertuntur, deſtinato ad id ipſum inflectuntur. II. Quoties Deus in populi ſui tranſgreſſiones vindicare voluit, improbos quidem adhibuit, opus tamen ſuum vocavit, efficaciam agendi penes ſe conſtituit, illos miniſterium præbuiſſe aſſeruit, Eſa. 5.26. & 7.18. Ezech. 12.13. & 17.24. Ier. 50.23. Eſa. 10.15. III. Miniſterium porro Satanæ intercedere ad reprobos inſtigandos, quoties huc atque illuc Deus providentia ſua eos deſtinat, nemo inficiabitur, qui legent Spiritum malum, qui exagitavit Saulem, vocari Spiritum Domini & à Domino, 1. Sam. 16. 14. & 18. 10. & 20. 9. non Spiritum Sanctum, ſed impurum Spiritum, qui nutui & potentiæ divinæ tanquam inſtrumentum inſerviat. His adde quod Paulus tradit, divinitus efficaciam erroris immitti, 2. Theſſal. 2.10. cap. 4. Sect. 3.4.5.

7. Concludimus cum Auguſtino, quod impii peccant, ipſorum eſſe: quod peccando hoc vel illud agant, ex virtute Dei eſſe. Addimus magnum diſcrimẽ eſſe in opere quod agit Dominus, & quod Satan impiique moliuntur. Ille mala inſtrumenta, quę ſub manu habet, & verſare quolibet poteſt, ſervire ſuę juſtitię facit. Hi prout mali ſunt, nequitiam ingenii pravitate cõceptam effectu pariunt. c. 4. S. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

8. Supereſt aliud quæſitum, quam libertatem obtineat homo in rebus mediis, quæ nec juſtæ per ſe ſunt, nec vitioſæ, & corpoream magis, quam ſpiritualem vitam ſpectant. Sunt qui ſatius putant in ejuſmodi rebus liberam electioné homini concedere, modo obtineant, nullas ei vires eſſe in rebus ad ſalutem neceſſariis. Et eſt quidem hoc poſtremum utraque manu tenendum: nondum tamen quæſtioni videtur ſatisfieri. Nos dicimus, etiam in illis rebus, ſive mens eligat, quod è re ſua eſſe judicat, ſive voluntas eo ſe inclinet, ſive animus refugiat, quod erat nociturum, ita liberam eſſe voluntatem, ut tamen hæc ipſa ſubſit arbitrio & ſpeciali motioni ipſius Dei: nec providentiæ vim duntaxat ad eventus rerum, ſed ad ipſas quoque voluntates ſe extendere. Idque probamus 1. Exemplis & phraſibus Scripturæ. Ægyptiorum voluntates conciliat Deus Iſraëlitis Exod. 11. 3. facit invenire miſericordiam coram hominibus, Gen. 43. 14. Pſal. 106. 46. impellit Saulem ad bellum, 1. Sam. 11. 6. animum Abſolomi avertit à conſilio Achitophelis, 2. Sam. 17. 14. Rehabeamum flectit, ut credat juvenili conſilio, 1. Reg. 12. 10. audaces Cananæos perterret, Ioſ. 2. 9. Cor pavidum dat Iſraëlitis, Levit. 26. 36. Deut. 28. 62. Etſi enim ſingularia hęc ſint exempla, certo tamen colligitur, etiam in rebus externis Deum voluntates hominum flectere & verſare, nec ita liberam eſſe electionem, ut ejus libertati arbitrium Dei non dominetur. cap. 4. S. 6. 7.

9. II. Addimus internum conſcientiæ teſtimonium, & quotidianam experientiam. Etenim cernimus in rebus minime dubiis nec arduis mentem & animum deficere: rurſum in obſcuriſſimis expeditum conſilium, in magnis & periculoſiſſi-

mi

mis animum ſuppetere. Ita liquet animum à Dei motione potius quam ab electionis libertate pendere. III. Atque hoc videtur inſinuare Salomo, cum dicit Deum facere ut oculus videat, & auris audiat, Prov. 20.12. IV. Illuſtre dictum eſt, Proverb. 21.1. Cor Regis eſſe in manu Dei, & inclinare illud, quo voluerit. Certè, ſi regia voluntas, quæ aliis imperat, Dei manu flectitur, neque noſtra poterit ea conditione eximi. V. Idem tradit Auguſtinus, illas quoque voluntates, quæ conſervant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas, quo & quando voluerit, faciat inclinari, vel ad præſtanda beneficia, vel ad pœnas infligendas, occultiſſimo judicio, ſed tamen juſtiſſimo. c.4.S.7.

10. Coronidis loco illorum rejicimus ſententiam, qui facultatem humani arbitrii eventu rerum definiunt, atque inde ſervitutis arguunt, quia ſummis etiam Monarchis non omnia fluant ex arbitrio. Atqui verò imperite quæſtioné mutant. Neque enim hoc diſputatur, an homo, quæcunq; deliberaverit, etiam perficere & exequi poſſit: ſed an in qualibet re liberam habeat judicii electionem, & voluntatis affectionem. Nec facultas illa metienda ab extraneo ſucceſſu, ſed intra hominem conſideranda. Quo ſenſu Attilius excruciatus, non minus liber fuit, quam Auguſtus regnans. cap. 4. Sect. 8.

11. Porro nobis adverſariorum rationes, quibus ſententiam noſtram oppugnant, examinandæ & refellendæ ſunt. Congerunt autem primum abſurda, ut eam in odium trahant: deinde Scripturæ teſtimoniis cum ea congrediuntur. c. 5. S. 1.

12. 1. Abſurdum. Si peccatum eſt neceſſitatis, jam deſinit eſſe peccatum: ſi eſt voluntarium, poteſt ergo vitari. Reſpond. 1. In hoc argumento

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſupponi, peccatum non poſſe ſimul eſſe & voluntarium & neceſſarium, quod ſupra falſum eſſe demonſtravimus: certè Diaboli non minus voluntariè peccant, etſi neceſſario peccant: ſicuti ex adverſo electorum Angelorum voluntas non eſſe deſinit voluntas, licet à bono ſit indeclinabilis. 2. Negamus utriuſque ſyllogiſmi conſequentiam. Prioris, quia neceſſitas iſta eſt voluntaria, & noſtra culpa atque defectione acquiſita, in qua luculentam habemus damnationis cauſam: proinde peccatum non excuſat. Poſterioris, quia perperam à voluntario progreſſus fit ad liberum, cum tamen non omne, quod voluntarium eſt, etiam liberum dici poſſit & evitabile. cap. 5. Sect. 1.

13. II. Abſurdum. Si virtutes & vitia non procedunt ex libera electione arbitrii, non eſt conſentaneum, ut homini, vel pœna infligatur, vel præmium reddatur. Si vero gratia Dei in nobis agit, tum illa coronabitur, non nos, qui non laboramus. Reſp. diſtinctè. 1. de pœnis: juſtè irrogari, cum eas peccatis ſuis ſint commeriti. Neque refert, liberone judicio an ſervili, modo voluntariè peccetur. II. de præmiis, ſi merita intelligunt propriè ſic dicta, nulla nos agnoſcere præmia, noſtris virtutibus debita. Dei miſericordia elegit, vocavit, & juſtificavit, eadem & coronabit credentes, Rom. 8.29. Adhæc omnis gloriandi materia tollitur; quia accepimus quicquid habemus, 1. Corint. 4.7. Qui omnia libero arbitrio adimit, meritis locum nullum relinquit. Si præmia intelligunt gratuita, & quæ gratiis jam collatis retribuantur, non noſtra opera, ſed ſua dona coronat Deus. Tam enim inexhauſta eſt Dei liberalitas, ut gratias ſuas, quia noſtras facit, perinde ac noſtras remuneretur. cap. 5. Sect. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

14. III. Abſurdum. Si non eſt poſitum in voluntate noſtra eligere bonum vel malum, oporteret omnes, cum ſint ejuſdem naturæ participes, aut malos eſſe, aut omnes bonos. Item; ſequitur neminem à fide receſſurum, niſi mutabilitatis conditionem gratia Dei relinqueret. Reſp. In primo nihil eſſe abſurdi, quia non dubitamus cum Apoſtolo pronunciare, omnes eſſe pravos, neminem natura eſſe juſtum: Sola vero electio nos diſcernit: reliqui juſto judicio prætermittuntur. Poſterius membrum eſt inconſequens. Etenim perſeverantia non eſt humanæ inſtabilitatis opus, ſed divinæ clementiæ donum atque beneficium, quod non omnibus promiſcuè, ſed quibus vult, largitur: cujus diſcriminis non alia ratio conſtat, niſi quod alios ſua virtute roborat, aliis non eandem virtutem adminiſtrat. cap. 5. Sect. 3.

15. IV. Abſurdum. Si non eſt penes peccatorem parere exhortationibus, admonitionibus, objurgationibus, conſequens eſt illas eſſe ſupervacuas, Reſp. I. Ex Auguſtino. In præceptione cognoſcimus, quid debeamus agere: in correctione, nos illud noſtro vitio non habere: in oratione, nos à Deo accipere, quod habere volumus. Non ergo fiunt fruſtra. II. Negamus conſequentiam, niſi Chriſtum & Apoſtolos velint redarguere. Chriſtus paſſim reprehendit malè agentes, & ad bona opera hortatur. Aſſerit tamen nos ſine ipſo nihil poſſe, Iohan. 15. 5. Paulus Corinthios accuſat neglectæ charitatis. Eandem ipſis tamen precatur à Domino. Romanos docet, non eſſe volentis nec currentis, Rom, 9. 16. nec tamen deſinit eos admonere, hortari, & corripere, cap. 12. 13. &c. Imperite ergo hæc ut oppoſita finguntur. III. Quid ſine Dei gratia valeant exhortationes, objurgatio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nes, objurgationes, & ſimilia media, ſatis arguit Scriptura, quando plantantem, & rigantem nihil eſſe dicit, ſed Dominum qui dat incrementum: 1. Cor. 3. 7. & cor ad intelligendum: qui corda circumcidit, & pro lapideis corda largitur carnea: legem ſuam inſcribit viſceribus, facit denique, ut efficax ſit doctrina: Et tamen his non obſtantibus Prophetæ docent, objurgant, minantur. c. 5. S. 4.

16. Si quæritur, quorſum proſint exhortationes, facilis eſt reſponſio. I. Reſpectu impiorum, quorum feriunt conſcientias in præſens, & in futurum reddunt inexcuſabiles, 2. Cor. 2. 16. Etſi enim tergiverſentur, hanc cordis mollitiem ipſis denegatam, nulli tamen niſi ſibi ipſi duritiem hanc imputare queunt. II. Reſpectu piorum, in quibus per Spiritum ſuum agit Deus, nec tamen ſine verbo, quod velut inſtrumentum non ſine efficacia uſurpat, Ezech. 11. 19. 20. Itaque non fruſtra homines admonentur officii ſui, quando hortationibus ſollicitantur, incitantur, aut caſtigantur. Nam Deo liberum eſt mediis uti, quibus velit, cui nulla lex eſt ferenda. Deinde per hanc œconomiam prę͏parat nos Deus ad recipiendam gratiam, redarguit peccati, intus etiam, agente Spiritu, inſpirat boni deſiderium, torporem diſcutit, voluptatis dulcedinem eximit, denique ad odium & tædium mali perducit. Ita bifariam Deus in electis operatur: intus per Spiritum, mentes illuminando & corda in juſtitiæ amorem, cultumq; formando: extus per verbum, ad illam renovationem expetendam, quærendã, aſſequendam, excitando. Qua de cauſa, cum Chriſtus dixiſſet, neminem ad ſe venire, niſi quem Pater traxerit, & qui ab eo audierit & didicerit. Iohan. 6. 44, 45. nihilominus Doctoris munere fungitur & omnes ad ſe invitat. c. 5. S. 5.

17. In

17. In congerendis Scripturæ locis valde ſunt operoſi: nos ea in claſſes diſtribuemus. Prima claſſis continet teſtimonia, quibus Deus virtutes præcipit, vitia prohibet, & obedientiam ab hominibus exigit: unde colligunt, aut eſſe hæc in noſtra poteſtate, ut præſtari à nobis poſſint, aut Deum homini illudere: quod eſt abſurdum. Reſp. nos utrumque negare 1. quia ſupponunt, hominum facultates ad divinæ legis præcepta extendi & attemperari: ſin minus, fruſtra legem latam eſſe. In quo falſum poſtulant. Nam etſi lex præſcribat vitæ regulam, alios tamen habet uſus, quos Paulus memorat, nempe poſitam eſſe propter tranſgreſſiones, Galat. 3. 19. ut augeret lapſus, Rom. 5. 20. ad agnitionem peccati, Rom. 3. 20. legem peccatum efficere, Rom. 7. 7. & iram, Rom. 4. Ex his uſibus, quid valeat lex in homine, poteſt colligi ita ſcilicet poſitam eſſe ſupra nos, ut impotentiam potius noſtram coarguat. 11. Scriptura non tantum quid agendum nobis, ſed etiam obedientiæ virtutem à Deo eſſe docet, & precibus poſtulandam. Certè Paulus cum definiat charitatem eſſe finem legis, 1. Tim. 1. 5. eandem tamen Theſſalonicenſibus à Deo exoptat, 1. Theſſ. 3. 12. Idem evincunt promiſſiones præceptis annexæ, quæ non ſubſidium modo, ſed omnem virtutem noſtram in gratiæ auxilio ponunt. A nobis ergo imparati ſumus, & impares obſervandæ legi, cum tantopere Dei gratia indigeamus. Vnde rurſus efficitur virium noſtrarum cum præceptis legis nullam eſſe proportionem. cap. 5. Sect. 6. 7.

18. Inſtant, legem non eſſe deſtinatam truncis & lapidibus. Reſp. Nec nos hoc aſſerimus: ſane nec impii ſtipites ſunt, quos lex & conſcientia convincit de ſpontanea inobedientia: nec pii,

qui de impotentia admoniti ad gratiam refugiunt. cap. 5. Sect. 7.

19. Cæterum cum ea, quæ accumulant, præcepta, in tres ſpecies diſtinguere liceat; (alia enim primam ad Deum converſionem, alia ſimpliciter legis obſervationem, alia perſeverantiam exigunt) de ſingulis ita reſpondemus. I. Mandat Deus converſionem, & cordis circumciſionem atque novitatem Ioël. 2. 12. Deut. 10. 16. ſed ſimul teſtatur hanc à ſe dari. Ier. 31. 18. Deut. 30. 6. Ezech. 36. 26. Quod autem promittit Deus, non facimus ipſi per arbitrium vel naturam, ſed facit ipſe per gratiam. Et rectè monet Auguſtinus, diſtinguendum eſſe inter legem, & promiſſiones, vel inter mandata & gratiam. II. Quædam loca ſimpliciter præcipiunt Deum colere, ei adhærere, ejus mandata ſervare, &c. Sed alibi ſæpius docemur, omnem noſtram ſanctitatem, juſtitiam, puritatem eſſe Dei donum. III. Aliis locis exigit perſeverantiam, ac vetat contriſtare Spiritum Dei, & tractans de eleemoſynis bonam Corinthiorum commendat voluntatem, Actor. 13. 43. Epheſ. 4. 30. 2. Cor. 8. 16. Sed hæc ipſa Dei beneficia eſſe teſtatur, Epheſ. 6. 10. 1. Theſſ. 1. 11. 2. Cor. 8. 16. cap. 5. Sect. 8.

20. Excipiunt, hæc teſtimonia nihil impedire, quo minus, dum infirmis conatibus Deus ſuccurrit, ipſi vires noſtras conferamus. Reſp. A præcepto ad ponendam noſtram facultatem nullam eſſe conſequentiam. Conſtat enim ad implenda mandata neceſſariam eſſe gratiam: quam etiam hoc nomine promiſit Deus, ut ſciremus plus à nobis exigi, quam ſimus ſolvendo. Idque patet ex collatione prioris fœderis cum novo. Illud enim fuit literale. Hoc in promiſſione Spiritus ſancitur, qui corda format ad obediendum. c. 5. S. 9.

21. In-

21. Inſtant, extare plurima loca, quibus converſionis noſtræ effectus inter Deum & nos videtur dimidiari. Zach. 1. 5. Reſp. eſſe homonymiam in voce converſionis: non loquitur Propheta de illa converſione, qua Deus cor noſtrum renovat ad reſipiſcentiam, ſed qua ſe nobis benevolum teſtatur rerum proſperitate, quia rebus adverſis à nobis averſus eſſe videtur. cap. 5. Sect. 9.

22. In ſecunda claſſe ponimus allegationes promiſſionum, quibus Dominus cum voluntate noſtra paciſcitur: quales ſunt Amos 5. 14. Ier. 4. 1. Eſa. 1. 19. Deut. 28. 1. Levit. 26. 3. Inde colligunt, ſi non eſt noſtrum promiſſiones iſtas ſtabilire, aut irritas facere, & ſi voluntas non eſt noſtri juris, denique ſi beneficia ſua nobis ita exponit Deus, ut tamen fruendi nulla ſit facultas, tum vero crudeliter nobis illudit Deus, ea promittens, quæ, ut nunquam impleantur, à conditione impoſſibili pendent. Reſp. De promiſſionibus, quæ habent additam conditionem, alibi dicendum erit. In præſens negamus collectionem ſequi. Etenim quando tales promiſſiones offeruntur, ſive impiis, ſive piis, apud utroſque uſum ſuum habent. I. Impiorum conſcientiæ punguntur, ut, quando audiunt Deum velle benefacere illis, à quibus colitur, intelligant, quam ſint indigni benignitate Dei, & ab hac juſte ſe excludi, nec ejus fore participes, niſi à pravitate diſceſſerint. II. Piis, inſerviunt ad implorandam Dei gratiam. Equidem præceptis de miſeria ſua admoniti, debebant inſtigari ad petendum Spiritum, qui dirigat in viam rectam. Sed quia ſumus hîc ignaviores, adduntur promiſſiones, quæ dulcedine ſua ad eorum amorē alliciant, & magis inflamment ad quærendam Dei gratiam. Neutrum ergo verum, hiſce obteſtationibus aut

liberam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

liberam converſionis facultatem tribui, aut ob impotentiam hominem ludibrio haberi. c. 5. S. 10.

23. In tertia claſſe producunt locos, quibus ingrato populo Deus exprobrat, per eum ſtetiſſe, quo minus Dei beneficia perciperet, Num. 14. 43. Ier. 7. 13, 28. & 32. 33. Hinc concludunt, fruſtra peccata exprobrari, quæ effugere non fuerit in ſua poteſtate: potuiſſe enim regerere, res proſperas ſibi cordi eſſe, adverſas timere, Domino tamen non paruiſſe, quod audire vocem Dei propter peccati dominationem non potuerint. Reſp. Inanem eſſe cavillationem & Scripturæ detorſionem. I. quia negare nequeunt, cauſam ſuæ contumaciæ fuiſſe pravam voluntatem. Suo ergo non alieno vitio pereunt: & merito has exprobrationes ex ore Dei audiunt. II. Non fruſtra fiunt tales objurgationes, 1. quia obſtinati coguntur intelligere cauſam malorum ſuorum in ſeipſis reſidere. 2. qui vero dociles ſunt convertuntur, & peccata, quorum nomine accuſantur, agnoſcunt, &c. Prioris uſus exemplum exſtat Ier. 7. 27. Poſterioris apud Danielem 9. cap. 5. Sect. 11.

24. Inſtant ex Pſal. 78. 8. & 95. 8. cor in utramque partem videri flexibile. Contra audivimus, præparationem cordis eſſe à Deo. Illis vero locis aliud nil docetur, quam mali cauſam in ipſis hærere. cap. 5. Sect. 11.

25. Ajunt Davidem inclinaſſe cor ſuum ad ſervanda ſtatuta. Pſal. 119. 112. Reſp. Non jactat ſe inclinationis hujus authorem, quam ſæpius à Deo ibidem petit, & Dei donum eſſe agnoſcit. Quid ergo? nempe indicat ſe libenti & hilari propenſione animum addixiſſe Deo. cap. 5. Sect. 11.

26. Vrgent præcipi, ut ſalutem noſtram operemur cum timore, &c. Phil. 2. 12. ſubminiſtremus in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

in fide virtutẽ, 2.Pet. 1.5. Spiritum ne exſtinguamus, 1.Theſſ. 5.19. utque nos purgemus ab omni inquinamento. Ergo noſtras hic aliquas vel ſecundas partes eſſe in agendo. Reſp. I. At repugnat Paulus, qui Deum ait operari in nobis velle & perficere. Et addit nobis agendum eſſe cum timore & tremore, ut hoc ipſum Dei opus eſſe agnoſcamus, Phil. 2.12. II. Sic agendi partes tribuit, non quaſi ſeparatim quid ipſi agamus, ſed, quia dum è cœlo ſuggeritur facultas, non eſt nobis ceſſandum, aut carnis torpori indulgendum. III. Proinde ſcopus horum locorum eſt, carnis pigritiem expergefacere, & ignaviam corrigere. IV. Denique per conceſſionẽ ad nos transfertur, quod in Deum competit, ut liquet ex 1.Ioh. 5.18. & Ioh. 17.15. 1.Petr. 1.22. 1.Ioh. 3.9. & 5.4. Si enim à Deo ſervamur, & ejus armis victoriam conſequimur, idque ideo, quia ex Deo geniti ſumus, nulla cauſa eſt, cur inter nos & Deum partiamur, aut humanas vires in certamine ſpirituali prædicemus. Ita patet, nec ex præceptis, nec ex obteſtationibus quicquam effici, ad ſtatuendum liberum arbitrium. cap. 5. Sect. 11.

27. Adverſus hanc ſolutionem citant Moſis teſtimonium Deut. 30.11. quo dicitur Dei mandatum non longe poſitum, ſed in ore & corde noſtro eſſe, ut illud faciamus. Reſp. I. Non agit de obſervationis, ſed de cognitionis facilitate. II. Loquitur de doctrina Euangelii & verbo fidei, interprete Paulo Rom. 10. 18. Iam vero promiſſiones, tam non ſtabiliunt arbitrii libertatem, ut eam potius evertant. III. Accedit ratio: nihil enim certius, quam Moſen una cum legis exactione fœdus miſericordiæ complecti. Si enim de præceptis tantum ageret, in exitium eos præcipitaſſet. Sed paulo ante

ante dixerat verſ. 8. Dei manu corda circumcidi. Ergo hanc facilitatem, non in hominis virtute, ſed in ope & præſidio Spiritus Sancti poſuit. c. 5. S. 12.

28. Quarta claſſis ex iis locis conſtat, quibus dicitur, Deum explorare homines, & exſpectare, quorſum convertant ſua ſtudia, ut Oſe. 5. 14. At, inquiunt, ridicule hoc diceretur, niſi flexibiles eſſent ad utrumque animi. Saltem illud obtinetur, etiam poſita gratia ſuam homini manere facultatem. Reſp. Ex iſtis locis tale nihil ſequi. I. Quia ſi volunt populum derelictum converſionem à ſeipſo poſſe meditari, Scripturæ contradicunt. Si neceſſariam fatentur eſſe gratiam, non eſt cur nobiſcum litigent. II. Aliud eſt paulatim ab homine ſecedere, & reſpicere, quid ſibi permiſſus agat, aliud eſt vires ejus aliquantulas adjuvare. III. Iſtæ formulæ loquendi, nihil aliud inſinuant, quam ubi Deus apud contumacem populum monendo, hortando, increpando nihil proficit, tum vero tacitum & quaſi diſſimulantem, ſubmovendo Verbum, in quo præſens eſt, & variis afflictionibus eundem exercere, & experimentum capere, quid ſe abſente facturi ſint: finis eſt ut contuſa pervicacia homines humiliet. Id vero non aſſequitur, niſi Spiritu ſuo nos ad docilitatem componat. Deniq; ad recognoſcendam noſtrã οὐδενίαν hæc ſpectant, non ad extollendas liberi arbitrii vires. c. 5. S. 13.

29. In quinta claſſe locamus phraſes Scripturæ, quibus bona opera vocantur noſtra, & nos ea dicimur facere. Si autem peccata jure nobis imputantur, velut à nobis profecta, idem de bonis operibus dicendum erit: niſi velimus hominem inſtar lapidis à Deo moveri. Conſtat etiam nos ipſos Deum colere, obedire legi, bonis operibus ſtudere, &c. Cum ergo Spiritui ſimul & nobis hæ actio-

nes

nes tribuantur, ſequitur quandam eſſe ſtudii noſtri cum divina virtute communicationem: Et ut primas demus Dei gratiæ, noſtram tamen operam velut partes ſecundarias tenere. Reſp. Nullam hic agnoſcimus conſequentiam. I. Etiam panis noſter dicitur, quem tamen indies à Deo poſcimus. Sic & opera vocantur noſtra, ratione poſſeſſionis, ut tamen in illis nihil habeamus proprium, niſi ex divina largitate. II. Addimus rectè noſtra dici, 1. quia Deus ea in nobis operatur, 2. quia noſtra eſt mens, voluntas & ſtudium, quæ à Deo in bonum diriguntur. Id unum caveatur, ne à nobis eſſe putentur. III. Hominis motionem à jactu lapidis merito diſtinguimus: ergo falſum adducitur ſimile. Saxum impetu vibratum, nec motu, nec ſenſu, nec voluntate propria fertur. Homini naturale eſt approbare, reſpuere, velle, nolle, eniti, reſiſtere. Ex corruptione his ipſis in malum libere fertur: & tum quoque quando ſceleſti potentiæ divinæ inſerviunt, motu proprio agunt, atque libidini tantum ſuæ obſequi ſtudent. Vbi vero Deus in bonis agit, non deſtruit voluntatem, ſed reparat, & per Spiritum ſuum cohibet, ne libidinibus vagis raptetur: ad juſtitiæ regulam flectit, format, dirigit, ut ad ſanctitatem propendeat: ejuſdem quoque Spiritus virtute ſtabilit, ne titubet aut concidat. Ita liquet actionem hominis non tolli Spiritus Sancti motu: manet enim voluntas, ſed regitur, ut ad bonum adſpiret. Ipſum velle habemus à natura, bene velle à gratia. IV. Non pugnant, nos ipſos facere bona opera, & tamen ſolius Dei gratia in nobis fieri: ut enim voluntas bene agat, primum nova creari debet: tum vero neceſſe eſt, ut eam Spiritus Sanctus dirigat, moveat, agat, impellat, teneat. Agit ergo voluntas, non quod ex ſe

quid-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quidpiam conferat, quod à gratia ſeparetur, ſed quia naturaliter ingenitum eſt velle, & acta Spiritu Dei in bonum fertur. Ita concidit, quicquid mixturæ ex gratia & libero arbitrio confingitur, ut Deo in ſolidum omnis bonæ actionis laus vindicetur. cap. 5. Sect. 14. 15.

30. Specialia, quæ corradere ſolent, teſtimonia facile eſt diluere. Citant ſententiam Geneſ. 4. 7. eamque de peccato interpretantur, ac ſi Dominus promitteret, Caïnum dominaturum peccato, ſi in eo domando laboraret. Reſp. I. Gloſſa cum ordine textus non congruit. Senſus eſt Caïnum dominaturum fratri Abeli; Et hoc argumentum Caïnum à ſcelere fatricidii dehortari voluit. II. Vt de peccato accipiatur, aut jubetur, aut promittitur aliquid: ſi dicant promitti dominationem, quomodo igitur Caïn peccato ſuccubuit? nam tacitam fingere conditionem, eſt ambages quærere: ſin imperativa eſt oratio (quod eſt probabilius, ſiquidem locus de peccato intelligi debeat) non definitur quid poſſimus, ſed quid vel ſupra poteſtatem debeamus. cap. 5. Sect. 16.

31. Deinde ſolent ex verbis Pauli Rom. 9. 16. *non eſt volentis, nec currentis* inferre, aliquid eſſe in voluntate & conatu, quod per ſe infirmum, ſed miſericordia adjutum, proſpero ſucceſſu non careat. Reſp. I. pugnare hanc interpretationem cum ſcopo Apoſtoli. Vult enim probare ſalutem noſtram non eſſe à nobis, ſed à ſola Dei miſericordia & gratuita electione. II. Ideo non diviſim aut coordinate, ſed oppoſite hæc verba eſſe accipienda: non quaſi ſuperſit adhuc homini voluntas, & curſus aliquis, quæ viam ad ſalutem nobis comparent, ſed quod ſola illud præſtet miſericordia. III. Et ſic Apoſtolus etiam concludit, Tit. 3. 4.

Vbi

Ubi manifeſte opera miſericordiæ opponuntur: ex quo loco pari fallacia colligere liceret, aliqua nos bona opera feciſſe, quia dicitur, nos non ex operibus, quæ nos fecerimus, ſalvatos eſſe. IV. Rectè quoque Auguſtinus falſam illam ſententiam rejicit: quia ſi dictum eſt, non eſſe volentis nec currentis, eo quod non ſufficit voluntas & curſus, viciſſim retorqueri poterit, non eſſe ſolius miſericordiæ, quia ſola non ageret: quod eſt falſum. cap. 5. Sect. 17.

32. Quidam ad hæc inſcite torquent dictum Apoſtoli, nos eſſe Dei cooperarios, 1. Cor. 3. 9. Reſp. Iſthic loci de ſolis miniſtris agi: quos cooperarios vocat, non qui ex ſe quicquam agant, ſed quoniam Deus eorum opera utitur, poſtquam eos neceſſariis dotibus idoneos fecit. c. 5. S. 17.

33. Alii producunt locum Eccleſ. 15. 14. hominem creatum relictum fuiſſe in manu conſilii ſui, ante hominem poſitam fuiſſe vitam & mortem, ut manum extendat ad quodcunq; voluerit. Reſp. I. librum hunc eſſe apocryphum, II. ſi de prima creatione loquitur, nos agnoſcere naturæ conditæ integritatem, quæ cum poſt ſit lapſu viciata, ſecundum illud Solomonis Eccleſ. 7. 30. non accipimus collectionem, quæ ab integra natura procedit ad corruptam. III. ſin vero ipſi propoſitum fuit malignitatem hominum taxare, qui vana defenſione mala ſua in Deum transferunt, ideoque rectitudinem primitus inditam urgere, ut hominem doceat ſui exitii ſibi eſſe authorem, non repugnamus: Id vero ad cauſam liberi arbitrii nihil facit. cap. 5. Sect. 18.

34. Supereſt locus ex parabola viatoris vulnerati & ſemivivi, Luc. 10. 30. & talem volunt eſſe hominem, peccati & Diaboli latrocinio mutilatum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tum quidem, ſic tamen ut retinuerit aliquas priorum bonorum reliquias. Reſp. I. Eſſe allegoricam interpretationem, quæ per ſe non facit ad probandum dogma, nec etiam cum mente Chriſti congruit. II. Repugnat Scriptura, quæ non ſemivivos nos depingit, ſed perditos, mortuos, ſepultos, quantum ad beatæ vitæ rationem attinet. Eph. 2. 5. & 5. 14. Ioh. 5. 25. III. Etiam ſemivivum hominem admittimus, nempe quatenus habet ſalvam mentem, intelligentiæ capacem, & nonnullum honeſtatis ſtudium, aliquem etiam divinitatis ſenſum, &c. Sed quid hæc ad liberum arbitrium? IV. Addimus dictum Auguſtini, adempta eſſe homini poſt lapſum gratuita bona, unde ſalus pendet, naturalia vero corrupta & polluta eſſe. c. 5. S. 19.

35. Concludimus tandem hanc totam diſputationem de libero arbitrio, qua ſufficienter probavimus, mentem hominis corrupti nihil niſi fœdum & impurum concipere, concupiſcere & moliri: cor nihil quam corruptum fœtorem efflare poſſe. Et ſi quidpiam boni in ſpeciem nonnunquam oſtentent, mentem manere ſemper hypocriſi involutam, animum vero interiori perverſitate illigatum. cap. 5. Sect. 19.

DISPVTATIO IV,

De Mediatoris neceſſitate. Itemque de officio, & uſu legis.

Ex lib. 2. cap. 6. 7.

I. HActenus vidimus, tum quomodo mundi fabrica nobis ſchola eſſe potuit ad diſcendam pietatem, tum quæ fuerit ex origine præſtantia generis humani & nobilitas. Sed poſtquam per peccatum hoc gradu excidimus, inutilis eſſet tota illa

illa Dei Creatoris cognitio, niſi ſuccedat fides, Deum nobis Redemptorem & Patrem in Chriſto proponens. cap. 6. Sect. 1.

2. Nam I. quocunque poſt defectionem vertamus oculos, ſurſum & deorſum occurrit Dei maledictio, quæ dum innoxias creaturas noſtra culpa involvit, deſperatione nos obruat neceſſe eſt. II. Illa ipſa quæ ſuperſunt in mundi aſpectu favoris divini argumenta, tam non ſolantur, ut contra, ubi nos intus urget conſcientia, & juſtam abdicationis cauſam in peccato oſtendit, indignos nos eſſe clamant, quos Deus pro Filiis ſuis habeat. III. Adhæc accedit ſocordia & ingratitudo, ut nec mentes noſtræ excæcatæ divina illa teſtimonia recte cernant, & cum pravi ſint omnes ſenſus noſtri, Deum maligne ſua quoque gloria fraudemus. cap. 6. Sect. 1.

3. Itaque tandem ad illud Pauli veniendum eſt, *quoniam in Dei ſapientia mundus non cognovit Deum per iſtam ſapientiam, placuiſſe Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* 1. Corinth. 1. 21. cap. 6. Sect. 1.

4. Sapientiam appellat magnificum hoc theatrum cœli & terrę, innumeris miraculis refertum, ex cujus intuitu ſapienter Deum homo cognoſcere debet. Sed quia tam male illic profecimus, revocat nos ad fidem Chriſti. Et quia eſt prædicatio crucis, nec reſpondet humano ingenio, ob ſtultitiæ ſpeciem incredulis faſtidio eſt: humiliter tamē amplectenda, ſi ad Creatorem noſtrum, à quo alienati ſumus, redire cupimus, ut iterum nobis pater eſſe incipiat. cap. 6. Sect. 1.

5. Denique conſtat abſque Mediatore nullam Dei cognitionem valuiſſe ad ſalutem. Quod ſic probamus. 1. Ex dicto Chriſti Ioh. 17. 3. ubi vita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

æterna ſtatuitur in cognitione Dei & Ieſu Chriſti. Iam vero Chriſtus non de ſua tantum ætate loquitur, ſed omnia ſæcula comprehendit. Eſt ergo Chriſtus unica janua qua in ſalutem ingredimur. Quo etiam pertinet, quod vita ab initio fuit in Chriſto, à quo totus mundus excidit, Iohan. 1.4. Item quod Chriſtus ſe vitã eſſe aſſerit. Ioh. 11.25. & 14.6. II. Ex iis locis quibus dicitur, gentes abſque Deo fuiſſe Eph. 2.12. earumque religiones falſitatis damnantur, hac addita ratione, quia ſalus ex Iudæis eſt Iohan. 4.22. Id autem non niſi ratione promiſſi redemptoris verum eſt. Nullus ergo cultus Deo placuit, niſi qui reſpiceret in Chriſtum. Errant ergo, qui ad Euangelii promulgationem iſta dicta reſtringunt, aut abſque Chriſti gratia profanis & incredulis quibuſlibet cœlum patefaciunt. III. Ex eo quod cœlorum hæreditas non ad alios quam Dei Filios pertinet Ioh. 1.12. Filiorum autem loco tantum cenſentur qui per veram fidem Chriſto inſiti ſunt Ioh. 1. 12. c. 6. S. 1.

6. Idem demonſtratur ex eo quod veteri populo nunquam ſe propitium Deus oſtendit, nec ſpem gratiæ fecit abſque Mediatore. Atque hoc ſacrificia legis ſatis innuunt, quorum virtus in ſolo Chriſto quærenda eſt. Sed aliis porro argumentis illuſtrius poteſt demonſtrari. I. Quod electio & adoptio populi Dei non eſt facta niſi in Chriſto, in quo cenſeri debuit ſemen Abrahæ. Etenim non omnes qui ex Abrahamo ſecundum carnem geniti ſunt, reputati fuerunt in ſemine, ut ex Iſmaële & Eſauo, quamplurimisque aliis abdicatis conſtat, ſed illi tantum, qui in Chriſto ad fœdus pertinent, qui propriè ſemen illud eſt, in quo benedicendæ erant gentes, Galat. 3. 16. II. Quod fideles felicitatem piorum ſtabiliunt in Meſſia, etiam ante creatio-

creationem alicujus regis, 1. Sam. 2. 10, 35. Vnde ſequitur hanc doctrinam vulgo fuiſſe piis omnibus notam. III. Quia in Davide poſteriſq; ejus Deus voluit conſpici vivam Chriſti imaginem. Ideo præteritis aliis non tantum elegit Davidem Pſal. 78. 60. 70. ſed etiam non obſtante defectione decem tribuum & rebus ſæpe ad interitum vergentibus, familiam tamen ejus ſervavit, quoad Chriſtus ex illa naſceretur ſecundum promiſſiones, 1. Reg. 11. 12, 34, 39. & 15. 4. 2. Reg. 8. 19. Nec dubium eſt quin in perſona Davidis jubeat oſculari Filium Pſal. 2. 12. IV. Quia ſic Eccleſiam ſuam Deus ſervavit, ut ſatis oſtenderet ſalutem illam pendere à capite illo, Chriſto: vide Pſal. 28. 8. & 20. 10. & 80. 18. & 118. 26. quibus locis pii Eccleſiæ ſtatum individuo nexu cum imperio Chriſti conjungunt, nec alia fiducia confugiunt ad opem Dei, niſi quatenus deliteſcunt ſub regis ſui præſidio, in cujus conſervatione ſe ſalvos fore ſperant, ſicut in regni interitu ſpem omnē præciſam eſſe conqueruntur. Thren. 4. 20. V. Hinc eſt quod rebus afflictis, quoties inſtaurationis Eccleſiæ fit mentio, toties ad promiſſiones Davidi factas & ad Meſſiam revocantur, ut in petenda liberatione pii recta oculos ad Chriſtum converterent, Eſa. 7. 14. Hab. 3. 13. Eſ. 55. 3. Ier. 23. 16. Ezech. 34. 23. & 37. 25, 26. Oſeæ 1. 11. & 3. 5. Mich. 2. 13. Amoſ. 9. 11. Zach. 9. 9. Pſal. 28. 8. VI. Et hoc principium, Deum per manum Chriſti Eccleſiæ ſuæ liberatorem, atque fœdus electionis hoc demum modo firmum fore, tam fuit certum, ut quamvis Iudæi turpiter jam degeneraſſent, falſiſque commentis illud depravaſſent, tamen ejus memoria aboleri non potuerit. Vnde etiam pueri Chriſto acclamant, Oſianna filio David: quorum puero-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

puerorum ſtudium Chriſtus laudat Mat. 21.9.16. cap. 6. Sect. 2. 3. 4.

7. His adde alia Scripturæ loca Ioh. 14.1. Vbi Chriſtus jubet diſcipulos in ſe credere ut diſtinctè & perfectè in Deum credant. Nam fides quæ Deo nititur, paulatim evaneſcit, niſi Chriſtus medius intercedat. Adhæc altior eſt Dei majeſtas, quam ut ad eam penetrent mortales. Ideo Chriſtus imago Dei inviſibilis vocatur, Col. 1.15. quia in ipſo Deus nobis innoteſcit. Item Rom. 10.4. Chriſtus eſt finis legis. Ergo ſequitur in ipſo omnia contineri. Item 1. Iohan. 2.23. Qui non habet Filium non habet Patrem. Ergo nec Ethnici nec Turcæ veram Dei cognitionem habent, licet de ea glorientur, quia caput non tenent, ſcilicet Chriſtum, & ignorant Mediatorem, ſine quo ad Deum non patet acceſſus. cap. 6. Sect. 4.

8. Concludimus ſalvificam Dei cognitionem abſque Chriſto non conſtare. quo ſenſu non male dictum eſt ab Irenæo, Patrem, qui immenſus eſt, in Filio eſſe finitum. cap. 6. Sect. 4.

COROLLARIVM.

An rectè dicatur, Deum eſſe fidei objectum. Reſp. Aff. modo addatur, mediante Chriſto.

9. Cæterum cum in Chriſto ſalus noſtra fundata ſit, ut ſupra demonſtratum eſt, non immerito quæritur, ad quid lex lata ſit, quodque ejus officium & uſus: deinde quomodo & quatenus ſit abrogata. Legis autem nomine intelligimus non ſolum decem Legis præcepta, ſed totam Religionis formam per manũ Moſis à Deo traditam. c.7.S.1.

10. Ad primam quæſtionem dicimus, Legem non fuiſſe promulgatam, ut electum populum à Chriſto abduceret, & benedictionem, quæ Abrahæ quadringentis ante annis promiſſa fuerat, aboleret,

leret, ſed potius ut in Chriſti adventum animos eorum ſuſpenderet, ejus quoque accenderet deſiderium, & in exſpectatione confirmaret, ne longiori mora deficerent. cap. 7. Sect. 1.

11. Idque ex eo vel maxime liquet I. quod Legiſlator Moſes paſſim in memoriam Iudæis revocat gratuitum Dei fœdus cum Patribus percuſſum, ac ſi ad illud renovandum à Deo miſſus foret.

II. Si ad ceremonias attenderis, nihil quidem videtur profanis hominibus magis ludicrum, quam fœtidum nidorem ex adipe pecudum offerre, aut ſordes peccatorum aquæ vel ſanguinis aſperſione eluere, aut denique tam varia ceremoniarum congerie ſeipſum fatigare. In cauſa eſt, quod ad finem non reſpiciunt, à quo legales figuræ ſeparari non debent. Eſt enim Deus ſpiritualis & ſpirituali cultu delectatur. Quo nomine paſſim ſacrificia rejeciſſe legitur, quando ad hunc ſcopum non referebantur. Et niſi ſpirituale aliquid fuiſſet propoſitum, non ſecus in his externis exercitiis operam ſuam luſiſſent Iudæi, atque Gentes in ſuis nugis. Idcirco etiam Moſes totum tabernaculum jubetur formare ad exemplar, quod oſtenſum fuerat ei in monte; Vnde patet legalem cultum non niſi picturam fuiſſe veritatis cœleſtis, quæ eſt in Chriſto Act. 7.44. Hebr. 8.5. Exod. 25.40.

III. Cum Moſes hunc adoptionis finem proponat, ut populus ſit Deo in regnum ſacerdotale Exod. 19.6. Sequitur legem Chriſto non fuiſſe vacuam. Quomodo enim peccatores & Satanæ mancipia ad Regiam dignitatem attolli, aut homines ſordidi jus ſacerdotale conſequi poſſent, niſi in ſancto capite conſecrati eſſent? Vnde etiam Petrus plenitudinem illius gratiæ in Chriſto exhibitam eſſe docet 1. Petr. 2. 19.

IV. Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

IV. Non eſt dubium, quin Chriſtus tam in genere Levitico quam in Davide ejuſque poſteris, tanquam in duplici ſpeculo fuerit olim populo propoſitus.

V. Aperte Paulus Iudæos dicit ſub legis pœdagogia fuiſſe detentos, donec veniret ſemen promiſſum Galat. 3. 24.

VI. Quamvis ſacrificiis quotidianis ad Deum accedere juſſi ſint Iudæi per ſacerdotes morti obnoxios & viſibili oleo inunctos, tamen ad aliud ſacrificium idque unicum, & ad unicum ſacerdotem æternum, aliam denique unctionem revocantur, Eſai. 53. 10. Pſal. 110. 4. Dan. 9. 24. quæ omnia prolixè demonſtrantur in Epiſtola ad Hebræos à cap. 4. uſque ad 11.

VII. Nec verò ad ceremonialem tantum, ſed etiam ad moralem legem pertinet, quod Paulus ait Chriſtum eſſe finem legis, Rom. 10. 4. Item Chriſtum eſſe Spiritum, qui vivificet literam per ſe mortiferam, 2. Corinth. 3. 6. Nihil enim prodeſſet ſcire, quæ ſint præcepta juſtitiæ, niſi Chriſtus & imputatione gratuita & ſpiritus regeneratione eam nobis conferat. Cui non repugnat, quod Apoſtolus legem propter tranſgreſſiones poſitam eſſe docet Gal. 3. 19. ut homines damnationis ſuæ convictos humiliet. Hoc ipſo tamen ad quærendum Chriſtum vera & unica eſt præparatio. Et licet propter falſos Doctores ibi nudam legem præciſe accipit, nihilominus gratuitæ adoptionis fœdere veſtita manet.

VIII. Idem conſequitur ex perfectione juſtitiæ, quæ in lege docetur, cujus abſolutam obſervationem manet æternæ ſalutis promiſſa remuneratio, Deut. 30. 13. Sed cum hanc obedientiam non præſtemus, ut quæ longe ſupra humanam facul-

tatem

tatem poſita ſit, patet, quæ ſit in hac parte legis imbecillitas, cum præciſa ſpe ſalutis nil niſi maledictionem & mortem denunciet. Itaque ſi legem duntaxat intuemur, nihil aliud poſſumus quam animo confundi & deſperare. Nec tamen idcirco fruſtra lex data eſt: poſtquam enim nos reddidit inexcuſabiles, ad veniam expetendam ſollicitat, & ad quærendum remedium, quod Euangelium commonſtrat, & fides ſibi applicat. Ita legis promiſſionibus etiam cum annexa conditione non deeſt ſua quoque efficacia, quia Deus ſemiplenam noſtram obedientiam non reſpuens, & quod deeſt remittens, perinde atque impleta conditione, legalium promiſſionum fructum percipere nos facit. c. 7. S. 1, 2, 3, 4.

12. Cæterùm quod Legis obſervationem diximus eſſe nobis impoſſibilem, id abſurdum videri non debet. Impoſſibile definimus, quod nec fuit unquam, & ne impoſterum ſit, Dei ordinatione ac decreto impeditur. Alioquin ſi de verbo diſputatur, fatemur apud Deum omnia eſſe poſſibilia, Matth. 19. 25. Iam verò 1. conſtat experientiâ, neminem unquam ſanctorum extitiſſe qui in hoc corpore mortis ad eum dilectionis ſcopum pertigerit, ut ex toto corde, mente, animo & potentia Deum amaverit: neminem rurſum, qui non concupiſcentia laboraverit. Addimus neminem poſt hac futurum, qui ad illam metam perfectionis venturus ſit, niſi corporis mole ſolutus. 11. Conſtat etiam ex Scriptura, nullum eſſe hominem qui non peccet, & carnem perpetuò concupiſcere adverſus Spiritum, 1 Regum 8. ℣. 46. Galat. 5. ℣. 17. Item nullam carnem ex operibus juſtificari coram Deo, Pſalm. 143. ℣. 2. Omnes etiam maledictos eſſe, qui ſunt ſub Lege, quia non perma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nent in mandatis Dei. Vnde ſequitur neminem in iis permanere poſſe. 111. Cum amor notitiam ſequatur, hæc verò dum peregrinamur in mundo ſit imperfecta, nunquam in hac carne, quem Deo debemus, legitimum reddimus amorem. Sit ergo extra controverſiam, impoſſibile eſſe in hac carne Legis implementum, ſi naturæ noſtræ impotentiam intuemur. c. 7. S. 5.

13. Ita etiam per ſe concidit Pelagii cavillum, quaſi Deo fieret injuria, ſi plus jubeat quam per ejus gratiam præſtare queant fideles. Nam rectè reſpondet Auguſtinus, poſſe quidem Dominum hominem mortalem in Angelicam dignitatẽ evehere, ſi vellet: ſed neque feciſſe unquam, nec facturum eſſe, quod aliter in Scripturis pronuntiaſſet. Addimus, importunè de potentia diſputari contra ejus veritatem. c. 7. S. 5.

14. Tota hæc res meliùs patefiet, ubi officium uſumque legis moralis cognitum habebimus. Tribus autem partibus continetur, quarum duę priores communes ſunt fidelibus cum infidelibus, tertia fidelium propria eſt. c. 7. S. 6.

15. Primus legis uſus in eo ſitus eſt, quod dum juſtitiam Dei oſtendit, unumquemque ſuæ injuſtitiæ admonet, convincit & condemnat. Sic enim opus erat 1. ut homo cæcus & ſui amore ebrius adigeretur ad notitiam & confeſſionem ſuæ tum imbecillitatis tum impuritatis. Quantiſper enim vires noſtras arbitrii noſtri modo metimur, ingentem de illis opinionem concipimus. Vbi ad legis difficultatem comparantur, mox ſentimus eas anhelare, deinde titubare ac labaſcere, tandem concidere ac deficere. Ita exuitur, quâ cæcutimus, arrogantia. 11. Vt ſuperbiæ quoque morbo ſanemur, nec commentitiæ alicujus juſtitiæ præſum-

ſumtione contra Dei gratiam inflemur. Poſtquam enim ad legis trutinam vitam examinare cogimur, extemplò patet, quantum à vera ſanctitate abſimus, & quam infinitis vitiis abundemus. qua de cauſa Apoſtolus profitetur, ſe concupiſcentiam non niſi ex lege cognoviſſe Rom. 7. 7. c. 7. S. 8.

16. Ita lex eſt inſtar ſpeculi cujuſdam, in quo noſtram impotentiam, & ex hac iniquitatem, ex utraque maledictionem contemplamur. Per legem enim eſt agnitio peccati, Rom. 3. 20. Eadem ſubingreſſa eſt ut abundet peccatum, Rom. 5. 20. quò enim liquidius notitiâ peccati cõſcientia pungitur, eo magis creſcit iniquitas, quia contumacia adverſus legiſlatorem accedit. Denique Lex iram operatur & adminiſtra eſt mortis, Roman. 4. 15. 2 Cor. 3. 7. c. 7. S. 7.

17. Si quis dicat, ſic Legem affici ignominia & multum ejus excellentiæ derogari. Reſp. I. non Legis ſed noſtram hanc eſſe culpam. Illa enim ad ſalutem data, ſi auditores idoneos nacta fuiſſet. At quia carnalis noſtra natura cum lege ſpirituali Dei hoſtiliter pugnat, nunc in peccati & mortis occaſionem cedit. II. Quinimò ad beneficentiæ divinæ illuſtriorem commendationem hæc elogia ſpectant, quia noſtra pravitate nos impediri patet, quo minus beati per legem ſimus. Eo proinde ſuavior eſt Dei gratia & miſericordia, quæ ſine Legis ſubſidio identidem novo beneficii genere nobis ſuccurrit. c. 7. S. 7.

18. Hujus inſtructionis fructus erga fideles non eſt exiguus. Quod enim noſtra iniquitas & damnatio teſtimonio Legis conſignatur, non ideo fit, ut deſperemus. Nam ſicut judicio Legis nos damnatos eſſe teſtatur Apoſtolus, ut omne os obſtruatur, & totus mundus reus ſit, Rom. 3. 19.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ita viciſſim docet, Deum omnes ſub incredulitate concluſiſſe, ut omnium miſereretur, Rom. 11. 32. nempe dum nudi & vacui ad Dei miſericordiam confugimus, & ſolam Chriſti juſtitiam fide expetimus & exſpectamus, in quo facies Dei plena gratiæ erga peccatores relucet, qui alioquin in Lege ſeverus ſcelerum judex apparet. Et de hoc fructu prolixè variis locis diſputat Auguſtinus, cap. 7. Sect. 8, 9.

19. Erga reprobos primum hoc legis officium non eundem producit effectum, quia terrore exanimantur ob animi obſtinationem: nec tamen in illis prorſus ceſſat. Sic enim patefit judicii divini æquitas, adverſus quod, quia nondum eſt patefactum, tergiverſari audent, Legis tamen & conſcientię teſtimonio conſternati, in ſeipſis produnt quid meriti ſint. c. 7. S. 8, 9.

20. Secundus Legis uſus & officium ſpectat externam diſciplinam, ut homines in officio externè contineantur & coërceantur ſervili pœnarum formidine, ne libidinis ſuæ furias petulanter exerant. Ex quo tamen nec meliores ſunt, nec apud Deum juſtiores. Cor enim non habent compoſitum ad timorem & obedientiam Dei, ſed inviti, vel pudore vel terrore, ad Legis ſtudium trahuntur. Hæc tamen coacta expreſſaque juſtitia neceſſaria eſt publicæ hominum communitati, dum cavetur, ne omnia tumultu permiſceantur, quod fieret, ſi omnia omnibus liceret. Et ad hoc officium videtur Apoſtolus reſpexiſſe, cum tradit Legem juſto non eſſe poſitam, ſed injuſtis, &c. 1 Tim, 1. 9. c. 7. S. 10.

21. Porrò Filiis Dei ante vocationem ſuam non inutilis eſt hæc pædagogia, ne nimium carnis inſipientiâ laſciviant, quin potiùs divinæ ultionis metu retracti, utcunque nondum animo plenè domiti,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

domiti, aliqua tamen ex parte ferendo juſtitiæ jugo aſſuefiant, ne, cum vocati fuerint, prorſus ad diſciplinam rudes ſint & novitii. c. 7. S. 10.

22. Cæterùm ad utrumque Legis officium accommodari poteſt, quod Paulus dicit Legem fuiſſe Iudæis pædagogum ad Chriſtum. Etenim duo ſunt hominum genera, quos ad Chriſtum manuducit. Alii propriæ aut virtutis aut juſtitiæ fiducia turgent, nec ſunt idonei recipiendæ Dei gratiæ, niſi prius ſint exinaniti. Hos lex ad humilitatem ſubigit, ut expetant, quod ſibi deeſſe nō putabant. Alii opus habent fræno, ne, dum nondū reguntur Dei Spiritu, ſic ebulliant libidines, ut animam in oblivionem contemtumque Dei demergant. Hos per Legis horribiles comminationes ſub timore ſervili conſervat, & paulatim ad pietatem erudit. Cujus rei documenta præbent tum experientia, tum ſenſus eorum, qui tempore ignorantiæ hoc quaſi Legis fræno in qualicunque Dei metu & obſervantia cohibitos ſe fuiſſe fatebuntur, donec regenerati ex animo Deum amare inciperent. Illum fructum ex primo, hunc ex ſecundo Legis officio fideles capiunt. cap. 7. S. 11.

23. Tertius ac præcipuus uſus, quiq; proprium Legis finem ſpectat, erga fideles locum habet, in quorum cordibus jam regnat Dei ſpiritus: Et poſitus eſt tum in doctrina, tum in exhortationibus. Nam I. Lex commonſtrat regulam benè vivendi, & indies meliùs ac certiùs nos docet, qualis ſit Dei voluntas & in ejus intelligentia nos confirmat. II. Eadem exhortationibus ſuis excitat ad obſequium, in eo roborat, ad opus urget, nec deſides eſſe patitur, deniq; à delinquendi periculo retrahit. Vtroq; opus eſt. Etſi enim per Dei gratiam Lex nota ſit, nemo tamen eò ſapientię pervenit, ut

non poſſit ex quotidiana Legis inſtructione novos facere progreſſus ad majorem notitiam. Adhæc quantalibet alacritate ad Dei juſtitiam fideles contendant, carnis tamen ignavia ſemper onerantur, quominus legitima promtitudine pergant. Vtriq; morbo Lex ſuccurrit & illic regulæ ſeu normæ, hic calcaris & flagri vice fungitur. cap. 7. S. 12.

24. Et ad hunc uſum reſpexit David Pſalm. 19. 8. & 119. 105. quando tam inſignibus encomiis Legem celebravit. Lex inquit Domini eſt immaculata, convertens animam, lætificans cor, illuminans oculos, lucerna & lumen pedibus & ſemitis meis, &c. Quibus verbis oſtendit, quæ ſit Legis utilitas in iis, quibus Deus obſequendi promtitudinem intus adſpirat. Nec legis tantum præcepta, ſed annexas quoq; promiſſiones in Mediatore reſpicit, ſine quibus nulla poteſt eſſe oblectatio. Vnde facile eſt Davidem cum Pauli ſententiis conciliare, quibus potiſſimum docet, quid Lex homini, præſertim non regenerato, per ſe conferre queat. cap. 7. S. 12.

25. Ex his liquet, quàm graviter illi errent, qui has duas Legis tabulas valere jubent, eò quod alienum ſit à Chriſtianis adhærere doctrinæ, quæ ſit adminiſtra mortis. Sed I. imperite confundunt uſus Legis, quos diſcernere conveniebat. Apud peccatores mortem generat; In ſanctis meliorem habet uſum. II. Moſes nobis legem tanquam abſolutum juſtitiæ exemplar commendat, Deuteron. 32. ℣. 46. aut ergo falſi eſt arguendus Moſes, aut nefas eſt ab hac vivendi regula diſcedere. III. David juſti hominis beatitudinem in continua Legis meditatione ponit Pſalm. 1. ℣. 2. Id verò non eſt unius ſæculi, ſed ſingulis ad finem mundi ætatibus convenit. IV. Nec obſtare debet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

debet, quod Lex perfectam ſanctitatem exigit. quia rigidi exactoris munere jam non fungitur, ſed metam demonſtrat, ad quam tota vita noſtra contendere, nobis non minus utile quam officio noſtro conſentaneum eſt. c. 7. S. 13.

26. Sed iſtis hominibus omiſſis illud potius inquiramus, an & quatenus Lex ſit abrogata. Certè Legis abrogationem non obſcurè docet Paulus: Et à Chriſto quoque fuiſſe prædicatam, ex eo apparet, quod opinionem de Lege à ſe abolenda refutat, quæ non de nihilo nata eſt, ſed ex falſa doctrinæ Chriſti interpretatione. Cum autem Dominus noſter tam feriò teſtetur ſe non veniſſe ad Legem abolendam, ſed ad implendam, nec apicem Legis periturum, quin omnia fiant, manet certè per Chriſtum inviolabilis Legis doctrina, nempe quatenus docendo, admonendo, objurgando, corrigendo ad omne opus bonum format. c. 7. S. 14.

27. Quid ergo eſt abrogatum? Diſtinguamus hic Legem moralem à ceremoniali. In morali firma manent, quæ hactenus aſſeruimus. Itaq; debita ſemper veneratione & obedientia debet à nobis ſuſcipi. Verum quia non tantum docet quod rectum eſt, ſed etiam imperioſe exigit, quod mandat, & in delinquentes maledictionis fulmen ſtringit, Deut. 27. 26. Gal. 3, 10. hactenus abrogata eſt fidelibus, ut illis jam non ſit amplius quod erat antea, hoc eſt, non damnet & perdat, conſcientias terrendo & confundendo. Chriſtus enim pro nobis factus eſt execratio, ut nos à maledictione redimeret, Gal. 3. 13. & Legi ſubjectus, ut qui erant ſub Lege, jus Filiorum Dei acciperent, hoc eſt, ne perpetua ſervitute & anxietate conſcientiarum premerentur, Gal. 4. 4. 5. cap. 7. S. 14. 15.

28. Alia ceremoniarũ eſt ratio, quæ non effectu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſed uſu ſolo fuerunt abrogatæ. Nam expiatio verè in ſacrificiis fuit promiſſa, & arca fœderis certum fuit favoris Dei pignus: nec ceremoniæ inane fuerunt ſpectaculum, quia mortis & reſurrectionis Chriſti virtutem monſtrabant. Sed poſtquam venit Chriſtus, uſus earum ceſſare debuit. Nam I. fuerunt umbræ tantum futurarum rerum, quarum corpus exſtat in Chriſto, Col. 2. 17. Heb. 10. 1. II. Ideò & morte Chriſti velum templi ſciſſum fuit in duas partes, Matth. 27. ℣. 51. quia viva cœleſtium bonorum imago in lucem prodierat. III. Huc pertinet dictum Chriſti, Legem & Prophetas fuiſſe uſque ad Iohannem Luc. 16. 16. Item quod Lex per Moſen data ſit, gratia & veritas per Chriſtum facta, Ioh. 1. 17. Non quidem quaſi Patres olim ſpe ſalutis & vitæ æternæ privati fuerint, ſed quia ſub umbraculis & procul intuiti ſunt, quod nos hodiè in plenà luce conſpicimus. Quod ergo deſierint ſervari ritus legales, nihil eorum ſanctitati derogat. Chriſtus enim uſum tollendo, vim & effectum ceremoniarum ſua morte obſignavit. c. 7. S. 16.

29. Adverſus ea, quæ diſſeruimus, objici poteſt ex Coloſſ. 2. 14. Paulum Legis abrogationem ulterius extendere, ita ut cum illa jam nihil nobis ſit negotii. Dicit enim Chriſtum deleviſſe, quod adverſus nos erat, chirographũ in decretis, ipſumque tuliſſe è medio. Qui de Lege morali hæc accipiunt, etſi non ad doctrinam, ſed inexorabilem legis ſeveritatem referant, errant tamen. Etenim vocabulum (Decreti) manifeſtè arguit de ceremoniis hic agi ſicut Epheſ. 2. 14. Etſi enim duos illos locos per omnia comparari nolimus, quia ſcopo differunt, tamen in ſignificatione vocis (Decreti) conveniunt. Ad ceremoniarũ proindè abo-

litionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

litionem dictum Pauli Coloſſ. 2. reſtringi debet, quas appoſitè chirographum vocat, non eo tantum ſenſu, quia populum ad obedientiam obligabant, ſed vel maximè, quia ſolennia erant inſtrumenta, quibus tum immunditiem ſuam & peccata, tum damnationem confitebantur & obſignabant, Hebr, 7. 9, 10. Ideo addit Paulus fuiſſe chirographa ſuis cultoribus adverſa. Vnde concludit ad delenda peccata nihil potuiſſe; proinde rectè Chriſti beneficio & æterna expiatione fuiſſe abolitas. c. 7. S. 17.

DISPVTATIO V,

De Lege Morali ſeu Decalogo.

Ex lib. 2. cap. 8.

1. QVæ de officio atque uſu Legis hactenus diſſeruimus, certiora nobis eſſe poterunt ex ejus explicatione. Indè enim melius patebit, præſcriptum à Deo cultum adhuc vigere: deinde Iudæos ex Lege non tantum didiciſſe, quænam eſſet vera pietatis ratio, ſed horrore judicii Divini ſubactos quoque fuiſſe, ut vel inviti ad Mediatorem traherentur. Sect. 1.

2. Cùm verò ſapientiæ noſtræ ſumma in Dei, noſtriq; cognitione ſita ſit, per illius notitiam nos ad Dei Majeſtatem attolli, & ad ejus cultum adſtringi diximus: noſtri vero cognitione, nos omni propriæ virtutis & juſtitiæ fiduciâ exui, contra egeſtatis conſcientiâ fractos corâm Deo dejici. Vtrumque in Lege ſuâ Deus exequitur, quando primum ad Numinis ſui reverentiam nos vocat, deinde promulgatâ juſtitiæ regulâ, cui præſtandæ ſumus impares, tùm impotentiæ, tùm injuſtitiæ nos arguit. Sect. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

3. Loquimur autem de Lege Morali per Moſen promulgatâ. Quamvis enim Lex interior, quæ omnium cordibus eſt impreſſa, hæc eadem nobis dictet, nec dormire ſemper ſinat conſcientia, teſtis & monitrix eorum, quæ Deo debemus, & accuſatrix, cum ab officio diſcedimus: tamen quia propter hebetudinem per Legem naturalem tenuiter deguſtamus, quis ſit acceptus Deo cultus, & propter contumaciam, noſtrique ipſius amorem nos ipſos non cognoſcimus, placuit Deo ſcriptam Legem nobis ponere, quæ & certius mentem noſtram doceret, & vividius feriret. Sect. 1.

4. Ergo quoad Dei notitiam attinet, hæc ex Lege diſcimus. I. Cum ſit Creator noſter, jure locum Patris & Domini apud nos obtinere: proinde gloriam, reverentiam, amorem, timorem illi à nobis deberi: nec eſſe nos noſtri juris. Ideo faciendum, quod illi placuerit. II. Deum amare juſtitiam, odiſſe iniquitatem. Ergo juſtitiam nobis per omnem vitam eſſe colendam: nec alium eſſe legitimum Dei cultum. Fruſtrà vero prætexitur impotentia. Quod enim non poſſumus, id vitii noſtri eſt. Dei porrò gloriam non convenit metiri ex noſtrâ facultate. Ipſe amicus ſemper eſt juſtitiæ, & quod exigit rectum eſt, ad cujus obſequium neceſſitate tenemur. Sect. 2.

5. Hinc ad nos deſcendere debemus, & ex eâdem Lege duo hæc referre. I. Nos longè abeſſe à juſtitiâ, quam lex poſtulat, ideoque indignos, qui inter Filios Dei cenſeamur. II. Vires noſtras adimplendæ legi non impares tantùm, ſed prorſus nullas eſſe. Hinc neceſſariò ſequitur, tum propriæ juſtitiæ diffidentia, ex terrore conſcientiæ, ſenſu judicii Dei, & mortis horrore, tùm etiam virium deſperatio ex documentis impotentiæ. Vtraque affectio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

affectio humilitatem generat. Ita fit, ut homo in ſe deſperabundus, ad unam Dei miſericordiam ſe convertat. S. 3.

6. Cæterum ut & amore juſtitiæ, & iniquitatis odio magis afficeremur, placuit Deo addere legi promiſſiones & minas. Promiſſionibus denuntiat repoſita eſſe benè agentibus apud ſe præmia, ut harum dulcedine nos magis invitet ad ſui amorem. Edicit ex adverſo, injuſtitiam non execrabilem tantùm ſibi eſſe, ſed nec impunè evaſuram, quia Deus contemtus ſui ultor ſit. S. 4.

7. Sicut autem inter promiſſiones non ſunt tantùm hujus vitæ benedictiones, ſed quoque æterna beatitudo, Levit. 18. 5. Ezech. 20. 11. Ita transgreſſoribus tàm præſentes calamitates, quàm æternæ mortis ſupplicium lex minatur, Ezech. 18. 4, 20. Præſentium quidem benedictionum & maledictionum longus Catalogus recenſetur, Levit. 26. 4. Deut. 28. 1. Sed ubicunque memoratur benevolentia, vel ira Dei, ſub illâ vitæ æternitas, ſub hâc æternum exitium continetur. Deniq; ex promiſſionibus ſummum in Deo juſtitiæ amorem, adhæc miram ejus benignitatem agnoſcimus, remunerantis obſequium, quod jure tanquam debitum repoſcit. Vnde conſtat, quantopere Deo placeat legis obſervatio. Comminationes in majorem injuſtitiæ execrationem poſuit, ut ſciamus quantoperè iniquitatem deteſtetur. S. 4.

8. Illud quoque diligenter obſervandum, quod Deus legem traditurus, omnes ejus partes ad ſuam voluntatem revocavit, expreſſeque vetuit, nec addere nec detrahere quidquam, ſed illud tantùm facere, quod ipſe præcepit, Deuteron. 12. 28. & 4, 9. Ita voluit occurrere hominum audaciæ, ad varios identidem excogitandos cultus proclivi,

quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quibus Deum demereantur, adeo ut in bonis operibus anguſtiorem locum pręcepta Legis, ex adverſo innumera hominũ commenta primarium obtineant. Hinc videmus Iſraëlitas poſt receptam Legem novas quotidiè juſtitias parturiviſſe. Idemq; morbus etiamnum hodiè regnat. Huic ſanando vitio non eſt melius remedium, quàm ſi cogitemus, in lege nobis datam eſſe abſolutam juſtitiæ & voluntatis Dei regulam, & in hujus obedientiâ legitimum conſtare cultum. Extrà hanc Legem quidquid evagatur, meram eſſe juſtitiæ profanationem. Sect. 5.

9. Priuſquam vero ſingula Legis capita excutimus, hæc tria notanda ſunt, quæ ad univerſalem ejus notitiam faciunt. Primò non ad externam honeſtatem modo, ſed ad interiorem ſpiritualemque juſtitiam nos in lege informari. Id patet I. Ex Legiſlatoris natura. Mortalium Leges non niſi ad externam civilitatem ſe extendunt, nec eorum edicta violantur, niſi patratis flagitiis: Et tunc quoque, quando conſilia & voluntates ſpectant, tamen arcanas cogitationes non ſcrutantur, nec facinus expendũt, niſi quod extra emerſerit. At vero Deus eſt ſpiritualis, nec tam externam moratur ſpeciem, quàm cordis puritatem: nec minus animę quàm corpori Legem tulit. Itaque non ſufficit, corporis partes omnes ad Legis obſervationem compoſuiſſe, ſi cor ab obedientiâ ſit alienum. II. Ideò Paulus teſtatur Legem eſſe ſpiritualem. Quo ſignificat, non modo mentis & voluntatis exigere obſequium, ſed Angelicam requirere puritatem, quæ nihil quam Spiritum ſapiat. III. Hunc eſſe Legis ſenſum Chriſtus diſertè docet, quum Phariſaïcas Legis corruptelas corrigit, Matth. 5. 21. 24. 43. Etenim Phariſæi vulgo perſuaſerant, eum Legem perfe-

perfeciſſe, qui opere externo nihil adverſus Legem perpetraſſet. Hunc errorem Chriſtus arguit, & impudicum mulieris aſpectum ſcortationem eſſe pronuntiat, atq; homicidas eſſe, qui fratrem oderint, aut vel minimâ iram animo conceperint, ejusq; ſignificationem leviſſimam dederint. S. 6. 7.

10. Hinc patet periculoſiſſimè errare, quicunq; Chriſtum alterum eſſe Moſen finxerunt, qui per novam Legem Moſaïcæ Legis defectum ſuppleverit. Sed I. reclamat Moſes, qui perfectam juſtitiæ Legem ſe tradidiſſe aſſerit. II. Ita Patrum ſanctimoniam non longè ab hypocriſi abfuiſſe inſinuant. III. Nos ab unâ illâ & perpetuâ juſtitiæ regulâ aliò avocant. IV. Chriſtus Legi nihil adjecit, ſed ſuæ tantùm integritati eam reſtituit. S. 7.

11. Secundò notandum, plus ineſſe ſemper in præceptis ac interdictis, quam verbis exprimitur. Conſtat enim in ſingulis ferè præceptis manifeſtas eſſe ſynecdochas. Sed ne per nimiam licentiam interpretatio verborum fines excedat, modus aliquis ſtatuendus eſt. Optimus erit, ſi diſpiciamus in ſingulis præceptis. I. quâ de re agatur. II. quæ ſit ejus ratio, & ad quem finem referri debeat. Ita facile erit reperire, quid placeat Legiſlatori, quid diſpliceat. III. Tum vero contrarium erit inferendum. Et cum præceptum omne vel ſit imperativum, vel prohibitivum, ab utroque ad contrarium facilis erit progreſſus. Quę in Legis interpretatione fient evidentiora. S. 8.

12. Illud hic cavendum, ne contrariam vitio virtutē putemus eſſe ſolam à maleficio & malefaciendi libidine abſtinentiam. Lex enim plus exigit: & quando vetat injuria fratrem lædi, aut violari, etiam dilectionem mandat, vitamq; ejus charam nobis eſſe vult & pretioſam. Atque adeo hæc ipſa

cauſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

cauſa eſt, cur illud prohibeat. Simul ergo poſtulat, quæ ad ejus conſervationem conferri poſſunt, officia & ſubſidia charitatis. S. 9.

13. Sed enim meritò hîc quæritur, cur Deus ſynecdochis uti voluerit, ſignificando magis quid vellet, quàm exprimendo. Reſp. Ita peccatorum fœditatẽ ob oculos poni. Hanc enim caro ſpecioſis prætextibus inducerẽ molitur, atq; hac ratione in æſtimandis vitiis ſibi imponit, præſertim quando tectiora ſunt. Ideò Deus quod in unoquoq; tranſgreſſionis genere deterrimum eſt & ſceleſtiſſimũ, etiam noſtra opinione, exemplaris loco propoſuit, ut diſcamus univerſam vitiorum multitudinẽ ad hęc capita referre, & inde intelligamus, quo loco ſint apud Deum, & apud nos eſſe debeant. S. 10.

14. Tertio loco conſideranda venit Legis in duas tabulas partitio, quarum prior religionis officia, quæ peculiariter ad numinis divini cultum pertineant, poſterior officia charitatis, quæ homines reſpiciunt, cõtinet. In priore fundamentum habemus omnis juſtitiæ, quo ſublato, reliqua coràm Deo inania & frivola ſunt. Fruſtrà enim ſine religione & timore Dei venditatur, quæ apud homines exiſtit, juſtitia. Nec vero juſtitiæ fundamentũ & pręcipua pars duntaxat eſt cultus Dei, ſed anima quoque, qua tota vegetatur, adeoque fons & ſpiritus, ex quo homines diſcunt temperanter, & ſine maleficio inter ſe vivere. Quâ ratione & ordine etiam Chriſtus totam legem duabus partibus, amore Dei & proximi complexus eſt. S. 11.

15. Huic porro partitioni non repugnat, quod decem præceptis, quæ ad ſui & proximi amorem pertinent, Deus fuſius enarravit. Sic enim omnem excuſationis prætextum tollere voluit, cum quæ paucis dicta fuerant, explicatiora nobis facta ſunt. S. 12.

16. In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

16. In Decalogi diviſione nonnulla eſt diſſenſio, ob quam tamen cõtentioſè pugnare nolimus. Legem decem verbis eſſe diſtinctam extrà cõtroverſiam eſt: ſed quæ ad hanc aut illam tabulam referri debeant, quæritur. Quidã tria præcepta dant primæ tabulæ, reliqua ſeptem conjiciunt in ſecundam. Hâc ratione præceptum de imaginibus, aut expungere coguntur, aut occultare ſub primo, decimum verò in duas partes diſcerpere. Atqui ſecundum illud diſtinctè à Deo mandati loco poſitũ fuit: decimum circà unius vitii prohibitioné verſatur. Et fuit iſta partiendi ratio priori ſęculo incognita. Quidam nobiſcum quatuor capita in prima tabula ponunt; ſed primi vice promiſſionem ſtatuunt ſine præcepto. Quibus obſtat quod decem verba pro totidem præceptis apud Moſen ſumi videntur. Nos igitur prima Decalogi verba prooemii loco poſita eſſe cenſemus. Deinde quatuor præcepta primæ, ſex ſecundæ tabulæ aſſignamus. Quam diviſionem etiam Patres ſequuntur. Quod enim Auguſtinus in numero ternario putavit magis elucere myſterium Trinitatis, ſubtile magis eſt, quàm ſolidum. Ioſephus quina præcepta ſingulis tabulis attribuit. At verò ſic religionis & charitatis diſtinctionem confundit: & refutatur authoritate Chriſti, qui mandatum de parentibus honorandis in ſecundâ tabulâ reponit, Matth. 19. 19. S. 12.

17. Hactenus, quæ generatim ad Legis interpretationem neceſſaria videbantur, expoſuimus. Iam ipſum Decalogum aggrediamur. Vbi primum occurrit prooemium, quod ſive partem facias primi mandati, ſive ſeparatim legas, nõ magni refert, modo vice prooemii ſit in totam Legem. Id quæſitu dignum, quorſum hæc pręfatio tendat. Reſp. 1. Vt his epithetis numen ſuum ab omnibus Idolis

& Diis

& Diis commentitiis diſcernat. Ita vanitati noſtræ occurrit, ne temerè ad novum aliquem Deum delabamur. Huc ſpectant tituli, quibus Divinitatem veluti cancellis circumſcribere ſolet, quando paſſim ſe Deum Abrahæ & Iſraëlis nominat, qui habitet Hieroſolymæ inter Cherubin, nempe ut cogitationes piorum in illo Deo ſiſtat, qui ſe populo Iſraëlitico manifeſtavit. II. Ne Legis Majeſtas in contemtum veniat. Ad eam ergo ſanciendam his titulis, adeoque triplici argumento utitur. Nam I. voce Iehovæ, à quo omnia ſunt, & extrà quem eſſe non poſſumus, legitimam dominationem & jus ac poteſtatem imperandi ſibi vendicat. Ita populum parendi neceſſitate conſtringit. 2. addit, SUM DEUS TUUS. quibus verbis mutua ſubeſt relatio, Et vos eſtis mihi in populum, Ier. 31. 33. Matth. 22. 32. ſimulque indicatur, quanta ſit Dei miſericordia, qui nos dignetur populi ſui conſortio, cui & in præſens, & in futurum benefacere velit. Et hâc promiſſionis ſuavitate allicit ad obedientiæ & ſanctitatis ſtudium, Deut. 7. 6. & 14. 2. & 26. 18. Levitic. 19. 2. Malach. 1. 6. III. Commemorat magnum illud, & in æternum memorabile beneficium, quod Iſraëlem è terrâ Ægypti, & triſtiſſimâ ſervitute redemerit. Ergo jure eos ſibi vendicat, & æquiſſimum eſt, ut libertatis authorẽ obſequendi promptitudine colant, niſi ingratiſſimi eſſe velint. S. 13. 14. 15.

18. Si quis exiſtimet ad nos jam illa nihil pertinere, is cogitabit. I. Ægyptiacam ſervitutem ac redemtionem typum fuiſſe ſpiritualis captivitatis, & cœleſtis libertatis, ad quam ſumus evocati. Illius ergo meminiſſe non poſſumus, quin & noſtrę recordemur. II. Cum à ſummo Rege hanc legem profectam eſſe audimus, à quo & originem ducimus,

mus, & peculiariter in populum ejus, & ad obſervanda mandata ipſius electi ſumus, à cujus benignitate omnia bona expectamus, cujus denique virtute mortis faucibus ereptos nos eſſe novimus, ſanè nemo eſt, cujus animus non inflammari debeat ad hujus Legis obedientiam. S. 15.

19. Primi præcepti finis eſt, Deum in populo ſuo velle ſolum eminere, & jure ſuo potiri in ſolidum. Habere enim Deum non poſſumus, niſi, quæ ei propria ſunt, ſoli tribuamus. Sunt autem potiſſimum hæc quatuor Adoratio, Fiducia, Invocatio, & Gratiarum actio. S. 12.

20. Adoratio eſt veneratio & cultus, quem illi tribuimus, quando nos & conſcientias noſtras Majeſtati Divinæ & Legi ejus ſubjicimus. Fiducia eſt acquieſcendi in Deo ſecuritas, ex ſapientiæ, juſtitiæ, potentiæ, veritatis, & bonitatis Divinæ cognitione & communicatione profecta. Invocatio eſt mentis noſtræ, quoties urget neceſſitas, in ejus fidem atque opem receptus. Gratiarum actio eſt, quâ laus bonorum omnium Deo tribuitur. Atque in his vera conſiſtit religio, quorum omnium, ut nihil patitur Deus aliò derivari, ita omnia in ſolidum ſibi exhiberi mandat. S. 16.

21. Pugnat cum hoc præcepto, Habere Deos alienos, quod propriè aliud nihil eſt, quàm quæ Deo propria ſunt, aliò transferre. Huc pertinet. I. Atheiſmus omnes religiones ludibrio habens. II. Prava Superſtitio, cultum Dei alio deflectens. Sect. 16.

22. Particula quæ ſequitur, CORAM FACIE MEA, rei indignitatem auget, & à ſcelere defectionis, & ab occultiſſimis apoſtaſiæ cogitationibus deterret. Nempe quidquid agimus, in conſpectũ Dei venit, qui etiam abditiſſimas cordium

latebras

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

latebras intuetur. Cavendum ergò ne oculos ejus offendamus. S. 16.

23. Præcepto ſecundo Deus edicit, qualis ſit, & quo cultus genere honorandus, ne quid carnale ipſi affingamus. Finis præcepti eſt, quod ſuperſtitionis ritibus legitimum ſui cultum non vult profanari. Vetat ergò carnales obſervatiunculas, quas ſtolidi homines comminiſcuntur: contrà, nos ad legitimum ſui cultum, hoc eſt, ſpiritualem & à ſe inſtitutum format. Exprimit autem, quod in hoc genere peccati vitium eſt craſſiſſimum, nempè externam idololatriam. S. 17.

24. Partes mandati duæ ſunt. Prior licentiam coercet, Deum incomprehenſibilem ſub ulla ſpecie repræſentandi. Altera vetat, ne imagines ullas adoremus religionis cauſa. Enumerat autem breviter formas omnes, quibus ſolebat à profanis & ſuperſtitioſis gentibus figurari. Per ea quæ in cœlo ſunt eadem intelligit, quæ Deut. 4. 15. commemorantur. Ad Angelos enim referri non putamus. Quæ porrò ad hanc materiam pertinent ex c. 11. & 12. libri primi peti poſſunt. S. 17.

25. Sanctio hujus præcepti valet ad excutiendam ſocordiam: Ac primo prædicat ſuam potentiam, quæ ſe impunè contemni non patietur. 2. Vocat ſe Zelotem, qui conſortem ferre nequeat. 3. Ait ſe futurum vindicem ſuæ Majeſtatis, ſi quis gloriam ſuam ad Creaturas aut ſculptilia transferat. Et hujus vindictæ gravitatem inculcat, cum eam ad filios paternæ impietatis imitatores in quartam uſque generationem protendit. 4. Deniq; ſuam cõmendat miſericordiam in eos, qui ipſum diligunt, & mandata ſua cuſtodiunt. S. 18.

26. In vocabulo Zelotæ turpitudinem Idololatriæ depingit, & quàm ipſe ſit rivalis alicujus impatiens.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

patiens. Vſitatum ſiquidem eſt conjunctionem Dei cum Eccleſiâ conjugio conferri, in quo Deus boni mariti officiis defungitur, & ab Eccleſiâ caſtitatem conjugalem & amorem viciſſim ſtipulatur, 2 Cor. 11. 2. Epheſ. 5. 30. Eſ. 62. 5. Oſeæ 2. 19. Quando verò Numinis ſui cultus non manet illibatus, violari & pollui ſacrum hoc conjugium, ſuam verò Zelotypiam ardentiſſimam eſſe teſtatur. S. 18.

27. In comminatione illud durum videri poſſit, & à juſtitiâ Dei alienum, pœnam alterius delicti ab inſonte expetere, præſertim cum Deus ſe hoc facturum neget, Ezech. 18. 20. Reſp. I. Cùm eadem ſententia de pœnis parentum in filios prorogandis, ſæpius in Scripturâ repetatur, non eſt de eâ dubitandum. Vide Num. 14. 8. Ier. 22, 18. ſed de ſenſu quæritur. Quidam de pœnis tantùm temporariis putant eſſe intelligendum, quæ filiis ob parentum delicta infligantur, ſed quæ ipſis ſæpè in ſalutem cedant. Nec hoc omninò abs re dicitur, ſicut eſt videre Eſaiæ 39. 7. Geneſ. 12. 17. & 20. ℣. 3. quæſtionem tamen non ſolvit. Nam graviorem ultionem edicit Deus, quam ut intrà præſentis vitæ terminos limitetur. Dicimus itaque, juſtam Dei maledictionem in caput impii, & in totam familiam incumbere quod ubi fit, pater quidem deſtitutus Dei Spiritu, flagitiosè vivit, filii autem & nepotes, ob patris nequitiam derelicti, eandem exitii ſequuntur viam. II. Cùm univerſa hominum natura ſit damnabilis, propriâ iniquitate, non iniquo Dei odio intereunt. Nec hîc quidquam eſt, quod vel juſtitiam Divinam deceat, vel expoſtulandi cum Deo, aut criminandi materiam præbeat. III. Quoad locum Ezechielis, videndum quid illic agatur. Iſraëlitæ querebantur,

rebantur, ſe juſtos & immerétes pœnas luere peccatorum, quæ à parentibus admiſſa eſſent. Negat hoc Propheta, quia juſtitiæ Dei non congruat. At hîc non de juſtis, ſed de illis filiis agitur, qui juſto judicio excæcati, parentũ veſtigiis inſiſtunt, & ſic quidem paterna ſcelera luunt, ut tamen maximè ob iniquitatẽ propriam puniantur. S. 19. 20.

28. Annexa promiſſio de Dei miſericordiâ in mille generationes, ampla quidem eſt, ſed frequens in Scripturis, & ipſi fœderis formulæ inſerta, Geneſ. 17. 7. Vnde eſſe beati prædicantur poſteri juſtorum, Prov. 20. 7. non tantùm ſanctæ educationis ratione, ſed maximè ob iſtam in fœdere promiſſam benedictionem, quod Dei gratia in familiis piorum æterna reſideat. S. 21.

29. Ex his duobus argumentis eximia fidelibus conſolatio, ingens impiis exiſtit terror. Si enim poſt mortem tùm juſtitię, tùm iniquitatis memoria tantum valet apud Deum, ut hujus maledictio, illius benedictio in poſteritatem redundet, quanto magis in ipſis authorum capitibus reſidebit? S. 21.

30. Solet hîc objici, impiorum ſobolem ad bonam frugem nonnunquam ſe recipere, piorum ſobolem contrà degenerare. Reſp. I. non perpetuam Legem ſtatui, quæ deroget æternæ electioni. II. Sicut quæ paucis ſceleratis infliguntur pœnæ, teſtantur Deum iraſci peccatis, & olim peccatores judicaturum, etſi non omnes in hâc vita puniantur, Ita quæ exempla miſericordiæ Deus edit in filios piorum, documentum prębent conſtantis & perpetuæ in ſuos cultores gratiæ. Contrà quum patris iniquitatem ſemel in filio perſequitur, docet, quale reprobos omnes ob ſcelera propria maneat judicium. Atque hoc ad conſolationem juſti, & terrorem peccatoris ſufficit. S. 21.

31. Præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

31. Præcepti tertii finis eſt, quod nominis ſui Majeſtatem vult nobis eſſe ſacroſanctam. Ergo ſumma erit, ne ipſam contemtim & irreverenter habendo profanemus: contrà ut eam religiosâ veneratione proſequamur. Eam in rem hæc tria ſunt obſervanda. I. Vt quidquid mens concipit, aut lingua profatur, excellentiam Dei reſipiat, & ad eam extollendam aptum ſit. II. Ne ſancto ejus verbo temerè vel præpoſterè abutamur, vel ad ambitionē, vel ad avaritiam, vel ad ludicra noſtra, ſed in pretio & honore ſemper habeamus. III. Ne operibus ejus obloquamur, aut detrectemur, ſed facta Dei cum ſapientiæ, juſtitiæ, & bonitatis elogiis prædicemus. Atque hoc eſt verè Dei nomen ſanctificare. E contra uſurpare nomen Dei in vanum, eſt illud rapere extrà legitimum uſum, cui ſoli eſt conſecratum. Quod ubi fit, dignitate ſuâ exuitur, & contemtibile paulatim redditur. S. 22.

32. Ad juramenta vero potiſſimum in mandato reſpicitur, quia hic perverſus Divini nominis abuſus maximè eſt deteſtabilis. Loquimur autem de juramento, quatenus ad cultum Dei immediatè pertinet, non autem qua falſo teſtimonio ſocietatem humanam lædit: quâ de re agitur præcepto nono. S. 22.

33. Eſt verò nobis juramentum atteſtatio Dei, ad veritatē ſermonis noſtri confirmandam. Hanc, ubi ritè peragitur, eſſe cultus Divini ſpeciem teſtatur Scriptura, Eſai. 19. 18. & 65. 16. Ier. 12. 16. Sicut manifeſtæ defectionis argumentum, ſi qui per alienos Deos jurent, Ierem. 5. 7. Soph. 1. 6. Nec mirum, quia jurando per nomen Dei religionis confeſſionem edimus. Sic enim fatemur ipſum æternam eſſe & immutabilem veritatem, cum eum appellamus veritatis & teſtem, & aſſertorem,

cordium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

cordium denique, & eorum, quæ in conſcientiâ latent, cognitorem. S. 23.

34. Pugnant cum hoc præcepto. I. Execrationes, & manifeſta in Deum probra. II. Temeraria uſurpandi importunè divini nominis facilitas. III. Ejuſdem uſurpatio ad nefarios uſus, ut qui ipſum necromantiæ, ſuperſtitionibus, diris devotionibus, illicitis exorciſmis, aliisq; impiis incantationibus ſervire faciunt. IV. Iuramenta illicita, quæ vel contumeliam & contemtum, vel vilitatẽ continent. In hoc genere ſunt. 1. Si per Deum pejeratur. At hæc mera eſt in Deum contumelia, unde & profanatio vocatur, Lev. 19. 12. quia Deus ſuâ veritate adeoque Deitate ſpoliatur, dum falſi ſuffragator, & approbator conſtituitur. Quare in adjurandi formulis, quibus veri confeſſio exigebatur, ſolebant dicere, Da Deo gloriam, Ioſ. 7. 19. Ioh. 9. 14. nempè ut innuerent, perjuriis graviſſimè Deum inhonorari. Et qui jurabant, certis formulis Deum perjurii ultorem ſibi imprecabantur, ſi fallerent, 1 Reg. 14. 19. 1 Sam. 3. 17. 2 Corinth. 1. 13. 2. Si nomen Dei veris quidem ſed ſupervacuis juramentis adhibetur. Sic enim vile & vulgare redditur. Atque jusjurandum non libidinis aut voluptatis, ſed neceſſitatis cauſa permiſſum & inſtitutum eſt. Neceſſitas autem nulla prætendi poteſt, quàm ubi vel religioni, vel charitati eſt ſerviendum. Quâ in re deploranda eſt illa nimis licentioſa, & intolerabilis jurandi aſſuetudo, quæ etiam in nugacibus colloquiis, pro delicto haberi deſiit. V. Iuramenta, quibus in Dei locum ſancti ejus ſervi ſubſtituuntur. Ita 1. Divinitatis gloriam ad illos traducunt. 2. repugnant ſpeciali mandato, quo præcepit Deus jurare per nomen ejus, & ſpeciali interdicto, quo prohibemur jurare

per Deos alienos, Exod. 23. 13. Deut. 6. 13. & 10. 20. 3. Apoſtolus dicit homines jurare per eum qui ſit ipſis ſuperior, Hebr. 6. 13. Is eſt ſolus Deus: quare etiam per ſeipſum juravit. Sanctorum proinde appellatio eſt illicita. S. 22, 24, 25.

35. Ad horum peccatorum remedium Deus addidit ſanctionem, quâ non impunè laturos dicit, quicunque Dei nomen in vanum uſurpaverint. Itaque manet ratum Dei mandatum, ejusque peculiaris ſanctio firma, quæ effectum tandem ſuum obtinebit. S. 25.

36. Sed hìc nobis controverſiam de Iuramentis movent Anabaptiſtæ, qui omnia ſine exceptione execrantur, & dicto Chriſti abutuntur, Matth. 5. 34. Reſp. 1. Ita Chriſtum Patri ſuo adverſarium, adeoq; Deum ſibi ipſi contrarium faciunt. Conſtat enim Deum æternum ſuâ lege non modò juramentum, ceu rem legitimam permiſiſſe, ſed etiam imperaſſe, quando neceſſitas urget, Exod. 22. 11. Abſurdum autem foret, Chriſtum prohibere & damnare, quod Deus ſemel in moribus præcipiendo approbarit. Eſt enim unum cum Patre, nec aliam ſe doctrinam afferre aſſerit, quam Pater mandaverit, Ioh. 10. 30. 18. II. Si omne juramentum eſt prohibitum, tùm Chriſtus, ejusq; diſcipuli, ab omni juramento abſtinuiſſent. Iam verò nec Chriſtus à juramentis abhorruit, quoties ita res requirebat, & diſcipuli ejus Magiſtri exemplum ſecuti ſunt, adeoque ſine ſcrupulo jurârunt, etiam additâ interdum imprecatione, Rom. 1. 9. 2 Corinth. 1. 23. III. Quoad locum Matth. 5. ſpectandus eſt ſcopus Chriſti. Phariſæi tantùm perjuria cavere jubebant, quaſi lex non etiam ſupervacuis juramentis interdiceret. Hanc depravationem Chriſtus corrigit, nec tantùm pejerare,

ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſed etiam jurare, nempè in vanum, malum eſſe admonet. S. 26, 27.

37. Inſtant Chriſtum dicere *omninò* non eſſe jurandum. Reſp. 1. Particulam omninò non ad jurandi verbum, ſed ad ſequentes formulas pertinere. Nam ad illud præcipuum prævaricationis caput accedebat alter error, quod Iudæi non putarent ſe Dei nomen profanare, modo ejus non meminiſſent, licet alioquin per cœlum & terram dejerarent. Hæc ſubterfugia Chriſtus præcidit, & docet obliquis iſtis formulis per Deum homines jurare, quamvis ejus nomen non exprimant, quia divinæ ergà nos liberalitatis pignora ſint, iisque nomen Dei inſculptum ſit. Proinde quamvis neminem alium, puta mortalem aliquem, vel mortuum, vel Angelum, Dei loco ſubſtituant, indirectè tamen frivolis hiſce juramentis Dei Majeſtatem lædi. Cùm enim ex ſacro Dei nomine peti debeat dictorum confirmatio, neceſſe eſt Dei gloriam obſcurari, quoties aliter vel obliquè juratur. Eodem quoque Iacobus tendit, cap. 5. verſ. 12. 11. Si ad quodvis Iuramentum pertinet particula, Omninò, nihil erat neceſſe formulas addere: neq; per cœlum, neque per terram, &c. Concludimus Chriſtum, Legis interpretem optimum, cavillis duntaxat Iudæorum occurrere, unde peccatum ſuum levari putabant, nec omnia paſſim juramenta ſed illa duntaxat improbare, quæ Lege vetita ſunt. Sect. 26, 27.

38. Illud ſupereſt inquirendum, nunquid etiam privata juramenta licita ſint. Nam publica, quæ Magiſtratus defert, & exigit, aut qualia in fœderibus ſanciendis principes, aut ſubditi, aut milites ad teſtandam fidem ſuam adhibere ſolent, nonnulli libenter admittunt: In eoque numero ponunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ponunt, quibus Apoſtoli tanquam publici Miniſtri ſunt uſi. Sed privata putant ſub interdicto contineri. Reſp. I. Tutiſſima quidem eſſe publica juramenta, quia Magiſtratus ex officio teſtem rogat, & humanæ controverſiæ hoc remedio dirimuntur, Hebr. 6.16. Ideò etiam in ſummo honore habita fuerunt apud Ethnicos. II. Nec tamen idcirco privata ſunt damnanda, quæ ſobriè, ſanctè, & reverenter rebus neceſſariis adhibentur. Nam ſi in re ſeriâ licet provocare ad Dei judicium, ut innocentiam probemus, multo magis licebit Deum appellare teſtem. Deinde conſtat Iacobum & Labanum, itemque Boos & Abdian privatos juraſſe, Gen. 31.53. Ruth. 3.13. I. Reg. 18.10. Sect. 27.

39. Sit ergo hæc regula, ut juramenta bene moderemur, ne temeraria ſint, ne promiſcua, ne libidinoſa, ne frivola, ſed juſtæ neceſſitati ſerviant, ubi vel Domini gloria vindicanda, vel promovenda fratris ædificatio. Sect. 27.

40. Quarti præcepti finis eſt, ut propriis affectibus & operibus emortui, regnum Dei meditemur, atque ad eam meditationem inſtitutis ab ipſo rationibus utamur. Qui umbratile hoc præceptum vocarunt, rem non ſatis explicarunt. Nos cauſas præcepti tres obſervamus. I. ſignificationem quietis ſpiritualis. 2. politiam & ordinem Eccleſiaſticum. 3. ſervorum ſublevationem. S. 28.

41. Primò voluit cœleſtis Legiſlator ſub quiete diei ſeptimi populo ſuo quietem ſpiritualem figurare, qua feriari debent à propriis operibus, ut Deum in ſe operari ſinant. Hæc adumbratio primarium in Sabbatho locum tenuit. Idque patet. I. quia nullum ferè præceptum ſeverius urgetur. Num. 13.22. de ejuſdem omiſſione aut violatione ſic conqueritur Deus, tanquam ſi omnis religio

polluta eſſet, Ezech. 20. 13, 24. & 22. 8. Ierem. 17. 21, 22, 27. ejus denique obſervantiam & dignitatem paſſim inculcat, Eſai. 56. 2. Neh. 9. 14. Quæ omnia pertinent ad Myſterii commendationem. 11. Quia ipſi Prophetæ eandem hujus myſterii rationem afferunt, Sabbathum nempe ſignũ eſſe, quo Iſraël cognoſcit ſe à Deo ſanctificari, Exod. 31. 13. 15. Ezech. 20. 12. ſic Eſaias revocans Iudæos à carnali Sabbatho, docet tunc bene cuſtodiri, quando non faciunt voluntates ſuas, nec ſequuntur vias ſuas, &c. Eſa. 58. 13. Omnium autem luculentiſſime ſabbathiſmum æternum deſcribit Apoſtolus, Hebr. 3. 13. & 4. 9. Ex his colligitur Sabbathum externum fuiſſe figuram noſtrę ſanctificationis: Hæc autem conſtat propriæ voluntatis mortificatione. Fit autem quieſcendo à propriis ingenii muniis, ut Deum in nobis habeamus operantem. Ita ſeſe profert aptiſſima ſigni analogia cum re ſignata. Sect. 29. 31.

42. Hanc perpetuam requiem Iudæis repræſentabat diei ſeptimi obſervatio, quam, ut majori religione coleretur, exemplo ſuo Dominus commendavit. Quod autem ſeptimum diem elegerit, ideò factum dicemus, quia numerus ſeptenarius eſt perfectionis numerus, vel ad notandam perpetuitatem, vel ad delineandam Sabbathi in die ultimo perfectionem. Si hæc ſubtiliora fortè videntur, dicemus, cum Deus certum diem eſſe voluerit, quo ſpiritualis quietis aſſiduitatem populus meditaretur, ſeptimum elegiſſe, vel quia ſufficere providebat, vel ut ſuo exemplo melius populum extimularet, vel certè admoneret, non alio ſpectare Sabbathum, niſi ut Creatori ſuo conformis reddatur. Sect. 30. 31.

43. Cæterùm, quod hîc Ceremoniale erat, adventu

ventu Domini Chriſti abolitum fuiſſe non eſt dubium. Ipſe enim eſt veritas, & corpus, & verum Sabbathi complementum, qui morte & reſurrectione ſuâ in nobis implet ſanctificationem illam, quæ Sabbatho fuerat ſignificata, Rom. 6.4. Colloſſ. 2.16.17. A Chriſtianis ergo abeſſe debet ſuperſtitioſa dierum obſervatio. Sect. 31.

44. Secundam inſtituti Sabbathi cauſam eſſe diximus, ordinem Eccleſiaſticum. Voluit ſiquidem Deus certum eſſe diem, quo pii convenirent ad verbum Dei audiendum, ſacra peragerent, & operum Dei recordatione ad pietatem exercerentur, idque vel ex ſolo Iudæorum uſu ſatis eſt comprobatum. Tertia cauſa fuit, ut ſervi aliquam haberent à labore remiſſionem, Deut. 5.14. Exod. 23.12. Hæ cauſæ veteribus umbris annumerari non debent, ſed etiamnum inter nos locum habent, tum ut ſtatis diebus ad audiendum verbum, & Sacramentorum adminiſtrationem, publicasq; orationes conveniamus: tum ut ſervis & operariis quietis diem indulgeamus, Deut. 5.14. Exod. 23. 12. Sane de conventibus Eccleſiaſticis dubitari non poteſt. 1. quia Deus eos præcepit. 2. quia eorum neceſſitas ipſa experientia patet, nec minus ad nos pertinet quam ad Iudæos. 3. ſtatos autem dies eſſe oportere, vel inde liquet, quod omnia decenter & ordine fieri debent in Eccleſia 1. Cor. 14.40. At ordo conſiſtere nequit, niſi certa ſit Politia, cui omnes ſe conforment. 4. Et ſi ordo hic diſſolvatur, præſentiſſima impendet Eccleſiæ perturbatio & ruina. Sect. 32.

45. De die ſeptimo quæſitum eſt, I. Annon rectius quotidiè conveniremus, ut planè tollatur diſcretio. Reſp. Hoc optare quam exequi eſt facilius. 1. Quia id multorum infirmitas non pati-

tur. 2. Quia charitatis ratio plus ab illis exigere non permittit. Sect. 32.

46. II. Secundo quæritur an dies Dominicus ſit obſervandus. Sunt enim qui Iudaïſmum hâc ratione foveri clamant, & urgent loca Pauli Colloſſ. 2.16. Gallat. 4.10,11. Rom. 14.5. Reſp. I. Manifeſtum eſt nos citra Iudaïſmum dies illos obſervare, non ut figuras rei ſpiritualis: ſed ut remedium Eccleſiæ ordini neceſſarium. II. Paulus adverſus eos diſputat, qui dum religione quadam Sabbathum, tanquam rerũ ſpiritualium umbram, retinebant, tantundem Chriſti gloriam obſcurabant. Ergo in præpoſteram dierum diſcretionem invehitur, non in Eccleſiaſticum ordinem, qui ſocietatis Eccleſiaſticæ paci ſerviat. III. Ipſe Paulus in Eccleſiis diem Dominicum in hunc uſum retinuit, & Corinthiis etiam præſcripſit, 1. Corinth. 16.2. IV. Denique non eſt cur ſuperſtitionem metuamus, quia ſublato religioſo Iudæorum Sabbatho, ſequens dies ejus loco eſt ſubſtitutus; neque hoc incommode. Cum enim reſurrectio Chriſti, à qua dies Dominicus ortum ſuum accepit, finem umbris attulerit, ex ipſo die monemur, ne umbratili ceremoniæ inhæreamus, ſed veræ quietis complementũ in Chriſto quæramus. S. 33.

47. III. Q. An Eccleſiæ ad numerum ſeptenarium ſimpliciter ſint alligatæ. Reſp. Nos nolle Eccleſias iſti ſervituti adſtringere, nec damnare, ſi quæ alios conventibus ſuis ſolemnes dies habeant, modo abſit ſuperſtitio, & ad ſolam diſciplinæ obſervationem, ac ordinis benè compoſiti referantur. Idcirco non placet eorum ſententia, qui diem quidem Iudaïcum mutarunt, diei ſanctitatem eandem animo retinuerunt, adeò ut craſſa Sabbathiſmi ſuperſtitione Iudæos penè ſuperent. S. 34.

48. Eo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

48. Eorum, quæ hactenus diſſeruimus, hæc ſumma ſit. Vti ſub figura Iudæis olim tradebatur veritas, ita nobis ſine umbris commendatur. 1. ut perpetuum tota vita ſabbathiſmum meditemur ab operibus noſtris, quo Dominus per Spiritũ ſuum in nobis operetur. 2. ut piâ operum Dei meditatione ſic, quoties vacat, privatim ſe quiſque exerceat, ut tamen legitimum Eccleſiæ ordinem obſervet, ſacros cœtus diligenter colat, & ſubſidiis ad fovendum Dei cultum neceſſariis operam det. 3. ut ſubditis quoque parcat, & remiſſionem à laboribus concedat. Sect. 34.

49. Quinti præcepti finis eſt, Quoniam Deo ſuæ diſpoſitionis conſervatio cordi eſt, ordinatos ab ipſo eminentiæ gradus oportere nobis eſſe inviolabiles. Summa igitur erit, ut quos nobis præfecit Deus, eos ſuſpiciamus, & honore, obedientiâ atque gratitudine proſequamur. Hinc ſequitur interdictum, ne quid eorum dignitati vel contemptu, vel contumaciâ, vel ingratitudine derogemus. Sect. 35.

50. Parentum meminit, quia his debita ſubjectio maxime eſt amabilis, & minime invidioſa ſuperioritas. Hanc in exemplar proponit, ut, cum ægre aliorum imperium patiamur, facilius animos inflectat, & aſſuefaciat ad omnem legitimam ſubjectionem: quia omnium eadem eſt ratio. In unum enim conveniunt Patris, Dei, ac Domini tituli. Quos ergo iſtorum facit participes, ſuo loco vult eſſe ſpectabiles. Neque intereſt digni an indigni ſint: qualeſcunque enim ſunt, non ſine providentiâ Dei in hunc locum pervenerunt. Et hoc reſpectu honorandi ſunt, quoniam Divinum titulum non ſine cauſa gerunt. Eſt tamen Parentum etiam peculiaris ratio; quia ad eorum reverentiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ipſa natura nos inſtituit. Vnde etiam liberos immorigeros interfici jubet Dominus Exod. 21. 17. Levit. 20. 9. Deut. 21. 18, 21. Sect. 35. 36.

51. Honoris vocabulo tria complectitur, reverentiam, obedientiam, gratitudinem, & quæcunque poſſumus officia. Reverentiæ contraria eſt contumelia & contemptus, Exod. 21. 17. Levit. 20. 9. Prov. 20. 20. Obedientiæ repugnat inobedientia & rebellio Deut. 21. 18. Eph. 6. 1. Col. 3. 20. Hujus tamen obſequii hæc eſto regula, ut non niſi in Domino obediamus, Eph. 6. 1. Nam loco Dei præſident, & quæ illis exhibetur ſubmiſſio, gradus eſſe debet ad ſuſcipiendū ſummum illum Patrem ac Dominum. Itaque ſi ad Legis tranſgreſſionem nos inſtigant, non amplius ut parentes & Domini, ſed ut extranei habendi ſunt, qui nos à Dei obedientiâ ſubducere conantur. Ad gratitudinem pertinet quod dicit Chriſtus, Matth. 15. 4. benefaciendum eſſe parentibus. Et Paulus 1. Tim. 5. 17. agens de remuneratione miniſtrorum. Sect. 35, 36, 38.

52. Addita promiſſio commendat hanc ſubmiſſionem, & torporem excitat. Vnde etiam mandatum hoc primum dicitur cum promiſſione, Eph. 6. 1. Col. 3. 20. Terræ Canaan facit mentionem, quia peculiariter Iſraëlitis loquitur. His autem iſtius terræ promiſſio facta erat. Proinde vitæ longitudinem pollicetur, per quam fiebat, ut diuturnum caperent iſtius beneficii fructum. S. 37.

53. Nec minus tamen ad nos hæc promiſſio ſpectat, tum quia tota terra fidelibus eſt benedicta, tum quia præſentis vitæ duratio adhuc manet benevolentiæ divinæ documentum. Quod ſi contingat filios morigeros antè juſtam ætatem mori, nihil promiſſioni decedit, quia morte uberius & ſolidius compenſatur. Sect. 37.

54. Promiſſio benedictionis, ſimul innuit certiſſimam filiis immorigeris debitam maledictionem. Ideò Lex de iſtis ſupplicium ſumi mandat. Quod Iudicium, ſiquidem effugiunt, ipſe tamen Deus ſuo tempore exequitur, ut videre eſt ex variis & inſolitis modis, quibus perire ſolent. Et ut ad ultimam ſenectutem veniant, quia tamen Dei benedictione carent, non ſolum miſere languent, ſed majoribus etiam in poſterum pœnis reſervantur. Sect. 38.

55. Sexti præcepti finis eſt; quoniam hominum genus unitate quadam Dominus devinxit, incolumitatem omnium unicuique debere eſſe commendatam. Sect. 39.

56. Summa eſt. I. Violentiam omnẽ, & quamvis noxam, qua proximi corpus læditur, nobis interdici. II. Contra mandari, ut quidquid à nobis proficiſci poteſt, ad tuendam proximi vitam, id fideliter impendamus, & procuremus, adeoque in periculis eum adjuvemus. III. Homicidium quoque cordis hac lege prohiberi, & contra præcipi affectum interiorem conſervandæ fratris vitæ. Neque enim Legiſlator corpori tantum, ſed & animæ regulam præſcribit. Itaque nec iraſci adverſus proximum, nec odiſſe poſſumus, quin hoc præceptum violemus Matt. 5. 21. 1. Iohan. 3. 15. Sect. 39. 40.

57. Ratio præcepti duplex. I. Quod proximus ſit imago Dei, quam utpote Sacroſanctam, violare non licet. II. Quod ſit caro noſtra. Ergo fovere eam debemus, niſi omnem humanitatem exuere velimus. Sect. 40.

58. Septimi præcepti finis eſt, quia pudicitiam & puritatem Deus amat, faceſſere à nobis omnem immunditiem oportere. Summa igitur erit. I. Vt

ne quâ ſpurcitiâ, aut libidinoſa intemperie carnis inquinemur. II. Vt caſtè & continenter, omnes vitæ noſtræ partes moderemur. III. Cum Deus totos nos poſſidere velit, non tantum corpore, ſed animo & ſpiritu nos caſtos eſſe debere. IV. Proinde, nec oculi in corruptos affectus laſciviant, nec corpus ad lenocinium excolatur, nec lingua ſpurcis ſermonibus mentem ad ſimiles cogitationes illiciat, nec gula ſua intemperie inflammet, &c. quia his veluti maculis Caſtitatis puritas conſpurcatur. Sect. 41. 44.

59. Scortationem autem nominatim vetat. 1. quia huc tendit omnis libido. 2. Vt illius fœditate, quæ craſſior eſt & palpabilior, corporique maculam inurit, in cujuſvis libidinis abominationem inducat. Sect. 41.

60. Ratio præcepti eſt, quod quælibet ſocietas extra conjugium, coram Deo maledicta ſit. Nam & per naturæ conditionem, (neque enim bonum eſt homini, eſſe ſolum Geneſ. 2. 18.) & accenſa poſt lapſum libidine, mulieris conſortio bis obnoxii ſumus, niſi quos ſingulari gratiâ Deus inde exemerit. Reliquis Dominus conjugium inſtituit cujus ſocietatem, ſua authoritate initam, ſua quoque benedictione ſanctificavit. Non poteſt ergo vir cum muliere, ſine Dei maledictione, extra conjugium copulari. Sect. 41. 42.

61. Qui virginitatem laudant, rectè faciunt. Sed quoniam aliis negata, aliis non niſi ad tempus conceſſa eſt, ſinguli videant, quid ſibi datum ſit, & ſuo ſe modulo metiantur. Tandiu quiſque à conjugio abſtineat, quamdiu erit ad ſervandum cœlibatum idoneus. Si domandæ libidini vires deficiunt, norit jam ſibi conjugii neceſſitatem à Domino impoſitam, cujus ordinationi non debet reſiſtere, 1.Cor.7.2,9. S.42.43. 62.Ob-

62. Objicitur quidem, nos Dei adjutos auxilio omnia poſſe. Reſp. I. Ita certè, quando in vocatione noſtra ambulamus Pſal. 91. 14. Ab hac ſe ſubducunt omnes, qui præteritis Dei ſubſidiis, neceſſitates ſuas ſuperare inani temeritate contendunt. II. Continentia peculiare Dei donum eſt, quod nec omnibus confertur, nec omnibus eſt promiſſum, Matth. 19. 12. 1. Cor. 7. 7. Aliquibus datur, quos Deus vult habere ad opus ſuum expeditiores. Quibus non eſt datum, non debent Deo & naturæ repugnare, ſed vitæ genus ad Dei voluntatem, & facultatis ſuæ modum accommodare. Sect. 42. 43.

63. Ac cœlibes quidem hoc unum agent, ut matrimonii vinculis ſoluti, ad omnia pietatis officia ſint paratiores, & promptiores: non autem ut carnis tranquillitati & commoditati conſulant. Tum verò cogitabunt, non ſatis eſſe, ſi mulierem non attingant, cum animus libidine intus ardeat. Cœlebs enim cogitat, quæ Domini ſunt, quomodo ſanctus ſit corpore & ſpiritu. 1. Cor. 7. 34. Et Paulus iis, qui uruntur, matrimonium mandat, 1. Corinth. 7. 9. Pudicitia ergo eſt conjuncta cum caſtitate corporis animi puritas. Sect. 43.

64. Conjuges autem cogitabunt ſuam ſocietatem à Deo eſſe benedictam: proinde non eſſe intemperata & diſſoluta libidine conſpurcandam. Matrimonium ſit velamentũ incontinentiæ, non irritamentum. Ideò vir uxorem ſobriè habeat, & viciſſim uxor virum, nec quidquam indignum honeſtate matrimonii admittant. Sect. 44.

65. Præcepti octavi finis eſt. Quoniam abominationi eſt Deo omnis injuſtitia, ut reddatur unicuique quod ſuum eſt. Summa igitur erit. I. Nos vetari rebus alienis inhiare. II. Iuberi ut

ſuis cuique bonis conſervandis fidelem operam impendamus. Sect. 45.

66. Ratio præcepti eſt, cum unicuique, quod poſſidet, ex ſupremi rerum omnium Domini diſpenſatione evenerit, non poſſe præverti malis artibus facultates cujuſquam, quin fraus divinæ diſpenſationi fiat. Sect. 45.

67. Furti nomine complectimur artes omnes, quibus proximorum poſſeſſiones & pecuniæ ad nos derivantur, ſive in violentiâ conſiſtant, ſive in malitioſa impoſtura. Atque huc referri poſſunt, quæ vel per ſpeciem juris, aut ſub donationis prætextu, aut per duras & inhumanas potentiorum Leges, aut per aſtutorum illecebras, longasque captiones, cum damno proximi habentur vel poſſidentur. Adde prodigorum ſtulta impendia, & facultatum diſſipationes, rei familiaris neglectum, avarorum inexplebiles cupiditates, & crudeles aliorum ſanguine expreſſas opes, familiæ & pauperum defraudationes, denique injurias omnes proximi bonis noxias & incommodas. Quæ etſi humanum judicium lateant, in Dei tamen cognitionem veniunt. Sect. 45. 46.

68. Rectè ergo præceptum hoc obſervabimus, I. ſi noſtra ſorte contenti, nullum niſi honeſtum & legitimum lucrum facere ſtudeamus. II. ſi omnes conſilio & ope in ſuis retinendis fideliter juvemus. III. Vbi cum perfidis & fallacibus negotium eſt, de jure noſtro potius aliquid cedere parati ſimus, quam cum illis contendere. IV. Si noſtra copia pauperum inopiam ſublevemus. V. Si quiſque, quod ex ſuæ vocationis munere aliis debet, exequatur, & bona fide perſolvat: nempe ut magiſtratus & ſubditi, paſtores & Eccleſiæ, parentes & liberi, heri & ſervi, ſenes & juniores, ſibi invi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

invicem officia præſtent, ad quæ ſunt obligati. VI. Deniq; non manibus tantum, ſed animis quoque hanc Legem ſtatui cogitabimus. Ideoque nobis aliorum commodis & utilitatibus tuendis & promovendis ſeriò ſtudendum eſſe. S. 46.

69. Præcepti noni finis eſt, quoniam Deus, (qui eſt veritas) mendacium execratur, veritatem inter nos ſine fuco eſſe alendam. Summa igitur erit, ne ulla aliqua falſitate, vel violemus alicujus nomen, vel in fortunis ipſum gravemus. Contra ut unicuique fidelem operam, quoad licet, in aſſerenda veritate commodemus, ad tuendam & nominis, & rerum proximi integritatem. Neque enim ſatis eſt non mentiri, ſed etiam illibatum fratri nomen conſervandum eſt, quantum per veritatem licet. Sect. 47. 48.

70. Ratio præcepti eſt. I. Quandoquidem quibuſlibet theſauris pretioſius eſt bonum nomen, nihilo minore noxa proximum nominis fama, quam fortunis ſpoliari. II. Quia certũ eſt famam proximi Deo curæ eſſe. Sect. 47. 48.

71. Teſtimonium aliud eſt ſolemne & judiciarium, aliud vulgare, quod in privatis ſermonibus fertur. Vtrumvis ſumas, nihil intereſt. Conſtat enim ex ſingulis vitiorũ generibus ſpeciem unam, in qua vitii turpitudo maxime eminet, paradigmatis loco proponi, ad quam cæterę referantur. S. 47.

72. Falſitatis membra duo. Aut enim malignitate & obtrectandi pravitate delinquimus in famam proximi; aut mentiendo, interdum etiam obloquendo, detrahimus eorum commodis: Quæ perjurio fiunt graviora. Sect. 47.

73. Ergo ſub falſo teſtimonio prohibentur, I. Omnia mendacia Exod. 23. 1, 7. II. Calumniæ & ſiniſtrę obtrectationes, Lev. 19. 16. III. Omnis

male-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

maledicentia, hoc eſt, odioſa criminatio, quæ ex malignitate & obtrectandi petulantiâ naſcitur. Nam juſta objurgatio, vel accuſatio, aut judiciaria denuntiatio, qua malo remedium quæritur, aut publica reprehenſio, aut eorum manifeſtatio, quorum ignorantiâ ſalus proximi periclitatur, à maledicentia longiſſime abſunt. IV. Scurrilis urbanitas, & facetiarum amarulentia. V. Audiendarum obtrectationum aviditas. VI. Suſpiciones & importuna propenſio ad ſiniſtra judicia. Denique tum rectè huic mandato obtemperabimus, quando æqui erga omnium dicta & facta interpretes, tum judicio, tum auribus, tum lingua ſalvum illis honorem candide ſervabimus. Sect. 48.

74. Decimi præcepti finis eſt, Quoniam totam animam dilectionis affectu poſſideri vult Deus, omnem adverſam charitati cupiditatem ex animis excutiendam. Summa igitur erit, ne ulla nobis cogitatio irrepat, aut animum commoveat concupiſcentia, in alterius detrimentum vergens. Contra, ut quidquid concipimus, deliberamus, volumus, meditamur, id cum proximi bono ſit conjunctum. Sect. 49.

75. Etſi autem qualibet prava cupiditate interdicere voluerit Dominus, ea tamen objecta in exemplum propoſuit, quæ falſa delectationis imagine nos ut plurimum capiunt, & circa quæ potiſſimum homines inſaniunt. Sect. 50.

76. Cæterum unicum eſſe hoc præceptum, res ipſa loquitur. Nec obſtat quod ſecundo repetitur (Non concupiſces): quia ubi domum poſuit, partes ejus poſt enumerat. porro Hebræi uno contextu legunt. Sect. 50.

77. Sed hic quæritur, cum prioribus præceptis nocendi fallendique conſilium Deus prohibuerit,

annon

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

annon decimum hoc ſupervacuum videri poſſit. Reſp. Diſtinguimus conſilium & concupiſcentiam. Conſilium eſt deliberata voluntatis conſenſio. Et de hac ſuperius dictum eſt. Cupiditas citra talem & deliberationem, & conſenſionem eſſe poteſt, quando videlicet animus perverſis objectis pungitur duntaxat, & titillatur. Ibi voluntatibus, ſtudiis, operibus, regulam charitatis præeſſe voluit. Nunc ad eandem animi conceptiones dirigi jubet, ne animum aliorſum exſtimulent. S. 49.

78. Ratio præcepti eſt; Quia æquum eſt omnes animæ potentias charitate occupari; à qua neceſſe eſt aberrent, quoties animum ſubeunt cogitationes fratri damnoſæ. Hoc enim aliunde non eſt, niſi quod neglecto illo ſibi uni ſtudent. S. 50.

79. Objiciet quiſpiam, non videri conſentaneum, ut Phantaſiæ pro concupiſcentiis damnentur; cum illæ temere volutentur in mente, harum verò ſedes ſit in corde. Reſp. Nos de illis Phantaſiis loqui, quæ dum mentibus obverſantur, ſimul animum cupiditate mordent, & feriunt. S. 50.

80. Concludimus talem hoc præcepto mandari dilectionis ardorem, quæ ne minima quidem cupiditate, aut levibus quantumvis concupiſcentiæ aculeis, ſollicitetur aut commoveatur. S. 50.

81. Hactenus breviter Decalogum explicuimus. Sed enim ſcopus ejus eſt juſtitiæ complementum, ut hominis vitam ad Divinæ puritatis exemplar formet, Deoque conjungat Deut. *6.5.* & 11.13. Idque patet ex Legis ſumma, quæ in amore Dei & proximi conſiſtit, Deut. 10.12. Primum caput eſt, ut Dei dilectione anima noſtra omni ex parte impleatur. Ex hac protinus fluet proximi dilectio. Quo ſenſu Paulus finem Legis ait eſſe charitatē ex conſcientia pura & fide nō ſimulata. 1. Tim. 1.15. Sect. 51.

82. Fal-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

82. Fallitur ergo ſi quis autumat rudimenta quædam, & velut tyrocinia juſtitiæ duntaxat in Lege tradi: in qua ſanè ad ſupremam ſanctitatis perfectionem nihil deſiderare queas. S. 51.

83. Solet hîc quæri, cum Lex pietatis erga Deum, & dilectionis erga proximum officia contineat, quid ſibi velit Chriſtus & Apoſtoli, quod in commemoranda Legis ſumma priorem tabulam prætermittant, Matth. 23.24. & 19.18. Nec aliter Prophetæ, qui cum de Legis obſervatione diſſerunt, plerumque inſiſtunt in ſecunda tabula. Reſp. His & ſimilibus locis agi de operibus illis, in quibus maximè perſpicitur juſtitiæ & integritatis ſtudium, & quibus homo debet ſe juſtum approbare. Nam prioris tabulæ obedientia aut in cordis affectu, aut in ceremoniis ſita eſt. Cordis affectus non apparet: ceremoniis hypocritæ aſſiduè incumbunt. At opera charitatis talia ſunt, ut ſolidam per ea juſtitiam teſtemur. Eodemque ſenſu Prophetæ timoris Dei ſeriam probationem à ſignis exigunt. Sect. 52.

84. Si quis inſtet, ſic pluris videri ad juſtitiæ ſummam, cum hominibus innocenter vivere, quam pietate Deum honorare. Reſp. minimè. Cur autem ſic loquatur Scriptura hæc cauſa eſt. I. quod nemo charitatem ſervat, niſi Deum ſerio timeat. Inde ergo approbatio pietatis rectè ſumitur. II. Quia officia beneficentiæ noſtrę ad Deum non pertingunt, non illa ſibi depoſcit, ſed ad proximum reſtringit. Atque hinc eſt quod tota ſanctorum perfectio, & Legis complementum in charitate toties collocatur, Rom. 13.8. Gal. 5.14. Matth. 7.12. Non quod inferiore loco ſubſideat fides, ſed quia hujus teſtandæ cauſa bonis operibus erga proximum exercemur. Sect. 53.

85. Cæte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

85. Cæterum in datâ ſecundæ tabulæ ſummâ illud mirum videri poſſit, quod de amore noſtri nihil ſtatuat. Reſp. Nos in amorem noſtri plus juſto totos ferri, adeoque modum excedere. Ideò Lege opus non fuit, quæ amorem illum magis inflammaret. Sect. 54.

86. Dices, Attamē jubemur amare proximum ſicut nos ipſos. Videtur ergo primas partes amori noſtri ipſius, ſecundas charitati aſſignare. Reſp. Nihil minus. Quin potius quem naturaliter amoris affectum ad nos plus nimio trahimus, Lex ad proximum transfert. Atque hoc ſenſu dicitur, 1. Corinth. 13. 5. charitatem non quærere quæ ſua ſunt. Sect. 54.

87. Inſtant Sophiſtæ. Regulatum ſemper eſſe inferius ſuâ regulâ. Reſp. Negamus amorem noſtri eſſe regulam, cui charitas erga alios ſubſit. Sed quia plus nimio nos amamus, docemur charitatem alio opertere diffundi, ut non minus parati ſimus benefacere proximo, quam nobis ipſis. Illud ergo fixum maneat, tum optimè ad Dei voluntatem, Legisque præſcriptum compoſitam fore vitam noſtram, cum non nobis, ſed fratribus omni ex parte fructuoſiſſima erit. Sect. 54.

88. Illud etiam expendi convenit, quid *Proximi* vocabulo intelligi debeat. Solvit autem hanc quæſtionem Chriſtus, quando in parabola Samaritani Luc. 10. 36. etiam alieniſſimum quemque iſta voce contineri aſſerit. Etſi enim, prout quiſque nobis vel cognationis, vel familiaritatis, vel viciniæ vinculis eſt conjunctiſſimus, eo familiarius eſt juvandus, & quidem ſine ulla Dei offenſione: Tamen amorem hunc ad univerſos homines diffundi vult Deus, ſine diſcrimine Græci aut Barbari, digni vel indigni, amici vel inimici. Ratio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tio eſt, quia in Deo, non in ſeipſis ſunt conſiderandi: Ideoque, quicunque tandem ſint, diligendi ſunt, quia diligitur Deus. Sect. 55.

89. Errarunt ergo Scholaſtici, qui ex præceptis de non appetenda vindicta, & diligendis inimicis, aliiſque ſimilibus, conſilia fecerunt Euangelica, quibus parere liberum eſſet, vel non parere, & quorum obedientiam ad Monachos, tanquam neceſſariam, relegarunt. Atqui I. Lex de diligendo proximo, Iudæis & Chriſtianis omnibus & ſingulis ex æquo & ſine ullo diſcrimine præcepta eſt, Rom. 13.9. II. Paſſim occurrunt mandata, quæ inimicorum dilectionem ab omnibus ſeveriſſime exigunt, Proverb. 25.21. Exod. 23.4. III. Mandatum de non ulciſcendo æternum eſt, nec aliquibus tantum, ſed omnibus præſcriptum: Levit. 19.18. Deut. 32.35. IV. Cum Chriſtus horum mandatorum iſtam aſſignet rationem, ut Filii ſitis Patris veſtri cœleſtis, liquet non eſſe exhortationem ſed præceptionem: niſi forſan, ſolis exceptis Monachis, reliquos fideles è numero Filiorum Dei expungere velint, & eodem jure ad Gentiles & Publicanos relegare, Mat. 5.46. V. Quum ſcortari aut furari Dominus vetat, non inimicum minus, quam amicum lædere prohibuit. Hæc autem duo ad dilectionis regulam Paulus revocat, Rom. 19.9. Ergo non amici tantum ſed & inimici ex præcepto diligendi ſunt. VI. Nemo veterum eſt, qui non tanquam de re certa pronunciet, hæc eſſe mera præcepta. Sect. 56. 57.

90. Excipiunt onerosa hæc nimium & gravia videri, præſertim Chriſtianis, qui ſunt ſub Lege gratiæ. Reſp. I. Gravius eſſe, Deum amare ex toto corde, & tota anima, & ex totis viribus, quod tamen omnibus præcipitur. II. Omnia noſtræ imbe-

imbecillitati difficilia ſunt, uſq; ad minimum apicem, niſi virtutem Deus det, qui jubet. III. Malè definiunt quid ſit eſſe ſub Lege gratiæ. Legem enim Paulus impropriè dixit. Itaque fruſtra in Legis nomine philoſophantur. Dicuntur autem Chriſtiani eſſe ſub Lege gratiæ, quia liberavit eos Chriſtus à maledictione Legis, & quia ejus Spiritu Legem habent inſcriptam in cordibus. Commune hoc omnibus eſt beneficium, ut communis ſit Legis obedientia. Sect. 57.

91. Ejuſdem rationis eſt, quod peccatum veniale nuncuparunt. Definiunt autem eſſe cupiditatem ſine deliberato aſſenſu, quæ non diu cordi inſideat. Atque huc referunt, tum occultam impietatem, quæ primæ tabulæ adverſatur, tum directam mandati decimi prævaricationem. Sed I. negamus talem cupiditatem poſſe animam ſubire, niſi quia vacuum eſt aliquid, ad ejuſmodi tentationes recipiendas. II. Niſi omnes animæ potentiæ in Dei amorem intenduntur, jam diſceſſum eſt à Legis obedientia, quæ Deum jubet amare ex toto corde, mente, anima, &c. III. Diximus in explicatione decimi præcepti, ubi nos aliquod animi deſiderium pupugit, jam præcepti reos teneri. Deus enim non tantum vetat deliberare & machinari malum, ſed etiam concupiſcentia ſtimulari, & æſtuare. Atqui Legis transgreſſioni maledictio incumbit. IV. Paulus ſtipendium peccati mortem vocat Rom. 6. 23. Nullum ergo eſt veniale. V. Hac ratione torpidæ conſcientiæ mulcentur, alioquin plus juſto proclives ad hypocriſin. VI. Chriſtus ait minimum fore in regno cœlorú, qui tranſgreſſus fuerit unum ex mandatis iſtis minimis, & ſic docuerit, Matt. 5. 19. Quo ergo loco cenſebimus, qui tranſgreſſionem Legis extenuant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ac ſi morte digna non eſſet? VII. Non tam videndum quid præcipiatur, quam quis ille ſit, qui præcipit, cujus authoritati & majeſtati qualicunque Legis tranſgreſſiuncula derogatur. VIII. Quidquid Legi contrarium eſt, peccatum eſt, & Deo diſplicet, quia eſt adverſus voluntatem Dei rebellio. At Deus inquit, *Anima quæ peccaverit morietur*. Ezech. 18. 20. Concludimus omne peccatum eſſe mortale. Interim ſanctorum delicta fatemur dici venialia, non ſuapte natura, ſed ex Dei miſericordia. Sect. 58. 59.

DISPVTATIO VI,

De Comparatione Legis & Euangelii.

Ex lib. 2. cap. 9. 10. 11.

1. DIximus per Legem, hoc eſt, eam religionis formam, quam Moſes tradidit, Chriſtum innotuiſſe Dei populo ad ſalutem. Neque enim fruſtra Deus olim per expiationes & ſacrificia voluit ſe Patrem teſtari, nec fruſtra populum electum ſibi conſecravit. Sed quod ibi obſcurius patefactum eſt, pleno fulgore fuit exhibitum in Euangelio. cap. 9. Sect. 1.

2. Euangelium hic accipimus, pro clara Myſterii Chriſti manifeſtatione. Etſi enim large ſumendo, comprehendit promiſſiones de peccatorum remiſſione, & reconciliatione, quæ etiam in Lege paſſim occurrunt, quo nomine à Paulo vocatur doctrina fidei, quæ terroribus conſcientiæ opponitur 1. Tim. 4. 6. tamen per excellentiam ſignificat claram promulgationẽ exhibitæ in Chriſto gratiæ: quo ſenſu accipitur, Matth. 4. 23. & 9. 35. Marc. 1. 1. 2. Tim. 1. 10. Cap. 9. Sect. 2.

3. Rem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

3. Rem ita ſe habere, ſic demonſtramus. I. Ex Malach. 4. 2. 4. Vbi ſic commendat Legem Moſis, ut tamen eos revocet ad Solem juſtitiæ, quem ipſis dicit aliquando exoriturum: nempe ut intelligant per Legem pios contineri in exſpectationem venturi Chriſti, cujus adventu plus lucis ſperandũ ſit. II. Ex 1. Petr. 1. 11. 12. quo loco ait, Prophetas non ſibi, ſed nobis miniſtraſſe, quæ nunc per Euangelium annuntiantur: non quod illis nihil profuerit, ſed quia nobis uberior gratiæ offertur fruitio, quam illi modice tantũ delibarunt. III. Ex Matth. 13. 16. Luc. 10. 23. quibus locis Chriſtus menſuram gratiæ, qua ſanctos Patres ſuperamus, commendat & extollit. Sic Hebr. 1. 1. patefactionem, quæ per Filium facta eſt, præfert variis & multis modis, quibus olim locutus eſt per Prophetas. Quo etiam pertinet, quod Deus nunc illuxerit cordibus noſtris, ad illuſtrandam notitiam gloriæ Dei in facie Chriſti 2. Cor. 4. 6. etſi enim in Veteri Teſtamento Chriſtus innotuerit antiquæ liberationis dux, tamẽ umbratilis tantum fuit ejus ſpecies: nunc verò in clara imagine, quodammodo ſe viſibilem fecit. IV. Ex 1. Tim. 1. 10. Hîc Chriſtus dicitur ſuo adventu, vitam & immortalitatem illuſtraſſe per Euangelium. Non quod Patres in tenebris mortis demerſi fuerint: nam eorum quoque cordibus promiſſiones fuerunt obſignatæ: ſed quia novo legationis genere facta eſt viva rerum promiſſarum exhibitio, quando Chriſtus omnes ſalutis noſtræ numeros in carne ſuâ implevit. Huc refer illud Chriſti Iohan. 1. 51. ubi præſtantiam adventus ſui commendat hac nota, quod januam cœlorum aperuerit. c. 2. S. 1. 2.

4. Huic ſententiæ non repugnat, quod Abraham dicitur vidiſſe diem Chriſti & gaudio exultaſſe.

Nam

Nam etſi rem veluti procul remotam ſit intuitus, nihil tamen ipſi ad bene ſperandi & gaudendi certitudinem defuit. cap. 9. Sect. 1.

5. Nec obſtat, quod Ioh. 1. 11. dicitur, neminem vidiſſe Deum, unigenitum filium nobis enarraſſe. Neque enim Patres excludit ab omni ſocietate lucis & intelligentiæ, quæ refulget in Chriſto, ſed dum illorum ſortem cum noſtra confert, illos dicit obſcurius ſub umbris eſſe ſpeculatos, quæ jam nobis ſunt evidentia. cap. 9. Sect. 2.

6. Ex his facile eſt colligere, quale ſit delirium Serveti, fingentis promiſſiones ſimul cum Lege finem accepiſſe, quia fide Euangelii nobis adfertur promiſſionum omnium complementum. At verò ſciendum I. Inter Chriſtũ & nos eſſe diſtinguendum. Ille quidem nihil reliquum fecit ex tota noſtræ ſalutis ſumma. Nos etiam poſſidemus in Chriſto, quidquid ad cœleſtis vitæ perfectioné ſpectat: nondum tamen omnibus beneficiis à Chriſto partis fruimur: ſalus enim noſtra in ſpe eſt abſcondita, Rom. 8. 24. & nondum patefactum eſt quod erimus 1. Ioh. 3. 2. per fidem enim ambulamus, & non per aſpectum. 2. Cor. 5. 7. Hîc offertur ſpiritualium bonorum plenitudo, quorum integra perceptio ad illam vitam pertinet. 2. Interea nobis in promiſſiones eſt recumbendum. Ideò Paulus pietatem commendat à promiſſione præſentis & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. 6. Qua ratione jactat etiam ſe Apoſtolum eſſe ſecundum promiſſionem vitæ, quæ in Chriſto eſt, 2. Tim. 1. 1. Et 2. Corin. 7. 1. admonet, nos eaſdem promiſſiones habere cum Patribus. Denique in eo beatitudinis ſummam ſtatuit, quod obſignati ſumus Spiritu promiſſionis Sancto, Epheſ. 1. 13. Nec aliter Chriſto jam fruimur, niſi quatenus eum amplectimur promiſſio-

nibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nibus ſuis veſtitum. Faceſſat igitur ſtulta iſthæc imaginatio. Id tantum teneamus, Euangelium digito monſtraſſe promiſſiones, quas Lex ſub typis adumbravit. cap. 9. Sect. 3.

7. Ex ſuperioribus etiam convincitur eorum error, qui Legem cum Euangelio non aliter conferunt, quam operum merita gratuitæ Iuſtitiæ opponuntur. Confundunt enim Legem, quatenus regula eſt bene vivendi, cum toto Moſis miniſterio, & forma religionis, quam ipſe tradidit. Priore ſignificatu, per veniam juſti cenſemur, quia nuſquam præceptorum Legis perfecta invenitur obſervatio. Ita Paulus aptè Iuſtitiam Legis & Euangelii opponit. Sed nos hic de tota Lege agimus, cui Euangelium ſucceſſit, non ut diverſam ſalutis rationem afferret, ſed potius ut corpus umbris adjungeret, & plenius, quod ibi promiſſum fuerat, manifeſtaret; quo ſenſu Paulus ait, Euangelium habere teſtimonium à Lege & Prophetis, Rom. 3. 21. & 16. 26. cap. 9. Sect. 4.

8. Cæterum, cum inter Legem & Euangelium interpoſitus fuerit Iohannes Baptiſta, quæritur, quo loco cenſendus ſit. Reſp. Medium obtinuiſſe munus, & utrique affine. Excelluit enim ſupra omnes priores Prophetas, nec tamen par fuit Apoſtolis, Matt. 11. 11. Vidit Chriſtum, & ſummam Euangelii protulit, quando ipſum eſſe agnum Dei pronuntiavit, eodemque baptiſmo uſus eſt. Ideo nihil obſtat, quo minus inter Euangelii præcones numeretur. Sed quia virtutem & gloriam, quæ demum enituit in Chriſti reſurrectione, nõ explicuit, & quod ipſe exorſus eſt, Apoſtolis complendum reliquit, ideo inferior Apoſtolis eſſe dicitur. Quod autem fuerit ejus munus, patet ex Iohan. 1. 23. Eſai. 40. 3. Malach. 4. 5. Ioh. 5. 35. cap. 9. S. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

9. Hac occaſione nobis de comparatione Legis & Euangelii, hoc eſt de convenientia & diſcrimine, Veteris atque Novi Teſtamenti diſſerendum eſt. Quam diſputationem nobis utiliſſimam, etiam neceſſariam fecerunt Servetus, & furioſi nonnulli Anabaptiſtæ, qui non aliter de populo Iſraëlitico ſentiunt, quam de aliquo porcorum grege, quem Dominus in hac terra ſaginaſſet, citra ullam ſpem cœleſtis immortalitatis. c. 10. S. 1.

10. Nos contra dicimus, fœdus, quod cum Patribus Dominus olim pepigit, licet adminiſtratione variet, tamen ſubſtantia & re, nihil à noſtro differre, ut unum prorſus & idem ſit, idque in tribus maxime capitibus. I. Iſraëlitas, non tantum ad carnalem opulentiam ac fœlicitatẽ, ſed ad ſpem immortalitatis fuiſſe cooptatos, ad quam aſpirarent. Et hujus rei fidem factam illis fuiſſe, tum Lege, tum Prophetiis. II. Fœdus, quo Deo fuerunt reconciliati, nullis eorum meritis, ſed ſola Dei vocantis miſericordiâ fuiſſe ſuffultum. III. Et ipſos habuiſſe & cognoviſſe Mediatorem Chriſtum. Secundum & tertium ex primo capite dependet. Et de his alias fuſe dictum eſt, & porro dicetur ſuo loco. De primo potiſſimum controverſiam nobis movent. Hoc ergo explicandum & demonſtrandum erit. cap. 10. Sect. 2.

11. I. In genere dubitationem omnem eximit Apoſtolus, quando dicit Euangelium Chriſti, ſuo tempore promulgatum, longe ante per Prophetas, in Scripturis Sacris fuiſſe promiſſum, Rom. 1. 2. & 3. 21. At Euangelium non detinet homines in lætitia vitæ præſentis, ſed ad ſpem immortalitatis evehit, Eph. 1. 13. Col. 1. 4. 2. Theſſ. 2. 14. Vnde & verbum ſalutis, & potentia ad ſalutem, & regnum cœlorum vocatur, Phil. 2. 16. Rom. 1. 16.

Matth.

Matth. 3.2. Hinc ſequitur etiam V. T. ad futuram vitam ſpectaſſe. cap. 10. Sect. 3.

12. Excipiunt, promiſſiones Euangelii novo populo fuiſſe deſtinatas. Reſp. 1. Negamus, ſi Patres excludant. Illud enim in genere verum manet, quod Rom. 3.19. dicitur, quæcunque Lex docet, ad eos dirigi, qui ſub Lege ſunt. Iam verò probatum eſt ſub veteri Lege promiſſiones Euangelii contineri. II. Eadem ratione ſequitur fœdus illud vetus non niſi miſericordia Dei conſtitiſſe, nec aliud fundamentum habuiſſe quam Chriſtum. Hiſce autem terminis Euangelica prædicatio continetur. Si jam Patribus adminiſtrata fuit juſtitiæ fidei doctrina, nihil eſt, cur à gratuitæ ſalutis beneficio alieni cenſeantur. Certè Abraham vidit diem Chriſti, & gaviſus eſt, Iohan. 8.56. Et fuit hoc fideli populo commune: Chriſtus enim manet heri, hodie, & in ſæcula, Hebr. 13.8. Eodemque ſenſu promiſſiones jurejurando factas Abrahæ, adventu Chriſti exhibitas fuiſſe teſtatur Zacharias Luc. 1.33, 54, 55, 72. c. 10. S. 3.4.

13. III. Nec fœderis tantum gratia, ſed & ſacramentorum ſignificatione pares nobis fuerunt Iſraëlitæ, prout Paulus diſputat, 1. Cor. 10.1.11. nobis ſcilicet peccantibus non minus quam illis metuendam eſſe vindictam, nec eſſe, cur ſacrorum ſignorum prærogativa nobis indulgeamus: quia & illi ſuum habuerint Baptiſmum, & ſuam Cœnam, quibus ſymbolis eandem ſuam gratiam Deus illuſtrem fecerit: nihilominus tamen ſeveriſſimè à Deo puniti ſunt. cap. 10. Sect. 5.

14. Excipitur, Baptiſmum illum fuiſſe carnalem, qui proportione noſtro reſpondeat. Reſp. 1. Falſum ſumi, ſi ſimpliciter accipiatur. 2. Sic non refutari, quod de eadem ſpirituali eſca & eodem

nobiſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nobiſcum potu ibidem dicitur. cap. 10. Sect. 5.

15. Inſtant adverſus datam reſponſionem ex Ioh. 6. 31. Patres, qui manducaverunt Manna in deſerto mortuos eſſe; ſed qui manducant carnem Chriſti, non mori in æternum. Ergo non habuiſſe Patres cibum ſpiritualem. Reſp. Paulum Chriſto non contradicere, quia diverſo reſpectu loquuntur Iudæi, cum quibus Chriſto res eſt, tantum ventris alimentum, non animæ cibum quærebant. In ipſo Manna nihil ſpirituale, ſed duntaxat carnalis famis remedium apprehendebant. Et tali miraculo Chriſti authoritatem approbari volebant. His Dominus ex ſenſu eorum occurrit, & præſtantiorem cibum à ſe jubet exſpectare, qui immortalitatem largiatur. Paulus vero, quod ſciret Manna non tantum ad ventris paſtum cœlitus depluiſſe, ſed potiſſimum, ut ſpiritualem cibum in Chriſto dandum figuraret, quod hîc præcipuum erat, maxime urget. cap. 10. Sect. 6.

16. IV. Ex V. T. hæc etiam argumenta producimus. Non eſt dubium, quin verbo Dei vitæ inſit efficacia: eſt enim ſemen incorruptibile manens in æternum, 1. Petr. 1. 23. Eſai. 40. 8. Quos ergo Deus ſpeciali participatione verbi ſui dignatur, eorum quoque animas vivificat: nam generalis illa, qua vivificat res omnes, pro cujuſque naturæ modo, nec tamen à corruptionis neceſſitate eruit, in cenſum hîc venire nequit: Atqui Adam, Abel, Noë, Abraham reliquique Patres hoc verbo edocti, & idem amplexi ſunt, ejuſque illuminatione Deo adhæſerunt. Ergo Dei & vitæ æternæ fuerunt participes. cap. 10. Sect. 7.

17. V. Formula fœderis duo continet, Ego ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populũ. Quibus verbis ſummam beatitatis comprehendi paſ-

ſim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſim teſtantur Prophetæ, Pſal. 144. 15. Pſal. 33. 12. idque non terrenæ duntaxat fœlicitatis, ſed æternæ maximè miſericordiæ reſpectu, qua ſuos conſervat, & à morte eripit, Hab. 1. 12. Eſ. 33. 21. Deut. 33. 29. Iam facies ejus cum illuxit, certum eſt ſalutis pignus. Nec aliâ conditione Deus noſter eſt, quam ut in medio noſtri habitet, Levit. 26. 11. 12. At talis præſentia eſſe nequit, ut non ſimul vita poſſideatur. Nec ſolis utique corporibus Deus eſt, ſed animis præcipuè, & quidem per juſtitiam Deo conjunctis: hæc autem conjunctio perpetuam ſalutem ſecum ducit. c. 10. S. 8.

18. VI. Atque huc facit quod non de tempore præſenti tantum loquitur, ſed in futurum quoque & in æternum promiſſiones ſuas extendit: ait enim, Ero Deus ſeminis veſtri poſt vos Gen. 17. 7. Nempe quo benevolentiam ſuam erga mortuos declaret, promittit fore ut ipſorum quoque poſteris benefaciat, & quidem in mille generationes, Exod. 20. 6. Si cauſa parentum defunctorum in poſteros benevolus eſt, certè multò minus favere deſinit ipſis parētibus, cum ejus beneficentia nulla morte impediatur. Quo argumento ſe Deum Abrahami, Iſaaci, & Iacobi, longè poſt ipſorum mortem profitetur, Exod. 3. 6. quæ appellatio ridicula foret, ſi quidem jam periiſſent. Ideo Chriſtus hinc evidentiſſimè demonſtrat, Patres illos vivere Deo, & reſurrecturos, Luc. 20. 32. Matth. 22. 23. Quod Moſes olim dixerat, omnes ſanctos eſſe in manu Dei, Deut. 33. 3. Et tantum ſemper valuit hoc argumentum inter pios, quod Deus nunquam ſuis eſſet defuturus, ut ſe eo non in præſentibus tantum malis, ſed in poſterum etiam ſolati ſint. c. 10. S. 9.

19. VII. Quod vero meliorem vitam Patres

neglectâ terrena quæſiverint, ex divinitus impoſita conditione, qua hîc vixerunt, luce clarius apparet. Perluſtremus enim Adami, Abelis, Noë, Abrahami, Iſaaci, & Iacobi vitam, quid in eâ potiſſimum reperies, niſi perpetuam variorum laborum & calamitatum congeriem atque ſequelam? quin ne præſentibus quidem bonis ſine malorum ſenſu fruuntur; & licet è pluribus tempeſtatibus proſpere emerſerint, minimè tamen beatam agere vitam dicemus, qui tanto temporis ſpatio per infinitas primum difficultates eluctantur. Iacobus ſanè dies ſuos breves ac malos fuiſſe ſuper terram aſſeverat. Negat ergo ſe carnalem proſperitaté ſenſiſſe, cujus terminis iſti fanatici omnem V. T. beatitatem concludunt. Nihil porrò abſurdius, quam Abrahamum patrem omnium credentium à filiorum Dei numero excludere. Alias ergo ſpes, & non in terrenis rebus defixas Patres habuerunt. c. 10. S. 10, 11, 12.

20. VIII. Id verò luculentiſſimè teſtatur Apoſtolus ad Hebræos cap. 11. Et eo, quod ſe peregrinos in terra profiterentur, evincit aliam ſanè civitatem & patriam, nempe cœleſtem quæſiviſſe & exſpectaſſe. Præterquam enim, quod ſepulchrũ ibi habuerunt, & in terrâ Canaan ſepeliri voluerunt, vix pedẽ alioquin ibidem ſibi acquiſiverunt, ne illud quidem facturi, niſi promiſſionis fructum etiam poſt mortem ratum fore credidiſſent; pro ſe autem ad Canaan illam cœleſtem aſpiraſſent, in quâ promiſſionum, quarum in terris nulla ſpes apparebat, complementum alacriter ſectati ſunt. cap. 10. S. 13,

21. IX. Nec alio reſpexit Iacobus, cum tantopere primogenituram affectavit, quæ eum in exilium detruſit, niſi quod altiorem benedictionem

ſpecta-

ſpectaret. quod verò moriens aſſerit, ſe ſalutare Domini exſpectare, Gen. 49. 18. unde exiſtere potuit, niſi quod in ipſa morte novæ vitæ initium cernebat? Ejuſdem generis eſt, quod Balaam, quanquam impius, deſiderat mori morte juſtorum, Num. 23. 10. nempe quia ſemper verum fuit illud Davidis, precioſam eſſe mortem juſtorum in conſpectu Domini, mortem vero impiorum peſſimam, Pſal. 116. 15. Pſal. 34. 21. 22. Equidem diſcrimen hoc notari nihil attineret, ſi pios & impios non diverſa ſors poſt mortem maneret. c. 10. S. 14.

22. X. In eodem numero Moſen collocat Apoſtolus Hebr. 11. quanquam enim carnales benedictiones ſæpius prædicat, ſatis tamen perſpicuè ſpirituale fœdus inculcat, ut falſum ſit, ipſum non niſi terrenarum rerum copiâ populum carnalem ad Deum colendum induxiſſe. c.10. S.15.

23. XI. Nec David ad alium ſcopum quam ad vitam æternam & regnum Chriſti omnia ſua dirigit. Nam 1. ſæpius vanitatem & brevitatem hujus vitæ confeſſus, in ſolo Deo, ejusque æternitate, cum quâ ſalus fidelium conjuncta eſt, ſpem & rationes ſuas omnes ponit, Pſ. 39. 13. & 103. 17. & 102. 26, 27, 28, 29. Cui concinit dictum Eſaiæ c. 51. 6. 2. Quoties vero de fidelium proſpero ſucceſſu canit, ad cœleſtis gloriæ manifeſtationem oculos attollit, Pſalm. 97. 10. & 112. 6, 7, 9. & 140. 14. & 34. 23. 3. In rebus adverſis dum impietas floret, pii contra paupertate, contemptu, omnique crucis genere premuntur, non tantum ad ultimum Dei judicium, quo impii tandem ſunt puniendi, aſſurgit, ut Pſal. 73. 7. Pſal. 55. 23. 24. & 49. 7, 8. ſed in æterna filiorum Dei beatitate ſecurus acquieſcit, ſerioque triumphat, Pſ. 17. 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

& 52. 10. & 92. 13, 14, 15. Nec aliud fere miſeriarum ſolatium, aut tolerantiæ remedium paſſim uſurpat, quam afflictiones hujus vitæ eſſe momentaneas, perditis impiis regnum piorum erigi, miſericordiam Dei durare in æternum, memoriam & mortem ſanctorum pretioſam eſſe coram Deo: contra fœlicitatem impiorum eſſe merum exitium & viam ad mortis imaginem, Pſal. 30.6. & 116.15. & 34. 22. & 69. 29. cap. 10. S. 15, 16, 17, 18.

24. XII. Eſt etiam præ aliis nobiliſſima Iobi ſententia. Scio meum redemptorem vivere, & me noviſſimo die de terrâ reſurrecturum, in carne meâ videbo Deum, ſalutare meum, repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo. Item, etſi me occiderit, in ipſo tamen ſperabo, Iob. 19.25. & 13. 15. Tantam enim ſpem, quam nec ſepulchrum nec mors abſcinderet, animo concipere non poterat, niſi oculos in reſurrectionem & futuram immortalitatem ſuſtuliſſet. c. 10. S. 19.

25. Excipiunt, paucorum eas fuiſſe voces, unde tamen non probetur, communem hanc inter Iudæos fuiſſe doctrinam. Reſp. Paucos iſtos à Spiritu S. conſtitutos fuiſſe plebis doctores, ut quæ communiter tenenda eſſent myſteria, & popularis religionis principia palam in Iudæorum Eccleſiâ promulgarent. Cum ergò de ſpirituali vitâ tam clarè diſſeruerint, falſum eſt eos populum ad carnale duntaxat fœdus ablegaſſe. c. 10. S. 19.

26. XIII. Eandem cauſam Prophetæ, qui poſt ſequuti ſunt, multò adhuc evidentiùs comprobant. Quò enim propius ad plenam Meſſiæ exhibitionem accedebant, eò majore lucis fulgore illuſtrabantur. Cum autem infinita ſint illorum ſuffragia, hæc duo ſufficient. 1. Quoties fidelium

beati-

beatitudinem commemorant, cujus tamen vix minima veſtigia in præſenti vitâ cernuntur, ad hanc diſtinctionem confugiendum nobis eſſe, Prophetas Dei bonitatem temporariis beneficiis populo adumbraſſe, talem tamen ejus pinxiſſe effigiem, quæ mentes extra periturum hoc ſæculum raperet, & ad quærendam futuræ ac ſpiritualis vitæ fœlicitatem neceſſariò excitaret. Incredibilis videri poterat reſtitutio populi ex diſſipatione Babylonicâ, quæ morti erat ſimillima: Deus Ezechieli per viſionem oſtendit, quomodo aridis oſſibus ſola verbi ſui virtute, ſpiritum vigoremque momento poſſet reddere. Ita non tantum Iudæorum corrigit incredulitatem; ſed etiam commonefacit, quantum ultra populi reductionem virtus Domini protenderetur. Eodem pertinent dicta, Eſ. 26. 19. 2. Aliis verò locis Prophetæ ſine ullo integumento futuram immortalitatem demonſtrant, ut Eſ. 66. 22. Dan. 12. 1. Hic enim communem omnium hominum reſurrectionem, & æternam tum impiorum pœnam, tum Filiorum Dei gloriam & ſalutẽ deſcribunt. c. 10. S. 20, 21, 22.

27. XIV. Non aliud regnum cœlorum hodie promittit ſuis Dominus, quam ubi recumbant cum Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo, Matth. 8. 11. Petrus aſſerit Iudæos ſui ſæculi hæredes eſſe gratiæ Euangelicæ, eò quod Filii ſint Prophetarum, & eodem fœdere comprehenſi, Actor. 3. 25. Quo die Chriſtus reſurrexit, multos ſanctorum reſurrectionis ſuæ conſortio dignatus eſt, Matt. 27. 52. Fideles Iudæi eodem Spiritu (qui arrhabo eſt hæreditatis noſtræ) præditi fuerunt, Act. 15. 8. Ejuſdem ergo regni, & gratiæ & fœderis, & reſurrectionis, & Spiritus, quo in vitam æternam regeneramur, nobiſcum conſortes fuerunt. Quomodo

ergò ipſis vitæ hæreditatem adimere audeamus? cap. 10. S. 23.

28. XV. Ex quibus omnibus porro conſequitur, ſtupidiſſimos fuiſſe Saducæos, qui reſurrectionem & animarum ſubſtantiam negarunt: & prodigioſam eſſe ſtoliditatem Iudæorum noſtri ſæculi, qui terreſtre Chriſti regnum exſpectant. Hanc autem meram eſſe amentiam, & juſtam Euangelii repudiati pœnam omnes fatentur. Quod in his damnamus, in fanaticis illis, quos refutamꝰ, probare certè nequaquam poſſumus. c. 10. S. 23.

29. Concludimus inſanam & pernitioſam eſſe hanc opinionem, aut Dominum nihil aliud propoſuiſſe Iudæis, aut illos nihil aliud quæſiviſſe, præter ventris ſaturitatem, carnis delitias, florentes opes, externam potentiam, liberorum fœcunditatem, & quidquid animalis homo habet in pretio. Et hæc de primo illo capite dicta ſufficiant. cap. 10. S. 23.

30. Hactenus de ſimilitudine V. & N. T. diximus. Sequitur, ut etiam differentias monſtremus, quæ tamen ad modum adminiſtrationis magis, quam ad ſubſtantiam pertinent, & unitati jam conſtitutæ nihil derogant. Eædem enim utrobiq; manent promiſſiones, & earum idem fundamentum, Chriſtus. Sed ratione diſpenſationis differũt, idq; in his potiſſimum quinq; capitibus. c. 11. S. 1.

31. I. Differentia eſt quod olim cœleſtis hæreditas, ſub beneficiis terrenis contemplanda, & quodammodo deguſtanda, fuit exhibita: At nunc revelatâ Euangelii gratiâ ad ejus meditationem rectà mentes noſtræ diriguntur. Quo pertinet ſimilitudo, qua utitur Paulus Galat. 4. Eadem enim illis, quæ nobis, deſtinata fuit hæreditas. Sed cum eſſent adhuc pueri, ejus adeundæ & tractandæ per

ætatem

ætatem capaces nondum erant. Ideo ſpirituales promiſſiones, non nudas, & apertas, ſed terrenis quodammodo adumbratas, ſpectarũt. c. 11. S. 1. 2.

32. Qui à nobis diſſentiunt, urgent promiſſiones terræ Canaan & pœnam expulſionis ex eadem terra, quaſi huc benedictionum & maledictionũ, quas Moſes denuntiavit, ſumma rediret: Itaque poſſeſſionem terræ Canaan Iſraëlitis pro ſumma atque ultima beatitudine habitam fuiſſe. nec ſuâ ſed noſtrâ causâ à cæteris populis fuiſſe ſegregatos, ut imaginem ſeu figuram haberent Chriſtiani, in cujus externa ſpecie rerum ſpiritualium documenta cernerent. At imperitè hæc ab illis dicuntur. Terrena enim beneficia eo fine dabantur, ut ad ſpem cœleſtium quaſi manu ducerentur. Neq; terra Canaan in hæreditatem Patribus promiſſa fuit, ut in eâ ſpes ſuas terminarent. Ideò majori promiſſione mentem Abrahami Deus erigit, dicens. Ego protector tuus & merces magna valde, Gen. 15. 1. Iubetur ergo in Deo mercedis ſuæ finem quærere. Additur tamen terræ promiſſio, tanquam cœleſtis hęreditatis typus. Nec alium Sanctis fuiſſe ſenſum, hinc patet, quod Deum ſpem & portionẽ ſuam eſſe paſſim teſtantur, Pſ. 73. 26. & 84. 3. & 16. 5. & 142. 6. Quâ ratione intelligendæ ſunt ſententiæ, quæ hæreditatem piorum, & fœlicitatem Ieroſolymæ tam magnificè prædicant, non ſanè illius terreſtris, cui propriè non conveniunt, ſed cœleſtis, in quâ benedictionem & vitam Deus mandavit in æternum, Pſal. 133. 3. Atque eadem ratio eſt, cur mortalem vitam Patres tanti fecerint, non quod eam, velut curſus ſui metam per ſe conſiderarent, ſed quia gratiæ Dei teſtimonia hîc impreſſa recognoſcebant. Idem reſpondemus de pœnis corporeis, quæ totidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

erant mortis ſpiritualis, & juſti in reprobos judicii documenta. c. 11. S. 1, 2, 3.

33. Hanc præmiorum & pœnarum analogiam, imperiti non expendunt, quando Deum audiunt in V. T. ad vindicanda delicta olim fuiſſe ſubitum & ſævum, nunc verò mitius nobiſcum agere, ita ut parum abſint, quin cum Manichæis duos Deos imaginentur. Fons erroris eſt, quod diverſam Dei diſpenſationem ratione V. & N. Teſt. non ſatis rectè intelligunt. c. 11. S. 3.

34. II. Differentia conſtat ex figuris, quæ in V. T. pro veritate & corpore umbram tantum oſtentabant. At Novum T. præſentem veritatem & corpus ſolidum exhibet. Probamus. 1. Ex diſputatione Pauli ad Hebræos, quæ fuſam hujus rei tractationem continet. Confert autem legale fœdus cum fœdere Euangelico. Si ad promiſſionum ſubſtantiam reſpiceret, magnum inter duo Teſtamenta diſſidium poneret. Atqui fœdus unum & æternum paſſim ſtatuit, cujus complementum Chriſtus ſit. Hujus confirmatio dum exſpectatur, placuit Deo per Moſen ceremonias ordinare, quæ eſſent velut ſolennia confirmationis ſymbola. Vetus enim Teſtamentum vocat, ſolennem confirmandi fœderis rationem, cæremoniis & ſacrificiis involutam. Illud jam in contentionem veniebat, an Chriſto exhibito ceremonias oporteret cedere. Affirmat Paulus. 1. quia ſacerdotium Veteris T. fuerit temporarium, & umbratilis cæremoniarum obſervatio inefficax, quæ externas quidem juſtitias carnis habuerit, ſed ad perfectionem adducere nihil potuerit. 2. Quia Chriſti ſacerdotium ſit æternum, & juramento ſtabilitum, fœdus itidem æternum, & firmâ ac ſubſtantiali confirmatione ſubnixum. Vnde etiam N. T. vocatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

catur in ſanguine ejus, Matth. 26. 28. quia tum verè Dei Teſtamento ſua conſtitit veritas, quando ſanguine Chriſti fuit obſignatum. Vnde ſequitur prius illud fœdus, ratione ſuæ diſpenſationis, antiquari & aboleri debuiſſe, Hebr. 7. 11. 19. & 9. 9. & 10. 1. II. Eodem ſenſu Paulus dicit, Gal. 4. 1. Iudæos fuiſſe hæredes; ſed propter pueritiam, ſub cuſtodià Legis, tanquam pædagogia, habitos. Ita verô notat obſcuriorem verbi diſpenſationem, & intelligentiæ tenuitatem, quam externis obſervatiunculis, velut regulis diſciplinæ puerilis, Dominus voluerit exercere, donec Chriſtus Sol juſtitiæ affulgeret, cujus revelationi fulgor ille & intelligendi perſpicacia conveniebat. III. Nec aliter Chriſtus dicit, Matth. 11. 13. Legem & Prophetas fuiſſe uſque ad Ioannem, ex eo regnum Dei euangelizari. Innuit enim tunc quidem Deum præbuiſſe guſtum iſtius ſapientiæ, quæ nunc ad liquidum nobis eſt manifeſtata. c. 11. S. 4. 5.

35. Nec obſtat, quod Abraham tanta fidei præſtantia, aliique Prophetæ eâ vi Spiritus excelluerunt, ut pauci Chriſtiani cum illis ſint conferendi. Nam 1. Non quæritur, quid peculiariter & paucis Deus contulerit; ſed quæ fuerit ordinaria verbi diſpenſatio in V. T. Hanc autem conſtat obſcuram, & typis incluſam fuiſſe. 2. Etſi mirificam habuerint notitiam, tamen ad communem populi pædagogiam ſubmittere ſe neceſſe habuerunt. 3. Eadem ipſa notitia, ſui ſæculi obſcuritatem reſipuit, teſte Chriſto, Matth. 13. 17. Luc. 10. 24. Vide etiam 1 Petr. 1. 12. c. 11. S. 6.

36. III. Differentia petitur ex Ierem. 31. 31. & 2 Corinth. 3. 6. quibus locis comparatio inſtituitur, inter vetus & novum fœdus, itemque Legem & Euangelium. Etſi verò Paulus propter ad-

verſarios odioſius, & ex eorum ſenſu de Lege loquatur, eodem tamen cum Ieremia tendit. Notandum autem, quod uterque nihil in Lege conſiderat, niſi quod ejus proprium eſt, qua ſcilicet præcepta continet pœnis ſancita, quæ tamen cordis pravitatem non immutent, aut emendent. In hanc enim Legis rationem non veniunt gratuitæ promiſſiones aliunde aſcitæ. Hoc reſpectu Apoſtolus Legem vocat literalem, ſcriptam in tabulis lapideis, mortis & damnationis prædicationem, tandem denique quoad cæremonias evacuandam. Contra Euangelium dicit eſſe ſpiritualem doctrinam, inſculptam cordibus, vitæ & juſtitiæ prædicationem, cujus firma & perpetua ſit ſtabilitas. cap. 11. S. 7. 8.

37. Si quis inſtet, apud Ieremiam etiam Leges morales vocari infirmum & fragile fœdus. Reſp. Nempe quatenus ingrati populi culpâ fuit violatum. In ipſum ergò teſtamentum propriè non competit. Porro cæremoniæ cauſam infirmitatis quoque in ſe habuerunt. Quæ vero de literâ & Spiritu Paulus diſſerit, non ita ſunt accipienda, quaſi nullo cum fructu Iudæis lex data fuiſſet, ita ut nemo ad Deum converſus ſit. Sed comparatè loquitur, reſpectu multitudinis eorum, quos Euangelii prædicatio regenuit, præ quibus alii pauciſſimi, ac pœnè nulli eſſe videntur. c. 11. S. 8.

38. IV. Quarta differentia ex ſuperiore oritur. Nam vetus ſervitutis, Novum libertatis vocatur Teſtamentum. Et illi Spiritus timoris, huic Spiritus adoptionis & clamoris filialis aſſignatur, Roman. 8. 13. Quæ comparatio plenius explicatur, Galat. 4. 22. Atque huc pertinent, quæ dicuntur, Hebr. 12. 8. Summa eſt, Vetus Teſtamentum pavorem ac trepidationem incuſſiſſe, &

jugo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

jugo ſervitutis aſtrinxiſſe: Novi beneficio lætitiam & libertatem dari. c. 11. S. 9.

39. Contra regeritur, ſi Patres eodem ſpiritu fidei nobiſcum præditi fuerunt, ejuſdem quoque lætitiæ & libertatis fuiſſe participes. Reſp. 1. Neutrum Legis; ſed Euangelii fuiſſe fructum. Illud intereſſe, quod nos eundem fructum ſine Legis miniſterio conſequimur. 2. Negamus etiam, tum, cum Spiritu libertatis & lætitiæ donati fuerunt, non expertos fuiſſe aliquâ ex parte timorem à Lege & ſervitutem, quia ſub eadem obſervationum pædagogia erant cum vulgo, quæ ſervitutis erant ſymbola, & peccati chirographa. c. 11. S. 9.

40. Ex quatuor his differentiis, tres poſteriores ſunt Legis & Euangelii, ſive V. & N.T. comparationes; prima quoq; promiſſiones ante Legem editas cõprehendit. Nec diſſentit à nobis Auguſtinus. Ejuſdem enim benedictionis credentes ab exordio mundi, nobiſcum participes fuiſſe contendit. Hoc intereſt, quod locis allegatis, nos inter Euangelii claritatem, & obſcuriorem Legis diſpenſationem diſtinguimus: Ille ſimpliciter Legis imbecillitaté ſecernit ab Euangelii firmitudine. c. 11. S. 10.

41. Ex quibus omnibus colligimus, Patres non ita vixiſſe ſub V. T. ut illic reſtiterint; ſed ad novum fœdus ſemper aſpiraſſe, ejusque communionem amplexos eſſe. Satis enim ſciebant, Deum frigidis ceremoniis, quæ extra Chriſtum fiunt, non delectari. c. 11. S. 10.

42. V. Differentia conſiſtit in gentis Iudaicæ electione, & ſegregatione ab omnibus aliis populis, Deut. 32.8. & 10. 14. Illum enim populum ſolum ſui nominis cognitione, fœderatione, præſentiâ ſui numinis, reliquisque prærogativis, maximè verbi ſui communione dignatus eſt, ſibique devinxit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

devinxit. Intereà gentes alias ambulare permiſit in ſuâ vanitate, Act. 14. 16. At ubi venit plenitudo temporis, dirutâ materiâ, pacem Deus juſſit annuntiari omnibus, tam iis qui procul, quàm qui prope erant, ſine ullo nationum diſcrimine, Eph. 2. 14. Gal. 6. 15. c. 11. S. 11.

43. Gentium igitur vocatio inſignis eſt teſſera, quâ ſupra Vetus Teſtamentum, Novi excellentia illuſtratur. Et Prophetæ quidem clariſſimis oraculis de eâ teſtati fuerant; ſed complementum in regnum Meſſiæ rejecerant. Ac ne Chriſtus quidem, ejus propriè initium fecit, niſi poſtquam finito humiliationis tempore regni cœleſtis poſſeſſionem adiit, Philip. 2. 9. Matth. 15. 24. & 10. 5. Tam vero nova & inſolens Apoſtolis res viſa eſt, ut non niſi trepidè & cum recuſatione eandem aggreſſi ſint. c. 11. S. 12.

44. Si forte quis objiciat, nonnullos ex gentibus olim vocatos fuiſſe, facilis eſt ſolutio. Nam 1. pauciſſimi vocabantur. 2. In familiam Abrahæ inſerebantur, atque hoc nomine, in populo Dei cenſebantur. 3. Nunquam æquales fuerunt Iudæis. Sed poſtquam patefactum eſt Euangelium, non modo Iudæis fuerunt æquati; ſed velut in demortuorum locum aſciti. Ideo non abs re Paulus hoc myſterium tantopere prædicat abſconditum à ſæculis & ipſis angelis mirabile. c. 11. S. 12.

45. Hactenus differentias V. & N. T. breviter recenſuimus. Sed quibuſdam tanta varietas adminiſtrationis diſplicet. Cum enim Deus perpetuò ſibi conſtet, non videri conſentaneum, ut quod ſemel juſſit & commendavit, poſteà rurſus improbet. Reſp. Non eſſe mutabilem Deum, etſi diverſis ſæculis diverſas formas accommodet, prout cuiq; novit expedire. Sic agricola familiæ ſuæ, alia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

hyeme, alia æſtate præſcribit officia, idque ex recta agriculturæ regula. Aliter quoque liberos ſuos pater in pueritia, aliter in adoleſcentia aut juventute erudit, regit, & tractat, ſine ulla levitatis notâ. Atqui Iudæos pueris ſimiles facit Paulus, Chriſtianos adoleſcentibus. Illos Deus in rudimentis detinuit, hos viriliori diſciplinâ inſtituit. Omnibus, quoad ſubſtantiam, eandem doctrinam tradidit. Formam verò & modum Deus immutabilis, ſecundum temporum diverſitatem, hominum vario captui attemperavit. c. 11. S. 13.

46. Quærat aliquis, annon Deus ab initio eâdem ratione Iudæos docere & regere potuerit, atque nunc Chriſtianis gratiam ſuam diſpenſat? Reſp. Deum ſic agere quia voluit, nec tamen niſi ſapienter & juſtè, cujus conſilii ſemper juſtas habet rationes, etſi nos lateant: quo caſu tamen minimè cum Deo eſt litigandum, nihilo magis, quam ſi roges, cur non citius crearit mundum, aut quare temporum alternas vices eſſe voluerit. c. 11. S. 14.

47. Inſtant, mirum eſſe, quod totum illum Levitici ſacerdotii apparatum, nunc reſpuat & abominetur, quo olim delectabatur. Reſp. 1. Deum externis illis rebus per ſe non affici. 2. Non etiam ſui cauſa, ſed pro hominum ſalute iſthæc omnia diſpenſare. 3. Habuiſſe in curandis hominibus variæ ætatis rationem. Sicut & medicus aliter juvenem, aliter ſenem curat, neutram tamen curandi rationem repudiat. Ita & Chriſtum aliis ſignis abſentem figurari, aliis exhibitum repræſentari oportuit. c. 11. S. 14.

48. Nonnullis quoque videtur inconveniens, Dei vocationem jam latius eſſe ſparſam, & gratias Spiritus largius effuſas, quam fuerint ante Chriſti adventum. Reſp. Æquum eſſe, ut libera gratiarum

diſpenſatio in manu & arbitrio Dei conſiſtat. Vocat ergo per verbi prædicationem, quos & quando vult, & talem, ac tantum doctrinæ profectum largitur, qualem & quantum vult: denique nominis ſui notitiam, quibus vult ſæculis, aufert è mundo propter ipſius ingratitudinem, & quando iterum vult, propter miſericordiam reſtituit. Meræ ergò ſunt calumniæ, quibus hac in parte, vel Dei juſtitia, vel Scripturæ fides in dubium vocari ſolet. c. 11. S. 14.

DISPVTATIO VII,

De duabus in Chriſto naturis & unitate Perſonæ.

Ex lib. 2. cap. 12. 13. 14.

Satis ſuperque fuit demonſtratum, hominem per peccatum à Deo alienatum, non potuiſſe rurſus conjungi cum Deo niſi per Mediatorem. Porro quis ille ſit, & quod ejus officium, in conſiderationem venit. Ad primum pertinet, tum duarum in Chriſto naturarum, tum perſonæ cognitio.

1. PRincipio illud firmiter tenendum eſt, noſtra interfuiſſe, ut futurus Mediator, ſimul verus, & Deus eſſet, & homo, neceſſitate non abſoluta, ſed quæ manavit ex cœleſti decreto, unde etiam ſalus noſtra pendet. c. 12. S. 1.

2. Deum eſſe oportuiſſe, & quidem nobis arctiſſime conjunctum, ſic oſtendimus. I. Nemo pacis reſtituendæ interpres eſſe potuit, niſi qui ad Deum pertingere poſſet. Atqui homines ad Dei conſpectum horreſcunt. Et ipſi Angeli opus habent capite, cujus nexu Deo cohæreant. Proinde neceſſum erat, ut ipſa Dei Majeſtas ad nos deſcenderet, & quidem in Filio ſuo. II. Ideo etiam

Imma-

Immanuel, Deus nobiſcum, vocatur, Eſ. 7. propter mutuam ſcilicet coalitionem divinæ & humanæ naturæ, ut & vicinitas ſatis eſſet propinqua, & affinitas ſatis firma, & ſpes noſtra certa foret, Deum nobiſcum habitare. III. Si ne integer quidem homo ſine Mediatore ad Deum potuit penetrare, multò minus jam corruptus, & in mortem atq; maledictionem demerſus. Sed ne quis ſe torqueat, ubinam Mediator ille quærendus ſit, Paulus eum 1 Timoth. 2. 5. nominat, *hominem Ieſum Chriſtum*, ut admoneret propinquum nobis, imo cõtiguum eſſe, eò quod ſit caro noſtra. Quò etiam pertinet, quod Pontifex noſter dicitur, qui poteſt compati noſtris infirmitatibus, utpote more noſtro per omnia tentatus, excepto peccato. IV. Mediatoris eſt, nos in gratiam Dei reſtituere, facere filios Dei, & hæredes regni cœleſtis, eaque de re nos certos reddere. Hoc nemo præſtare poterat, niſi Filius Dei, factus filius hominis, ut unus idemque nobiſcum eſſet, & quod ſuum ac proprium erat natura, noſtrum faceret ex gratia. Qua etiam ratione certam nobis effecit regni cœleſtis hæreditatem. Ideoque & communem nobis teſtatur eſſe Patrem, nec erubeſcit nos vocare fratres, ejuſdem hæreditatis cõſortes, Ioh. 20. 17. Rom. 8. 17. V. Redemptoris eſt, mortem abſorbere, peccatum vincere, mundi & aëris poteſtates profligare. At hoc ſolius Dei eſt, penes quem reſidet vita & juſtitia, cœlique imperium ac poteſtas. VI. Ad hæc ut homo Deo reconciliaretur, opus erat, ut per obedientiam judicio Dei ſatisfaceret, atque pœnas peccati perſolveret. Ideo prodiit Filius Dei, veſtitus carne noſtra, ut in ea ſacrificium offerret expiatorium, pretium ſatisfactionis exhiberet, pœnas nobis debitas perferret, iram Patris placaret,

omnem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

omnemque reatum noſtrum tolleret. VII. Mortem nec ſolus Deus ſentire, nec ſolus homo ſuperare potuit. Debuit ergo Mediator humanam naturam cum divina ſociare, ut alterius imbecillitatem morti ſubjiceret, alterius virtute victoriam acquireret. Proinde non tantum in Chriſti gloriam & bonitatem injurii ſunt, qui eum aut divinitate aut humanitate ſua ſpoliant, ſed noſtram quoq; fidem labefactant, quæ, niſi hoc fundamento nixa, ſtare non poteſt. VIII. Qualis Redemptor olim promiſſus fuit, talem quoque eſſe oportuit. At non alius ſperandus fuit, quam Abrahæ & Davidis filius. Ita piæ mentes ad ipſam Chriſti originem perductæ certum conſolationis fructum percipiunt. cap. 12. S. 1, 2, 3.

3. His poſitis, vanæ hominum curioſorum ſpeculationes per ſe evaneſcunt. Chriſtum, ajunt, futurum fuiſſe hominẽ, etiamſi lapſus Adam non fuiſſet. Reſp. Fatemur Chriſtum ſemper fuiſſe caput Angelorum & hominum: quo nomine primogenitus dicitur fuiſſe omnis creaturæ, Coloſ. 1. 15. ſed cur carnem aſſumſerit, nullam aliam cauſam aut finem agnoſcimus, quam quod redemptor fieri voluit, ut inſtauraret collapſum mundum, & perditis hominibus ſuccurreret. Idque I patet ex ſacrificiis expiatoriis, quæ ſanguine procurabantur, tum ante tum poſt legis promulgationem: quorum veritas eſt in Chriſto. Per ſanguinem autem fiebat remiſſio peccatorum. Nullus ergo promiſſus fuit Mediator, niſi qui ſanguine ſordes hominum expiaret. II. Non alium etiam nobis Prophetæ deſcribunt, quam qui reconciliator Dei & hominum futurus erat. Vide Eſ. 53. III. Nec aliam adventus ſui cauſam Chriſtus aſſerit, quam ut placato Deo per victimam ſuam, peccatores &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

perditos & mortuos ad vitam colligat, Ioh. 3. 16. & 5. 25. & 11. 15. Matth. 9. 12. & 18. 11. Luc. 24. 26. & 3. 14. & 12. 27, 28. IV. Ipſi quoq; Apoſtoli, licet ſe nihil ſcire, præter ipſum, glorientur, nihil tamen aliud de Chriſto teſtati ſunt, niſi quod venerit ad Deum reconciliandũ, qua nempe ut ſacerdos, & deprecator, & victima pro nobis, atque adeo in ſimilitudine carnis peccati Legem implevit, & juſtitia noſtra factus eſt, & quidem ex mero Dei amore: quæ alioquin elogia conſtare non poſſent. Hebr. 5. 1. 2 Cor. 5. 19. Rom. 8. 3. Quibus etiam concinit Ioannes Baptiſta, Iohan. 1. 19. & Zacharias Luc. 1. 79. cap. 12. S. 4.

4. Sed excipiunt, nihil obſtare, quominus idem Chriſtus, qui redemit damnatos, etiam integros amare potuerit, eorum carnem induendo. Reſp. I. Scriptura redemptionem & incarnationem conjungit. Cui hæc Dei ordinatio non ſufficit, is nec Chriſto, qui datus eſt in redemptionis pretium, contentus erit. II. Ideo Paulus ad prædeſtinationis myſterium conſcendit, ut omnem humani ingenii laſciviam compeſcat. In Chriſto ait nos electos eſſe ante mundi creationem, ut nihil hoc decreto tempore prius fingi neceſſe ſit, Eph. 1. 4, 5. cap. 12. Sect. 3.

5. Objiciunt, hoc Dei conſilium pependiſſe ex præviſa hominis ruina. Reſp. Ita novum Chriſtum nobis confingunt, & alium, quàm Deus æterno ſuo decreto prædeſtinavit. Venit enim ut peccatores ſalvos faceret. Et hæc gratia, quæ per Euangelium manifeſtatur, data nobis fuit ante tempora ſæcularia, 1 Tim. 1. 15. & 2 Tim. 1. 19. à qua ne tantillum quidem nobis declinandum eſt, quoties Chriſti fit mentio. In hac ergo libenter acquieſcimus. Qui plus inquirunt, aut ſcire appe-

tunt,

tunt, impiè audaces ſunt, & cancellos, quibus nos Paulus circumdedit, Epheſ. 3. 16, 17, 18. ſtultè perrumpunt. cap. 12. S. 5.

6. Obſtrepit hic Oſiander, & impudentiæ eos inſimulat, qui Filium negant in carnem venturum fuiſſe, ſi non cecidiſſet Adam. Et eo uſque prorupit inſaniæ, ut eos etiam excuſaret, qui quærebant, an Chriſtus naturam aſini aſſumere potuiſſet: nempe quia nuſquam id diſertè in Scriptura refellitur. Reſp. Attamen jubet Paulus ſtultas quæſtiones fugere, Tit. 3. 9. Idem nihil judicavit cognitu dignum, niſi Chriſtum, eumque crucifixum, 1 Cor. 2. 2. quem etiam conſilio Dei in caput Eccleſiæ dicit eſſe ordinatum: tantum abeſt, ut aſinum, vel alium agnoſcat ſalutis noſtræ authorem. c. 12. S. 5.

7. Vrget Oſiander, non potuiſſe hominem ad Dei imaginem condi, niſi formatus fuiſſet ad exemplar Chriſti, ut illum referret, quem jam Pater carne veſtire decreverat: nec imaginem Dei tantum poſitá fuiſſe in dotibus eximiis, quibus Adam in creatione fuit ornatus, ſed vel maximè in eo, quod eſſentialiter Deum haberet inhabitantem. Reſp. 1. Falſum ſumi, quia Dei ſimilitudo non eſt quærenda, niſi in illis præſtantiæ notis, quibus Deus Adamum inſigniverat præ aliis animantibus. 11. Concedimus etiam tum Chriſtum fuiſſe Dei imaginem, cujus benificio ad tantum honoris gradum homo erectus fuit. Sed hæc quoque Angelis fuit communis gratia & dignitas, quorum non minus, quam hominum, caput Chriſtus extitit. Vnde etiam Filii Dei nuncupantur, Pſ. 8. 6. Et præſenti ejus intuitu aſſidue fruuntur: nempe quia ei ſimiles ſunt. Nec aliter renovantur homines ad Dei imaginem, quam ſi Angelis ſub uno

capi-

capite ſocientur, Coloſſ. 3. 10. quin imo hæc ultima erit noſtra fælicitas, Angelis conformes fieri: Luc. 10. 36. Denique ſi primarium imaginis Dei exemplar fuit in Chriſto homine, eodem jure ſequetur, Chriſtum debuiſſe fieri Angelicæ naturæ conſortem, quia ad illos quoque pertineat imago Dei. cap. 12. S. 6.

8. Inaniter verò metuit Oſiander, Deum fore mendacem, ſi non præceſſiſſet conſilium de Filio incarnando: neque enim aliter conſtare, hominem ad ejus imaginem eſſe creatum. Reſp. Poterat Adamus etiam integer una cum Angelis ſimilis eſſe Deo, quamvis Filius Dei, nec homo nec Angelus fieret. c. 12. S. 7.

9. At inquit, niſi Chriſtus primus homo ſit, ſequetur nonniſi per accidens natum eſſe, & creatum fuiſſe ad imaginem Adæ. Sed inepte abſurda ſomniat. Chriſtus deſtinato Dei conſilio naturam humanam aſſumpſit, ut perditam reſtauraret. Alterum nemo horrebit dicere, cum aperte Scriptura teſtetur, ſimilem nobis eſſe factum per omnia, excepto peccato, Hebr. 4. 15. eundemque in genealogia Adæ cenſeri, Luc. 3. 38. Quo nomine etiam ſecundus Adam vocatur, 1 Cor. 15. 47. alioquin dicendus primus Adam, ſi creationem ordine natura Chriſti humana præceſſit. c. 12. S. 7.

10. Nec ſequitur, ſi Chriſtus in mente Dei fuit præcognitus, ad ejus exemplar omnes homines fuiſſe formatos. Nam dum ſecundus Adam nominatur, inter primam hominis originem, ejusque reſtitutionem, media ponitur defectio, ex qua naturæ reformandæ neceſſitas, quæ Filio naſcendi fuit cauſa. cap. 12. S. 7.

11. Inſulsè etiam ratiocinatur, Adamum quamdiu integer ſtetiſſet, hac ratione futurum fuiſſe imagi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

imaginem, non Chriſti, ſed ſui ipſius. Nam à principio fulſit in Adamo Dei imago, in cujus radiis ſemper apparuit Chriſtum vere primatum tenere in omnibus. cap. 12. S. 7.

12. Futilis porro argutia eſt, Angelos carituros fuiſſe capite, niſi, etiam citra lapſum Adæ, Filius veſtiendus fuiſſet carne. Quaſi videlicet Chriſto non competat primatus in Angelos, niſi quatenus eſt homo. Atqui Paulus, quando eum primogenitum omnis creaturæ vocat, & primogenitum ex mortuis, Col. 1. 15. 16. 18. illic per Filium ſic omnia creata eſſe aſſerit, ut etiam Angelis dominetur: hîc, cur homo factus ſit, oſtendit, nempe ut hominum redemptor ſit. cap. 12. S. 7.

13. Non minus inſcitè argutatur, homines carituros fuiſſe Chriſto rege, niſi ante fuiſſet homo. Nam Filius Dei, etiam non indutus humana carne, æternum poſſidet regnum, & primatum in omnes Angelos & homines. cap. 12. S. 7.

14. Ejuſdem inſcitiæ eſt Eccleſiam fuiſſe *ἀκέφαλον* futuram. Etenim jam tum ſuo capite fruebantur Angeli, & homines arcana Spiritus Chriſti virtute vegetari & conſervari poterant. c. 12. S. 7.

15. Firmiſſimum videtur Oſiandro dictum Adami, *Hoc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, Gen. 2. 13. idque Prophetiam eſſe vult, quia Chriſtus Matth. 19. 5. eundem ſermonem Deo tribuit. Reſp. I. Non quidquid per homines Deus loquitur, etiam vaticinium continet, niſi in ſingulis præceptis Dei vaticinia velimus confingere. II. Chriſtus non diſſerit de Chriſti & Eccleſiæ unione, ſed tantum de fide conjugali, cujus inſolubile vinculum eſſe ex hoc dicto pronuntiat. III. Nec etiam ſuffragatur Paulus, Eph. 5. 30. qui ubi dixerat nos eſſe carnem de carne Chriſti, mox adjun-

adjungit, magnum hoc eſſe myſterium. Neque enim, quo ſenſu Adam hæc verba protulerit, indicat, ſed ſub figura conjugii myſticam Chriſti cum Eccleſia conjunctionem depingit. cap. 12. S. 7.

16. Concludimus cum Apoſtolo, quando venit plenitudo temporum, miſſum fuiſſe Filium Dei, factum ex muliere, factum ſub Lege, ut eos, qui ſub Lege erant, redimeret. Atque hæc doctrina nobis abundè ſufficit. cap. 12. S. 7.

17. Huc uſq; ſufficienter probatum eſt, Filium Dei debuiſſe fieri hominem. Nunc porrò humanæ Chriſti naturæ veritas nobis eſt aſtruenda, contra Marcionem, qui pro vero corpore ſpectrum Chriſto affingebat; & Manichæum, qui cœleſti carne præditum eſſe ſomniabat. At utriſque repugnant Scripturæ teſtimonia multa & valida. cap. 13. Sect. 1.

18. Nam I. non in cœleſti, vel aëreo ſemine, aut in hominis larva, benedictio promittitur, & thronus æternus, ſed ſemini Abrahæ, & Iacobi atque Davidis filio, & fructui ventris ejus facta eſt promiſſio, Gen. 18. 18. & 22, 18. & 26. 4. Act. 3. 25. II. Ideo etiam Chriſtus, in carnè exhibitus, filius vocatur Davidis & Abrahæ, Matt. 1. 1. III. Et ne putemus ex virginis utero duntaxat prodiiſſe, ſed prius in aëre creatum, expreſſe Paulus docet, Chriſtum factum eſſe ex ſemine Davidis, & deſcendiſſe ex Iudæis ſecundum carnem, Rom. 1. 3. & 9. 3. Quò etiam pertinet illud Pauli Gal. 4. 4. Chriſtum factum eſſe ex muliere. IV. Et hæc cauſa eſt, cur Chriſtus ſe non tantum hominem, ſed Filium hominis ſubinde appellat, ut clarius conſtaret ex hominis ſemine vere eſſe progenitum. V. Adde loca, quibus fami, ſiti, frigori, aliiſque humanæ naturę infirmitatibus declaratur

obnoxius

obnoxius fuiſſe. VI. Sed illuſtris eſt locus, Heb. 2. ℣. 16. Neque enim Angelorum naturam, ſed noſtram aſſumpſiſſe dicitur, idque ut in carne & ſanguine mortem & imperium Diaboli deſtrueret: atque hujus communicationis beneficio nos ejus fratres cenſeri ℣. 14. Imo debuiſſe fratribus ſimilem fieri, ut eſſet fidelis Pontifex, qui poſſet compati noſtris infirmitatibus. ibid. ℣. 17. & c. 4. 15. VII. Eodem pertinet quod ſupra fuit diſputatum, & à Paulò clarè aſſeritur, oportuiſſe Chriſtum in carne noſtra expiare peccatum, Roman. 8. 3. VIII. Hinc ipſe caput, & nos ejus corpus vocamur, quod, per juncturas compactum, ſimul coaleſcit, Eph. 4. 16. Atque ideo accepit Spiritum ſine mēſura, ut ex ejus plenitudine hauriamus omnes, Ioh. 1. 16. Ipſe propter ſuos ait ſe ſanctificare ſemetipſum, Ioh. 17. 19. Nempe quia ex hac ſacra & arctiſſima conjunctione noſtrum eſt, quidquid Pater ipſi contulit. IX. Hæc denique doctrina, in vera fiducia ædificandis, ſolide conducit. c. 13. S. 1.

19. Huc refer etiam Moſis teſtimonium, quo ſemen mulieris dicit contriturum caput ſerpentis. Agit autem de poſteris Evæ, quam hac victoriæ promiſſione in ſpem bonam erigit. At iſta victoria non eſt, niſi in Chriſto. ſequitur Chriſtum ex eodem ſemine eſſe progenitum. cap. 13. S. 2.

20. Quæ contra objici vel excipi ſolent, inepta ſunt & frivola. Marcion urgebat locum Phil. 2. 7. Chriſtum in ſimilitudinem hominis factum, & figura compertum ut hominem. Vnde colligebat Chriſtum nō niſi phantaſma induiſſe. Sed Reſp. 1. aberrat à ſcopo Apoſtoli. Nam cum nos Chriſti exemplo vellet hortari ad ſubmiſſionem, oſtendit, qua ratione ſeipſum ſponte exinaniverit, & cum potuiſſet glorioſus apparere, maluerit induere imagi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

imaginem ſervi & contempti hominis, adeoque ſub velamine carnis abjectæ divinitatem ſuam abſcondere. Non ergo docet, quid fuerit Chriſtus, ſed qualiter ſe geſſerit. II. Cum hæc vilis & abjecta conditio in ipſa natura humana apparuerit, eo ipſo efficitur verum fuiſſe hominem. III. Niſi infirmus fuiſſet Filius Dei in natura verè humana, quomodo mortuus diceretur carne, & paſſus pro carnis infirmitate? 1 Petr. 3. 18. 2 Corinth. 13. 4. IV. Eadem ratio eſt exaltationis, quæ humiliationem eſt conſecuta, nec niſi in hominem carne & anima præditum quadrare poteſt. cap. 13. S. 2.

21. Manichæus aëreum fabricatur corpus, quia Chriſtus vocatur ſecundus Adam de cœlo cœleſtis, 1 Cor. 15. 47. Reſp. I. Paulus iſthic non agit de ſubſtantia corporis, ſed de vi ſpirituali, qua Chriſtus nos vivificat, quam alibi ab ejus carne diſtinguit. II. Ex eodem loco veritas carnis Chriſti egregiè ſtabilitur. Probat enim Apoſtolus nos reſurrecturos, quia Chriſtus reſurrexit, 1 Cor. 15. 13. 14. 15. quæ connexio nulla foret, niſi Chriſtus unam haberet nobiſcum corporis naturam. cap. 13. S. 2.

22. Quæ ad noſtra argumenta excipere ſolent, putida ſunt effugia. I. Chriſtum ajunt dici filium hominis, quia hominibus ſit promiſſus. Reſp. I. Palam eſt Hebraïco more dici filium hominis, qui ſit verus homo: quo ſenſu etiam filii Adæ vocantur. II. Pſalm. 8. 5. Chriſtus ſimul & homo, & filius hominis, nominatur, interprete Paulo Hebr. 2. 6. Neque enim dubitari poteſt, quin ibi veram Chriſti humanitatem exprimat, quam poſt tam apertè aſſerit, quando ait ỽ. 11. tùm eum, qui ſanctificat, tùm eos, qui ſanctificantur, ex uno eſſe omnes. Et verſ. 14. Chriſtum participem

factum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

factum eſſe ejuſdem carnis & ſanguinis, & quidem ſic, ut non erubuerit nos fratres ſuos vocare, natura noſtra ſordidos, ſed ejus communicatione in hanc dignitatem evectos. cap. 13. S. 2.

23. Solent inſtare impios hoc modo fore Chriſti fratres. Reſp. Illam conjunctionem fraternam non efficit ſola caro, ſed accedat oportet ſpiritualis nativitas, ex Spiritu, per fidem. Hanc enim mediam intervenire neceſſe eſt, ut Chriſtus, factus homo, nos faciat filios Dei. Nec tamen idcirco ſequitur, non ex eodem fonte, quo ad carnem, naſci incredulos. cap. 13. S. 2.

24. II. De voce primogeniti Roman. 8. 29. etiam rixam movent, quaſi debuerit Chriſtus ex Adamo naſci ab initio, ut primogenitus ſit inter fratres. Reſp. Primogenituram non ad ætatem, ſed ad gradum honoris, & virtutis eminentiam referri. cap. 13. S. 2.

25. III. Ad locum Hebr. 2. 16. ajunt, Chriſtum homines aſſumpſiſſe, quia in gratiam acceperit genus humanum. Reſp. Manifeſtè hîc nobiſcum Angelos conferri, tanquam poſthabitos, in illâ naturæ communione, de qua ſupra loquutus erat. cap. 13. S. 2.

26. IV. Teſtimonia, ubi Chriſtus ſemen Abrahæ, & fructus ventris Davidis nuncupatur, allegoriis involvunt. Reſp. 1. Si veræ eſſent, Paulus eas non tacuiſſet. 2. Idem nimis diſertè ſemen illud Abrahæ dicit eſſe unum Chriſtum, ſolum mundi redemptorem. c. 13. S. 3.

27. V. Ajunt non aliter filium Davidis vocari, niſi quia, promiſſus olim, demum exhibitus ſit. At 1. Paulus addens, *ſecundum carnem*, certe naturam deſignat, Rom. 1. 3. & 9. 5. 2. Si tantum ob promiſſionem eſſet filius, quomodo dicitur

fructus

fructus ventris ejus? Et ex lumbis ejus deſcendere? Pſalm. 132. 11. cap. 13. S. 3.

28. VI. Argumentum â Chriſti genealogia deſumptum ſophiſticè eludunt. Ajunt I. Matthæum non recenſere parentes Mariæ, ſed Ioſephi. II. Contendunt mulieres non habere ſemen. Idque probare conantur ex eo, quod Aaron & Iojada leguntur uxores duxiſſe ex familia Iudæ: poſito autem ſemine mulieris, confuſionem ſequi tribuum. Ad I. Reſpondemus, 1. Matthæum oſtendere Ioſephum ex Davide ortum eſſe, quia liquido conſtabat omnibus Mariam ejus fuiſſe conſanguineam. 2. Matthæus volens probare, Chriſtum originem ducere à Davide, hoc uno contentus eſt, quod ſit ex Maria genitus. Et revera non aliter colligimus Chriſtum eſſe Davidis filium, quam quia ex iſta virgine natus ſit. 3. Genealogiæ ſeries non permittit, ut alia ratione Chriſtus ex matre ſua genitus eſſe dicatur, quam Boos ex Ruth, aut reliqui ex ſuis parentibus geniti eſſe dicuntur. 4. Et Lucas ad Adamum uſque genealogiam extendit, ut Chriſtum ex communi omnium patre progenitum eſſe doceat. Ad II. dicimus. 1. Si Medicos audiant, convinci eos falſi. 2. Verum eſt politicè cenſeri progeniem ex virili ſemine. Ideo in genealogiis virorum tantum fit mentio. Ita Aaronis & Iojadæ familia manſit illibata. Nec tamen plane excluſæ ſunt mulieres, quas omnes norunt ſub viris fuiſſe comprehenſas. Hinc minimè efficitur in generando mulieres aut nihil eſſe, aut omnino carere ſemine. 3. Sicut ex Patrum conditione naſcuntur nobiles, ita in ſervitute partus ventrem ſequitur: datur ergo maternum ſemen. 4. Sin minus, ex Lege liceret avunculo neptem ſuam, & viro ſororē uterinam altero patre natam

 ducere,

ducere, quia nulla eſſet conſanguinitas. 5. Fatemur vim paſſivam fœminis adſcribi, ſed addimus promiſcuè illis tribui, quod viris, ut liberi ex ipſis nati cenſeantur. Ita Chriſtus non per mulierem, ſed ex muliere factus eſſe dicitur. Denique mulieres eſſe genitrices communi voce & conſenſu receptum eſt. cap. 13. Sect. 3.

29. Abſurda quæ huic doctrinæ affingunt, facile diluuntur: I. Si Chtiſtus, inquiunt, ex hominibus originem ſuam traxit, peccatorem eſſe conſequitur, quia non poterit à lege communi nativitatis noſtræ eximi. Reſp. Cum Scriptura eum à communi ſorte ſeparet, merito cenſendus eſt natus verus homo, abſque ullo vitio. Ideo ſicut per unum hominem venit peccatum, ſic per unius hominis juſtitiam abundaſſe gratiam aſſeritur, Rom. 5. 12. Et Adamus quidem, ut terrenus & animalis de terra, ſed Chriſtus, ut cœleſtis è cœlo, nobis deſcribitur, 1 Cor. 15. 47. Denique non in peccati conditione, ſed in ſimilitudine carnis peccati miſſus eſſe dicitur Rom. 8. 3. c. 13. S. 4.

30. II. Colligunt, ſi Chriſtus immunis eſt ab omni macula & tamen genitus ex ſemine Mariæ, non eſſe igitur ſemen mulieris impurum. Reſp. eſſe fallaciam cauſæ. Neque enim idcirco tantum purus fuit, quia ex virgine ſine viri concubitu natus eſt, ſed quia ſanctificatione Spiritus pura facta eſt generatio & integra. Iam vero liquet hanc purificationem, non ad divinam, ſed ad naturam ejus humanam pertinere. c. 13. S. 4,

31. Inſtant, hac ratione duplex poni Adæ ſemen. Reſp. fallaciam eſſe accidentis. Nam quod in generatione noſtra eſt vitioſum, accidentale eſt ex ſlapſu. Ab hac vulgari corruptione Chriſtus ſpeciali privilegio fuit exemptus. c. 13. S. 4.

32. III. Ab-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

32. III. Abſurdum eſſe judicant, Filium Dei anguſto terreni corporis ergaſtulo includere. Id vero conſequi, ſiquidem carnem induerit. Reſp. Ex incarnatione Filii nullam poſſe incluſionem fingi. Mirabiliter enim deſcendit è cœlo, fuit in utero, in terris verſatus eſt, in cruce pependit, ut ſemper tamen mundum impleret. cap. 13. S. 4.

33. Ex his perſpicuum eſt, duas eſſe in Chriſto naturas, prout Ioh. 1. 14. dicitur, Verbum factum eſſe carnem, hoc eſt, Filium Dei factum eſſe filium hominis, certe non converſione Verbi in carnem, nec permixtione aut confuſione aliqua naturarum, ſed unitate perſonæ. Ita enim conjuncta eſt humanitati divinitas, ut ſua utrique naturæ ſolida manſerit proprietas, & tamen ex illis duabus unus Chriſtus conſtituatur. cap. 14. Sect. 1.

34. Cujus rei ſimilitudinem aliquam reperire eſt in homine. Nam licet conſtet anima & corpore, neutra tamen ſubſtantia alteri eſt permixta. Et nihilominus de toto homine prædicantur, quę vel animæ, vel corpori propria ſunt, quæ ſane de anima aut corpore ſeorſim accipi non poſſunt. Ita & Scripturæ de Chriſto loquuntur, ut propter duplicis naturæ in una perſona conjunctionem, eas quandoq; inter ſe communicent, nonnunquam, quę vel humanitati vel divinitati peculiariter conveniunt, aut quæ utramq; naturam complectuntur, & neutri ſeorſim competunt, toti tamen perſonæ attribuant. c. 14, S. 1.

35. Quæ divinitatis propria ſunt, de perſona tamen incarnata dicuntur. Vt ſunt ante Abrahamum fuiſſe, Ioh. 8. 58. primogenitum eſſe omnis creaturæ, ante omnia extitiſſe, & per eum omnia conſiſtere, Coloſſ. 1. 15. habuiſſe gloriam apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Patrem ante creatum mundum, Ioh. 17.5. ſe unà cum Patre operari. c. 14. S. 2.

36. Rurſus quæ humanæ ſunt naturæ, itidem de perſona enunciantur: qualia ſunt, ſervum eſſe Patris, Eſ. 42. 1. creviſſe ætate & ſapientia, Luc. 2. 52. gloriam ſuam non quærere, Iohan. 8. 50. neſcire diem ultimum Mar. 13, 32. à ſeipſo non loqui, Ioh. 14. 10. non facere voluntatem ſuam, Ioh. 6. 38. viſum & palpatum fuiſſe, Luc. 24. 39. Quæ certe ad Deitatem referri non poſſunt, etſi non tam de natura humana ſeorſim, quam de perſona mediatoris prædicentur. c. 14. S. 2.

37. Communicatio idiomatum alibi perſpicuè docetur, ut Act. 20. 28. 1 Cor. 2. 6. 1 Iohan. 1. 1. Certe Deus nec ſanguinem habet, nec crucifigitur, nec manibus tangi poteſt. Sed qua idem Chriſtus verus Deus & homo, in natura humana ſanguinem ſuum fudit, ad divinitatem impropriè, nec tamen ſine ratione, iſta transferuntur. Eodem ſenſu dicitur, Deum poſuiſſe animam ſuam pro nobis, 1 Iohan. 3. 16. Et filium hominis in terris agentem in cœlo eſſe, Ioh. 3. 13. propter duplicis naturæ unionem, qua fit ut alteri detur, quod erat alterius naturæ. c. 14. S. 2.

38. Alia loca ſunt, quæ utramque naturam comprehendunt, & ad Mediatoris officium ſpectant. Etenim nec Deitatis ſingulare, nec humanitatis fuit, ſed utriusque ſimul, quod legitur, poteſtatem accepiſſe à Patre remittendi peccata, ſuſcitandi quos velit, juſtitiam, ſanctitatem, ſalutem largiendi: Iudicem eſſe vivorum & mortuorum, honorandum ſicut & Patrem, lucem eſſe mundi, paſtorem bonum, unicum oſtium, vitem veram, &c. Etſi enim has prærogativas jam ante habuerit, non tamen eodem modo & reſpectu habuis-

habuit: homini vero, qui nihil quam homo ſit, dari non poſſunt. Competunt ergo Dei Filio, in carne manifeſtato, & quidem qua Mediator eſt. cap. 14. S. 3.

39. In eundem ſenſum dicitur, peracto judicio redditurus regnum Deo & Patri, 1 Cor. 15. ℣. 24. non illud, quod ab æterno & in æternum obtinet, ſed illud imperium, itemque gloriam & honorem, in quem, poſt obedientiam in terris Patri præſtitam, nunc evectus eſt, illamque adeo regni adminiſtrationem, quam velut Mediator exercet: quo ſenſu ſedere dicitur ad dextram Patris, & datam ei eſſe omnem poteſtatem. Eodemque *Domini* nomen peculiariter ipſi tribuitur, per quem omnia ſunt, 1 Cor, 8.6. Cum enim hoc officium non acceperit, niſi ut nos Patri conjungat, & ut per ejus manum Pater nos gubernet, ubi eodem officio perfunctus erit, & Deus erit omnia in omnibus, noſque pręſenti divinitatis aſpectu fruemur; tum deſinet eſſe Patris legatus, nec Deus amplius erit caput Chriſti, ſic tamen ut ipſi nihil inde decedat, quia Deitas ipſius ex ſe ipſa fulgebit. Sit ergo nobis hæc rectæ intelligentiæ clavis, neque de natura divina neq; de humana ſimpliciter dici, quæ ad Mediatoris officium ſpectant. c. 14. S. 3.

40. Prodeſt recta & ſobria hujus doctrinæ obſervatio adverſus phreneticorum furores, quorum alii humanitatis attributa accipiunt, ad tollendam divinitatem: divinitatis rurſus, ad tollendam humanitatem: quæ verò de utraque natura conjunctim dicuntur, ad tollendam utramque: quaſi verò Chriſtus non ſit homo, quia Deus eſt; aut non ſit Deus, quia homo eſt: aut nec Deus nec homo ſit, quia ſimul & homo & Deus eſt. Nos econtra Chriſtum fatemur, ut Deus eſt, & homo,

conſtans duabus naturis unitis, licet non confuſis, Dominum noſtrum, verumque Dei eſſe Filium, etiam ſecundum humanitatem, etſi non ratione humanitatis. cap. 14. S. 4.

41. Sic etiam diſcemus, nec confundere, nec diſtrahere duas in Chriſto naturas. Neſtorius eas diſtinguere nolens, duplicem in Chriſto perſonam comminiſcebatur. Attamen idem, qui de virgine naſcitur, eſt Filius Dei: Et ipſa virgo Mater Domini noſtri appellatur, Luc. 1. 32. 43. Contra Eutyches volens perſonæ unitatem demonſtrare, naturas confudit, adeoque deſtruxit. Atqui ſupra ſatis oſtendimus, paſſim ab humanitate diſtingui divinitatem. Nec rectè templum Chriſtus vocaſſet corpus ſuum, niſi diſtinctè in eo habitaret divinitas, Ioh. 2. 19. Priorem errorem Synodus Epheſina: poſteriorem Conſtantinopolitana & Chalcedonenſis damnavit. c. 14. S. 4.

42. Cæterum obſtrepit hîc Servetus, cujus monſtroſa circa hoc negotium fuerunt placita. Filium Dei ab initio fuiſſe ideam, & jam tunc præordinatum fuiſſe hominem, qui eſſet eſſentialis Dei imago. Hanc fuiſſe ejus genituram, quod filii generandi ab initio genita fuit in Deo voluntas. Sed antequam patefactus fuerit Chriſtus in carne, umbratiles tantum fuiſſe in Deo figuras: harum tum demum extitiſſe veritaté & effectum, quum Sermo ille, quem non alium agnoſcit, niſi in externo ſplendore, verè incepit eſſe Filius Dei. Id vero eveniſſe, quando Deus inviſibile verbum & Spiritum diſpenſaverit in carnem & animam: tandem genitum eſſe per ſermonem, cui ſeminis partes attribuit: Et ex tribus elementis conflatum, ut intelligatur genitus ex eſſentia Dei, vel ex materia illa, quæ initio apud Deum fulgebat in tribus

elemen-

elementis, quæ deinde apparuit in prima luce mundi, in nube & columna ignis: quo nomine primogenitum eſſe fingit inter creaturas. Denique non aliâ ratione eſſe Dei Filium, niſi quatenus ex utero Virginis genitus eſt ex Spiritu ſancto. Et ne Chriſtum videatur ſua Deitate exuere, aſſerit carnem ejus Deo eſſe ὁμούσιον, & Sermonem fuiſſe hominem factum, carnis in Deum converſione. cap. 14. S. 8.

43. At vero ſic I. nobis pro Filio Dei ſuppoſuit figmentum, ex Dei eſſentia, Spiritu, carne, & tribus elementis conflatum. II. Everſa duplicis naturæ diſtinctione, Chriſtum facit aliquid ex Deo & homine permixtum, ut nec Deus nec homo cenſeatur. III. Spiritum miſcet cum ipſo Sermone. IV. Figmento originalis ſeminis porcos & canes Dei filios efficit, adeoque lapidibus eſſentialem divinitatem ſecundum ſuum gradum affingit. V. Dum Chriſtum apprehendere nequit Filium Dei, niſi ejus caro ex eſſentia Dei prodierit, & in Deitatem fuerit converſa, æternam Sermonis hypoſtaſin in nihilum redigit, & Filium Davidis promiſſum redemtorem nobis eripit. Si enim caro eſt ejus divinitas, deſinit eſſe ipſius templum. Nec redemtor nobis alius eſſe poteſt, niſi qui ex Abrahæ Davidisque ſemine progenitus, verè ſecundum carnem homo factus ſit. cap. 14. S. 5.8.

44. Nos quidem fatemur Mediatorem, qui ex Virgine natus eſt, propriè eſſe Dei Filium. Alioquin homo Chriſtus non eſſet ſpeculum inæſtimabilis Dei gratiæ. Fixa tamen manet Eccleſiæ definitio, Filium Dei cenſeri, quia Sermo, ante ſæcula ex Patre genitus, unione hypoſtatica naturam humanam ſuſcepit. Vnionem autem hypo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſtaticam vocamus, quæ perſonam unam conſtituit ex duabus naturis. cap. 14. S. 5.

45. Calumniatur Servetus, nos duplicem facere Dei Filium, quia dicimus æternum Sermonem jam fuiſſe Filium Dei, antequam carne veſtitus eſſet. Atqui nihil aliud docemus, quam ipſe Paulus, Deum manifeſtatum eſſe in carne. Nec ſi Deus fuit, antequam homo fieret, novus Deus eſſe incepit. c. 14. S. 5.

46. Abſurdum ipſi videtur, in carne Filium Dei apparuiſſe, qui tamen ab æterna genitura hoc habuerit, ut Filius Dei eſſet. Reſp. Mirum videri non debere, ſi quod nomen olim & præſertim ſub Lege fuit obſcurius, poſt celebre factum eſt & notum. Sic enim Angelus ad Mariam, Quod ex te naſcetur ſanctum, Filius Dei vocabitur, Luc. 1. 35. Quocirca etiam Paulus nos jam dicit eſſe Filios Dei, & invocare Deum, Abba Pater. non quaſi Patres olim nō fuerint Filii Dei, cum & ipſi Deum invocarint Patrem: ſed quia poſt adventum Filii clarius innotuit Dei paternitas. Addimus nec Angelis nec hominibus Deum fuiſſe Patrem, niſi unigeniti Filii reſpectu, ſiquidem verum ſit illud Pauli, Chriſtum ſemper fuiſſe caput & primogenitum omnis creaturæ, ut primatum in omnibus teneat. Fuit ergo Filius Dei ante mundi creationem, & quidem naturâ. Nos homines gratuita adoptione filii cenſemur. c. 14. S. 5.

47. Excipit Servetus, pendere hoc à filiatione, quam Deus apud ſe decreverat. At, inquam, non agitur hic de figuris. Reipſa filii ſunt, & hoc eſſè non potuerunt, niſi in capite fundata eſſet ipſorum adoptio. Iam verò detrahere capiti, quod membris commune fuit, ratione caret. Certe cum Angelos Scriptura vocet Dei Filios, Chriſtum ordine

præire

præire neceſſe eſt, qui Patrem illis concilietcap. 14. Sect. 5.

48. Servetus urget Chriſtum, qui in carne apparuit, eſſe Dei Filium: extra carnem non poſſe cenſeri hoc nomine. Reſp. I. Ita ſequetur, ſi filiatio ab incarnatione incipit, humanæ tantùm naturæ reſpectu Filium eſſe. II. Si dixerit ſecundum utramque naturam æqualiter vocari Filium, id quidem nos negabimus. Fatemur quidem Chriſtum in carne humana Filium dici, & quidem verè ac propriè, adeoque hunc honorem extendimus ad totam Mediatoris perſonam, ſed Deitatis tamen reſpectu. Idque ex eo liquet. 1. Quod unigenitus Dei Filius appelletur, nempe quia verus eſt & naturalis, qua nota ab aliis omnib⁹ diſcernitur, qui adoptione & gratiâ Filii ſunt. Nam quod ipſe poſſidet naturâ, alii acceperunt dono. 2. Quia Scriptura utramque naturam diſtinctè proponit, & ſecundum carnem dicit Filium eſſe Davidis, declaratum Filium Dei in virtute ſecundum Spiritum, Rom. 1. 3, 4. ſicut ex infirmitate paſſus eſt, & reſurrexit ex virtute ſpiritus, 2 Cor. 13. 4. ita quoque geminam naturam nobis Paulus proponit, Rom. 9. 5. Iam vero ſi diſtinctæ ſunt naturæ, concedat neceſſe eſt, ut ſicut à matre accepit, quod Filius Davidis nuncupatur, ita à Patre habere, cujus cauſa ſit Filius Dei, idque ab humana natura eſſe aliud & diverſum. 3. Chriſtus nunc Filius Dei, nunc Filius hominis vocatur. Iñ confeſſo eſt filium hominis dici, qua ex progenie Adami eſt. Ergo ex oppoſito Filius Dei dicetur, Deitatis æternæque eſſentiæ reſpectu. cap. 14. Sect. 6.

49. Objicit Servetus loca, quibus Deus dicitur non pepercisse proprio Filio. Item, eundem qui

ex Virgine naſcendus erat, vocari Filium altiſſimi. Vnde colligit ex conceptione cœpiſſe Dei Filium. Reſp. I. Nullam eſſe ſequelam. Sic enim colligere liceret, verbum cœpiſſe à manifeſtatione in carne, quia Iohannes manibus ſuis Verbum vitę contrectaverit, 1 Ioh. 1. 1. II. Scriptura utrumque conjungit, natum eſſe Bethlehemi ducem illum, cujus egreſſus ſit ab initio, à diebus æternitatis, Mich. 5. 2. cap. 14. S. 7.

50. Ait nos Neſtorio ſuffragari, qui duplicem Chriſtum commentus eſt. Reſp. Ipſum in carne noſtra quam aſſumpſit, eſſe Filium Dei, ſingulari quidem Dei gratia, ſine ulla tamen permixtione, quæ Deitati, quod proprium eſt, tollat. c. 14. S. 7.

51. Attamen, inquit, abſurdum, diverſis modis dici Filium Dei. Reſp. Nihilminus, quia diverſi ſunt reſpectus. Nihil enim impedit, quominus æternus Sermo jam Filius ante fuerit, & poſt incarnationem Filius dicatur, non magis ſane, quam alias Filius Dei, alias filius hominis vocari conſuevit. c. 14. S. 7.

52. Regerit etiam, nuſquam vocari Filium Dei ante incarnationem, niſi ſub figura. Reſp. Falſum ſumi I. quia licet obſcurior fuerit ejus deſcriptio, tamen ſub Lege & Prophetis Filius Dei extitit, antequam celebre hoc nomen eſſet in Eccleſia. Nam probavimus non aliter æternum fuiſſe Sermonem, niſi quia fuit ab æterno à Patre genitus: nec aliter hoc nomen competere Mediatori, niſi quia Deus eſt in carne manifeſtatus: deniq; Deum non fuiſſe Patrem vocatum ab initio, niſi ratione mutuæ relationis inter Patrē & Filium, per quem omnis paternitas cenſetur, Eph. 3. 15. II. Manifeſtè Filius nominatur Prov. 30. 4. III. Idem vetuſtiſſimi ſcriptores teſtantur. c. 14. S. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

53. Denique objicit illud Ioh. 1. 14. verbum factum eſſe carnem. Reſp. Nihil eſt evidentius, quam ibidem perſonæ unitatem aſſeri in duabus naturis. Itaque ſicut errorem Neſtorii ita & Eutychetis figmentum evertit. c. 14. S. 8.

54. Hactenus Serveti portenta rejecimus; quibus forſitan alii nolint ſubſcribere. Quicunque tamen Filium Dei non agnoſcunt, niſi in carne, & qua conceptus eſt in Virgine ex Spiritu S. proximè accedunt ad Manichæos, inter naturas diſcrimen non relinquunt, humanam naturam ex Deo genitam fingunt, Salomoni contradicunt, Proverb. 8. 24. nullam Deitatis habent rationem in Mediatore, vel ſane in hominis locum ſpectrum ſupponunt. c. 14. S. 8.

DISPVTATIO VIII,

De Officio Chriſti & officii executione.

Ex lib. 2. cap. 15. 16. 17.

1. SVperiori diſputatione de Perſona Chriſti egimus. Porro diſpiciendum, quod ſit ejus officium, & quæ ſit ejus executio. Eſt autem hæc doctrina neceſſaria & utiliſſima. Nam apud multos Chriſtus invenitur, nomine, non reipſa. Et in Papiſtarum ore reſonat quidem nomen Filii Dei, & de officio ejus quædam pronuntiant, ſed frigidè nec magno cum fructu, ut verè in eos competat illud Pauli, quod caput non teneant, Coloſſ. 2. 19. Ergo ut in Chriſto fides reperiat ſolidam ſalutis materiam, hoc notetur principium, munus Chriſti tribus conſtare partibus. Nam & Propheta datus eſt, & Rex, & Sacerdos. Eaque de cauſa Meſſiæ ſive uncti elogium ipſi fuit impoſitum. Hæc

vero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

vero nomina tunc tenuiſſe proderit, quando finis & uſus cognitio accedet. cap. 15. S. 1.

2. Primum, quod Prophetico munere fungi debuit, ex eo liquet. I. quod licet Prophetæ non ceſſarint populum inſtituere utili doctrinâ, & quæ ad ſalutem pro tempore ſufficeret, plenam tamen intelligentiæ lucem in adventu Meſſiæ ſperandam eſſe docuerunt, Eſ. 53.4. Vnde & Chriſtus interpres magni conſilii vocatur, Eſ. 9. 6. Cum quibus congruit illud Apoſtoli Heb. 1. 1. Poſtremis temporibus loquutum eſſe Deum per Filium. II. Et tam communis fuit hæc ſententia apud Iudæos, ut & ad Samaritanos eadem opinio pervenerit, Ioh. 4. 25. III. Inde querelæ Sanctorum, Pſal. 74. ℣. 9. quod ſigna ſua non videant, nec ullus ſit Propheta, quia deſtituti erant Prophetis, quorum officio & ſuſpenſi tenebantur, & ſimul fulciebantur in Meſſiæ adventum. Quanquam huic rei Deus providerat, Dan. 9. 24. cum juſſit obſignari viſionem, propterea quod clauſula & plenitudo omnium revelationum jam inſtabat. IV. Idem probatur ex illa unctione Chriſti per Spiritum Dei, de qua legitur Eſ. 61. 1. quo loco teſtis & præco divinæ gratiæ, & quidem peculiari modo, deſcribitur, ut à reliquis Doctoribus diſcernatur. Solebant autem Prophetæ Sacro quoque oleo inungi. Ergo ſic etiam Meſſię nomen ipſi competit. V. Denique conſtat Chriſtum perfectione doctrinæ ſuæ finem impoſuiſſe omnibus Prophetiis. Quocirca etiam ſingulari privilegio & voce cœleſti Filius Dei dilectus ſalutatur, qui ſolus audiendus ſit. cap. 15. S. 1. 2,

3. Cæterum hæc unctio Chriſti Prophetica ad nos quoque ſpectat, non eo tantum quod ipſe functus ſit docendi partibus, ſed etiam quia facit, ut

toti

toti ſuo corpori in Euangelii prædicatione virtus ſpiritus ſui reſpondeat. Ab ipſo ergo capite ad membra diffundit ſuam unctionem, ut etiam fideles eorumque liberi prophetare dicantur. Ioël. 2. ℣. 28. cap. 15. S. 2.

4. Ad hæc ex Prophetica dignitate Chriſti, hunc quoque uſum percipimus, quod ſcimus in ſumma doctrinæ, quam tradidit, incluſos eſſe omnes perfectæ ſapientiæ numeros. Ideo nobis datus in ſapientiam, 1 Cor. 1. 30. Et in eo abſconditi dicuntur omnes theſauri ſapientiæ & intelligentiæ, Coloſſ. 2. 3. Quæ cauſa eſt, cur Apoſtolus nihil ſcire pretioſum duxerit, præter Ieſum Chriſtum, eumque crucifixum. Peccant ergo, & authoritati Chriſti derogant, qui Euangelii ſimplicitate non contenti, extraneum aliquid aſſuunt. c. 15. S. 2.

5. Chriſtum eſſe Regem, ita notum eſt, ut probatione non egeat. Illud potius expendere convenit, ad quid valeat, & quid nobis ejus Regnum conferat. Id tum optime percipiemus, ſi regni hujus naturam cognoverimus eſſe Spiritualem, ac proinde æternam. Æternitatem autem intelligimus, non eam tantum quæ perſonæ Chriſti tribuitur, Dan. 2. 44. ſed etiam quæ ad ſalutem Eccleſiæ pertinet, Luc. 1. 33. Et hæc rurſus dupliciter conſideratur. Altera enim concernit totum Eccleſiæ corpus: Altera propria eſt cujusq; membri. Ad priorem referri poſſunt hæc loca, Pſ. 89. 36, 37, 38. Eſ. 53. 8. Pſal. 110. 1. Cum enim regni Davidici dignitas ſenſim diminuta fuerit, poſt plane etiam defecerit, non poteſt iſtorum vaticiniorum veritas niſi in Chriſto reperiri, quem Pater æternum Eccleſiæ ſuæ præſidem & defenſorem conſtituit, cujus æternitatem cum membrorum ſuorum perpetuitate, voluit eſſe conjunctam,

cujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

cujus regnum adverſus omnes hoſtium furores ſic armavit, ut illis invitis & nequidquam inſaniente Diabolo & toto mundi apparatu, Eccleſia ſalva ſemper manere debuerit, quia in æterno Chriſti ſolio fundata eſt, & adverſus immutabile Dei decretum nullæ vires, quantumvis validæ, quidquam poſſint. Ad ſpecialem cujusque uſum prodeſt etiam hujus regni æternitas, quia in ſpem melioris vitæ & beatæ immortalitatis nos erigit. Ideo regnum ſuum Chriſtus ait non eſſe de hoc mundo, Ioh. 18. 36. nempe ut ſpem noſtram in cœlos attollamus & plenum hujus gratiæ fructum in futuro ſæculo expectemus. cap. 15. S. 3.

6. Idem ex eo diſcimus, quod regnum Chriſti cognoſcimus eſſe ſpirituale. Nam cum nobis ſub cruce toto vitæ curſu militandum ſit, etiam poſtquam hujus regni cives facti ſumus, non poteſt non aſpera & miſera videri noſtra conditio. Ideo ſciendum eſt, non in externis commodis aut ſæculi hujus obſervatione & pompa, Luc. 17. 21. ſed extra terrenæ hujus vitæ ſtatum omnem hujus regni conſtare fructum. Neque enim terrenum eſt, vel carnale, quod corruptioni obnoxium ſit, ſed ſpirituale, quod ad æternam vitam nos attollit & in juſtitia, pace, & gaudio Spiritus ſancti conſiſtit, Rom. 14. 17. Vnde diſcimus patienter vitam ſub ærumnis tranſigere, donec peracta militia vocemur ad triumphum. Sic etenim Chriſtus regnat, ut nobis etiam communicet quidquid accepit à Patre. Interea omnibus bonis ad ſalutem animarum neceſſariis locupletat, ut ex his Spiritus Sancti donis & veluti primitiis ſentiamus, nos verè conjunctos eſſe Deo ad perfectam beatitudinē. Tum etiam virtute munit, qua ſtemus inexpugnabiles contra quoſlibet hoſtium ſpiritualium impetus

Atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Atque hinc ubertima ſuppetit gloriandi materia, fiducia certandi cum Diabolo, peccato, & morte, opprobriorum deniq; mundi contemptus, & ſtudium proferendi fructus in Dei gloriam. c. 15. S. 4.

7. Eodem ſpectat regia Chriſti unctio, non ex oleo vel aromaticis unguentis confecta, ſed quia ſuper eum requievit Spiritus ſapientiæ, intelligentiæ, fortitudinis, & timoris Dei, Eſa. 11. 2. quem Spiritum Pater Filio non dedit ad menſuram, Iohan. 3. 34. Vnde etiam Chriſtus Dei vocatur. Atque hoc eſt oleum illud lætitiæ, quo unctus fuit præ conſortibus ſuis, Pſ, 45. 8. Ejus porro unctionis viſibile ſignum in baptiſmo Chriſti oſtenſum fuit, quando ſuper eum requievit Spiritus in ſpecie columbæ, Ioh. 1. 32. Spiritum vero ejusque dona unctionis voce deſignari, neque novum eſt, neque abſurdum. c. 15. S. 5.

8. Cæterum quia non ſibi privatim ditatus eſt hac Spiritus præſtantia, ſed ut nos jejunos & aridos ſua abundantia perfunderet, ſimul intelligimus, quomodo ex ejus plenitudine accipiamus gratiam pro gratia, Ioh. 1. 16. Inopes enim ſumus & famelici, nec ulla in nobis eſt vigoris gratia, niſi quam Spiritus ſanctus nobis inſtillat, qui ſedem in Chriſto elegit, ut inde in membra largè ſcaturirent cœleſtes divitiæ. Hinc etiam conſtat regnum Chriſti non in terrenis deliciis & pompis, ſed in ſpiritu ſitum eſſe. Denique hujus regis ſui fortitudine invicti ſtant fideles. Atque ob hanc Spiritus Chriſti communionem Chriſtiani nuncupantur. cap. 15. S. 5.

9. Neque vero æternitati hujus regni quidquam derogat, quod Chriſtus dicitur regnum traditurus Patri, eique ſubjiciendus, ut Deus ſit omnia in omnibus, 1 Cor. 25. 24. 28. Nam aliud

nihil,

nihil indicat Paulus, quam in illa perfecta gloria non fore talem regni adminiſtrationem, qualis nunc eſt. Quantiſper enim à Domino peregrinamur, Chriſtus intercedit medius, qui paulatim nos ad ſolidam conjunctionem cum Deo perducat. Hoc fine dedit ei Pater omnem poteſtatem, ut per manum ejus nos gubernet & cõſervet. Ideo etiam ad dextram Patris locatus fuit, ut ſit caput Eccleſiæ, Eph. 1. Eodemque tendit, quod illi datum eſt nomen ſupra omne nomen, Philip. 2. 9. Nec alia ratione ſpeciatim Dominus vocatur 1 Corinth. 8. 9. quàm quia Pater ſuam dominationem per ipſum exercet, non tantũ in Eccleſia, cui conſtitutus eſt Rex & legiſlator, ut ad ejus nutum omnia ſua obſequia dirigat Eſ. 33. 22. ſed etiam contra prçfractos hoſtes, quos ſceptro ferreo frangit atque conterit, Pſal. 2. 9. & 110. 6. Cujus rei quædam hodie cernuntur exempla, ſed plenum documentum exſtabit ultimo judicio, quod etiam propriè cenſeri poteſt extremus ejus regni actus. Rectè ergo ſtatuitur in Chriſti regno, qua mediator eſt, durare ordinem præſenti noſtræ infirmitati neceſſarium, tunc autem Deum per ſe fore unicum Eccleſiæ caput, quia impletæ erunt Chriſti partes in Eccleſiæ collectione & defenſione. cap. 15. S. 5.

10. Reſtat Chriſti Sacerdotium, cujus finis & uſus fuit, ut ſua ſanctitate Deum nobis conciliet. Id vero præſtat tum ſacrificio, tum deprecatione ſua. Nam 1. quia propter peccatorum noſtrorum inquinamenta & juſtam maledictionem nullus nobis ad Deum patebat acceſſus, ut tanquam Sacerdos iram Dei placare Chriſtus poſſet, cum ſacrificio in medium venire oportuit, ut ſciremus expiata eſſe peccata. Ideoque ſub lege Sacerdo-

tibus

tibus V. T. fas non erat ingredi ſanctuarium ſine ſanguine. Quamquam nova & diverſa in Chriſto fuit ratio, ut idem eſſet hoſtia, qui Sacerdos. Ipſius enim mors ſola pro peccatis idonea fuit ſatisfactio, nec quisquam alius tanto honore dignus, qui Deo unigenitum Filium offerret. Atque hæc in Epiſt. ad Hebr. à ſeptimo capite uſque ad finem ferè decimi prolixè diſputantur & probantur. Proinde à morte Chriſti nobis incipiendum eſt, ut ad nos perveniat Sacerdotii ejus efficacia & utilitas. II. Hinc ſequitur æternum eſſe deprecatorem, cujus patrocinio favorem conſequimur. c. 15. S. 6.

11. Hinc ad nos fructus redeunt admirabiles. I. Quia certo perſuaſi ſumus Deo placere, quidquid per Mediatorem conſecratum eſt, oritur in animis noſtris non modo precandi fiducia, ſed conſcientiarum etiam tranquillitas. II. Quod Chriſtus nos adſciſſit in ſocietatem honoris ſui Sacerdotalis. Etſi enim in nobis polluti ſimus, in ipſo tamen facti Sacerdotes, offerimus nos & omnia noſtra Deo, cœleſteque Sanctuarium liberè ingredimur, Apoc. 1. 6. Quo pertinet illud Chriſti, Ioh. 1. 19. propter eos ſanctifico meipſum: quia ſanctitate ejus perfuſi, tanquam mundi, imo cum Chriſto ſacrati, Deo placemus. Idemque indicat unctio ſanctuarii, cujus fit mentio, Dan. 9. ℣. 24. cap. 15. S. 6.

12. Ex quibus etiam illud colligitur, quam deteſtabile ſit Pontificiorum commentum, qui non contenti Chriſti ſacerdotio & victima, ſeipſos ad Deum in Miſſa mactandum ingerere auſi ſunt. cap. 15. Sect. 6.

13. Porro ſicut nomen Chriſti ad hunc ſcopum nos deducit, ut in nobis perditi, in ipſo vitam & ſalutem quæramus, ita non minus idem diſci-

mus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mus ex eo, quod Ieſus appellatur. Neque enim temerè aut hominum arbitrio, ſed ab Angelo, Dei præcone, hoc nomen inditum eſt, addita etiam hac ratione, quod miſſus ſit, ut populum ſuum ſervet à peccatis, Matth. 1. 21. & Luc. 1. 31. Addit Petrus, non aliud eſſe nomen datum hominibus in quo oporteat ſalvos fieri, Act. 4. 19. Itaque ſimulac vel minimum ab eo deflectimus, neceſſe eſt ſalutem evaneſcere, quæ ſolida in ipſo reſidet. Quia vero mutila eſſet redemptio, niſi per continuos progreſſus ad ultimam uſque ſalutis viam nos perduceret, convenit diligenter expendere, quomodo nobis ab ipſo parta ſit ſalus: ut placandi Dei modum rectè norimus, ipſam reconciliationem anxiè expetamus, & firma fidei certitudine amplectamur, omnia denique repudiemus, quæcunq; poſſent huc vel illuc nos abducere. c. 16. S. 1.

14. Sed antequam longius progrediamur, illud dubium ſolvendum eſt, quomodo Deum Scripturæ dicant nobis inimicum fuiſſe, donec per Chriſtum reconciliatus eſt. Videtur enim hic aliqua repugnantiæ ſpecies: quia niſi jam ante nos amaſſet, Filium certè ſuum ex gratuita dilectione non dediſſet. Reſp. 1. Has phraſes ad ſenſum noſtrum eſſe accommodatas, ut melius intelligeremus, quam miſera noſtra ſit extra Chriſtum conditio. Etſi enim Dei paterna indulgentia ſatis commonſtret, quantum debeamus ipſius miſericordiæ, utile tamen fuit, nos metu iræ Dei & mortis æternæ horrore perculſos, adeoque conſternatos, ad Chriſtum deduci, extra quem non niſi infeſtũ nobis Deum poſſumus cernere. Ideo Scriptura nos pronuntiat alienatos fuiſſe à Deo, filios iræ, mortis & maledictionis reos, excluſos ab omni ſpe ſalutis & benedictionis, Satanæ & peccati mancipia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

pia, horribili deniq; exitio deſtinatos & implicitos: verum deprecatorem interceſſiſſe Chriſtum, eumque pœnas nobis debitas in ſe recepiſſe, pro iis ſatisfeciſſe, iram Dei placaſſe, ipſum denique fundamentum eſſe pacis noſtræ cum Deo, & vinculum paternæ Dei erga nos benevolentiæ. Nempe hac ratione melius ad vivum repræſentatur, è quanta calamitate erepti ſimus, & magis animus noſter permovetur, ut cupidè vitam in Dei miſericordia apprehendat, & qua decet gratitudine excipiat.

11. Licet pro captus noſtri infirmitate hæc dicantur, non tamen falſo. Deus enim ſumma eſt juſtitia, nec amare poteſt iniquitatem quam in nobis conſpicit. Verum quia nihilominus manemus ejus creaturæ, quod ſuum eſt in nobis, non vult perdere. Ergo gratuita dilectione excitatur ad nos in gratiam recipiendos. Vt autem totos nos ſuſcipiat, propoſita in morte Chriſti expiatione, quidquid eſt in nobis mali, ſimulq; omnem ſimultatis materiam abolet. Ergo ſua dilectione prævenit Deus Pater noſtram in Chriſto reconciliationem. Hanc ipſam tamen voluit intercedere, ut plenam firmamque cum Deo conjunctionem haberemus. Atque hæc cauſa eſt, cur paſſim dilectio Dei fundetur in Chriſto, Eph. 1. 4. ſic facile erit conciliare loca, quibus ſuam erga nos dilectionem declarat Deus, eo quod Filium ſuum tradiderit in mortẽ, & tamen nos inimicos fuiſſe dicitur, antequam morte Chriſti nos ſibi recõciliavit, Ioh. 3. 16. Rom. 5. 8. 10. nec aliter Auguſtinus. Miro & divino, inquit, modo, etiam quando nos oderat, diligebat. Oderat nos, quales ipſe nõ fecerat. Sed quia noſtra iniquitas opus ejus non omni ex parte conſumpſerat, noverat ſimul in unoquoque noſtrum & odiſſe, quod feceramus, & amare, quod fecerat.
C. 16. S. 3, 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

15. Iam ubi quæritur, quomodo abolitis peccatis diſſidium illud Chriſtus ſuſtulerit, nobisque juſtitiam, gratiam, & vitam acquiſiverit, reſpondemus. 1. Generaliter, ipſum toto obedientiæ ſuæ curſu hoc nobis præſtitiſſe, ſecundum hæc dicta, Rom. 5. 19. Gal. 4. 4. Matth. 3. 15. Phil. 2. 7. Quibus locis Chriſti obedientia, à principio exinanitionis, per omnem vitæ curſum, ad mortem uſque crucis deducitur. Atque huc pertinet voluntaria ſubjectio, quâ Deo ſponte ſeſe obtulit, quæ in hac obedientia primum gradum facile tenet, & ſine qua ſacrificium Chriſti nihil ad juſtitiam profuiſſet. De qua legere eſt, Ioh. 10. 15. Pſal. 40. 9. Hebr. 10. 5. Cujus hæc habemus argumenta non vulgaria, quod obmutuit coram tondente, & omiſſa defenſione ſtetit ad ſubeundum judicium Pilati, quodq; luctans cum horribili formidine, & inter diros cruciatus, ſui curam abjicere voluit, ut nobis conſuleret, Eſ. 53. 7. Ioh. 18. 4. Matth. 27. 11. Ita nempe tum indicibilis ſui erga nos amoris exhibuit ſpecimen, tum verò rite Deo litavit. 11. Speciatim tamen Scriptura morti Chriſti, tanquam proprium & peculiare, hoc aſcribit, Matt. 20. 28. Rom. 4. 25. Ioh. 1. 29. Rom. 3. 15. & 5. 9. 2 Cor. 5. 21. Nempe ut certius definiret modum ſalutis, & trepidas conſcientias, ad ſacrificium & ablutionem, quibus expiantur peccata, dirigeret, ubi conſolationem & quietem ſolidè reperiunt. Atque hac de cauſa in Symbolo Apoſtolico, ſtatim à natalibus Chriſti, tranſitus fit ad mortem & reſurrectionem ipſius, quoniam hic perfectæ ſalutis ſumma conſiſtit. c. 16. S. 5.

16. Hac occaſione nõ inutile fuerit ſtatum Chriſti, tum humiliationis, tum exaltationis, ex Symbolo Apoſtolico repetere. Ac primũ quidem, quod

paſſus

paſſus eſſe dicitur ſub Pontio Pilato. Nomen præfecti Iudææ & judicis exprimitur, non tantum ad Hiſtoriæ fidem, ſed vel maximè ut de duobus nos moneret. I. Cum audimus Chriſtum ſolemni judicis ſententia morti adjudicatum, & inter latrones eſſe ſuſpenſum, cogitemus non juſti aut inſontis, ſed peccatoris vices obiiſſe. II. Contra, ubi audimus eodem, quo damnatus fuit, ore ſæpius abſolutum, in mentem veniat, juſtum mortuum eſſe pro injuſtis, & alieno ſcelere gravatum. Ibi impleta fuit Prophetia Eſ. 53, 11. Cum ſceleratis fuit reputatus. Hic impletũ quod dicitur Pſ. 69. 5. Quæ non rapuit perſolvit. Hic à terreno judicio ad cœleſte Dei tribunal perducimur, ut credamus Chriſtum verè damnationem, quæ nos ex reatu manebat, in Dei judicio tunc ſubiiſſe, quando coram homine mortali & profano damnari ſuſtinuit. Neque enim à latronibus, aut per ſeditionem interfici conveniens erat, quod in ejuſmodi morte nulla ſatisfactionis ſpecies extitiſſet. Ideo reus ad tribunal Pilati ſiſtitur, teſtimoniis arguitur & premitur, ipſius judicis ore primum quidem abſolvitur, mox tamen veluti maleficus, morti addicitur, ut certo nobis conſtet, Chriſtum verè perſonam noſtram in Dei judicio ſuſtinuiſſe, & livore ſuo nos ſanaſſe, Eſ. 53. 5. c, 16. S. 5.

17. Ex hac doctrina illum conſolationis capimus fructum, quod reatum noſtrum intelligimus tranſlatum eſſe in caput Filii Dei, inque ejus damnatione nos habere noſtram abſolutionẽ, nempe ne poſthac trepidemus, aut per totam vitam anxii ſimus, ac ſi adhuc inſtaret juſta Dei ultio, quoniam certo ſcimus, Dei Filium eam in ſe tranſtuliſſe. cap. 16. S. 5.

18. Additur in Symbolo quod Chriſtus ſit *cru-*

cifixus.

cifixus. Hæc mortis ſpecies non caruit inſigni myſterio. Etenim eramus omnes maledicti ſententia Legis. Vt omni execratione nos eximeret Chriſtus, ipſe cruci affixus maledictioni ſe obnoxium fecit. Atque ita factum prorſus oportuit. Patet hoc I. ex ſacrificiis expiatoriis, quę pro peccato in Vet. Teſt. offerebantur. Hæc enim voce איש מות paſſim nominantur, qua peccatum ipſum propriè deſignabatur. Hac vocis trãſlatione innuitur victimas illas inſtar καθαρμάτων fuiſſe, quæ debitam ſceleribus execrationem ſuſtinerent. Illud vero in Chriſto, figurarum archetypo, pleniſſime fuit exhibitum, qui animam ſuam אשם, hoc eſt ſatisfactoriam peccati hoſtiam impendit, in quam rejecta macula & pœna nobis deſinit imputari. II. Ex loco Eſ. 53. 5. 10. ubi Chriſtus dicitur vulneratus & attritus propter peccata noſtra, & poſuiſſe delictum animam ſuam, eamque effudiſſe in mortem, noſtrasque iniquitates bajulaſſe, &c. Nempe quod ſordes noſtras abſterſurus iisdẽ per tranſlatitiam imputationem obtectus fuit. III. Apertius etiam loquitur Apoſtolus, 2 Cor. 5. 21. quando affirmat Chriſtum factum eſſe à Patre peccatum pro nobis, quo juſtitia Dei efficeremur in illo. IV. Eodẽ quoq; reſpexiſſe videtur, quum tradit de peccato damnatum fuiſſe peccatum in ejus carne, Rom. 8. 3. Pater enim vim peccati abolevit tranſlata maledictione in carnem Chriſti. c. 16. S. 6.

18. Hujus porro maledictionis Symbolum fuit crux, cui affixus eſt, teſte Apoſtolo, Gal. 3. 13. & Deut. 27. 26. concinente Petro 1 Pet. 2. 24. Erat ergo crux maledicta, non judicio tantum humano, ſed etiam Patris decreto. Ita ex ipſo maledictionis ſymbolo clarius intelligimus, onus, quo eramus oppreſſi, fuiſſe Chriſto impoſitũ. c. 16. S. 6.

19. Sic

19. Sic tamen intelligendus eſt maledictionem noſtram ſubiiſſe, ut ea tamen non fuerit obrutus. Quin potius eam ſubeundo, vim ejus univerſam fregit & diſſipavit. Ideo Paulus tam magnificè prædicat triumphum, quem in cruce ſibi peperit. Col. 2. 19. nec mirum, quia per Spiritum æternum ſeipſum obtulit Chriſtus. Vnde mirabilis illa crucis in currum triumphalẽ extitit converſio. c. 16. S. 6.

20. Sic ergo probè in crucis meditatione proficiemus, quando illud penitus cordibus noſtris inſidebit, tum peractam eſſe plenam pro peccatis litationem, ſimulque ablutionem acquiſitam, ut jam nihil ſit cur iram Dei horreamus. Chriſtus enim verè ἀπολύτρωσις eſt & ἀντίλυτρον, & ἱλαστήριον. Idcirco toties fit ſanguinis mentio, ubi modum redemptionis oſtendit Scriptura: quia nõ tantum ad litationem valuit, ſed lavacri etiam vice fuit ad ſordes noſtras purgandas. c. 16. S. 6.

21. Sequitur, *mortuum fuiſſe & ſepultum.* Atque hic rurſum videre eſt, quomodo vicem noſtram ubique ſubierit, ad ſolvendum redemptionis pretium. Mors enim nos jugo ſuo tenebat obligatos. In illius ergo poteſtatem ſe tradidit, quo nos inde eximeret. Et moriendo effecit, ne nos moriamur, adeoque morte ſua vitam nobis redemit, Hebr. 2. 9. c. 16. S. 7.

22. Cæterum hoc diverſum habuit à nobis, quod ita morti ſe veluti deglutiendum permiſit, non ut ejus poteſtate abſorberetur & proſterneretur, ſed magis ut eam abſorberet, & per mortem ſuam deſtrueret Diabolum, qui mortis habebat imperium, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti, Hebr. 2. 15. cap. 16. Sect. 7.

23. Porro morte ſua veterem hominem enecat,

ne

ne poſthac vigeat ac fructificet. Quo etiam ſepultura ejus pertinet, cujus conſortes dum ſimus, peccato & ipſi ſepelimur, Rom. 6.4. Col. 2. 12. & 3. 3. cap. 16. S. 7.

24. Proinde duplex in morte & ſepultura Chriſti ejusque participatione beneficium nobis fruendum proponitur, liberatio nempe à morte, cui mancipati eramus: & carnis noſtræ mortificatio. Neque enim, quando nos commortuos & conſepultos Chriſto dicit Apoſtolus, ad exprimendum mortis ejus exemplum duntaxat nos hortatur, ſed hanc illi ineſſe efficaciam declarat, quod tum liberet à morte, tum etiam membra noſtra terrena mortificet, ne ſuas in poſterum actiones exerceant. c. 16. S. 7.

25. Particulam de *deſcenſu ad inferos*, ex veterum ſcriptis apparet non fuiſſe ab omnibus in Symbolo repoſitam. Ex iiſdem tamen non pauci eam legerunt. Vnde conjicere licet, non protinus, ſed ſenſim Eccleſiis inſueviſſe. Verum quo tempore, aut à quibus inſerta fuerit, parum ad rem attinet. Illud conſtat I. Patres in ſcriptis ſuis deſcenſus Chriſti ad inferos meminiſſe. II. Oportet plenam eſſe fidei ſummam, modo ne quid ingeratur, quod non ſit petitum ex puriſſimo Dei verbo. Atqui deeſſet aliquid, ſi hæc particula omitteretur. III. Ex ipſa tractatione planum fiet, rei maxime utile nec ſpernendum myſterium hoc articulo contineri, quo prætertito, multum ex mortis Chriſti fructu deperiret. c. 16. S. 8.

26. Qui hanc particulam agnoſcunt, in ejus interpretatione ſententiis variant. Quidam opinantur nihil hic novum dici, ſed aliis tantum verbis repeti, quod prius de ſepultura dictum fuerat, quia inferni vocabulum, ſæpe pro ſepulchro ponitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nitur. Nos vocis ſignificationem admittimus, ab interpretatione tamen diſſentire cogimur, I. quia non eſt moris, ubi rem minimè difficilem verbis perſpicuis expreſſeris, poſt obſcuro verborũ complexu indicare magis, quam declarare. II. quia non eſt veriſimile, tam ſuperfluam battologiam potuiſſe irrepere in breve compendium, ubi ſummatim & pauciſſimis verbis præcipua fidei capita notantur. cap. 16. Sect. 8.

27. Alii ſecus exponunt, Chriſtum deſcendiſſe ad animas patrum, qui ſub lege mortui erant, ut nuntiaret illis peractam redemptionem, ac erueret ex carcere, quo incluſæ tenebantur. Atque huc trahunt teſtimonia Pſ. 107. 16. Zach. 9. 11. Poſteritas vero finxit locum eſſe ſubterraneum, cui nomen dedit Limbi. Reſp. I. Hæc de Limbo ſententia, quamvis magnos habeat authores, nihil tamen eſt, quam fabula. Valde verò puerile eſt coucludere in carcere aliquo mortuorum animas. II. Chriſti animam illuc deſcendere, ut eas manumitteret, non fuit opus. III. Libenter interea damus Chriſtum ipſis illuxiſſe virtute ſui Spiritus, ut gratiam quam ſpe duntaxat guſtaverant, mundo tunc fuiſſe exhibitam agnoſcerent. Quò non incommodè aptari poteſt locus Petri, 1 Pet. 3. 19 Chriſtũ prædicaſſe ſpiritibus, qui in ſpecula erant, nempe quia vis mortis ejus ad mortuos uſque penetravit, hoc tamen diſcrimine, quod fideles, ante id tempus defuncti, præſenti aſpectu viſitationis hujus intellexerint, ſe nobiſcum ejuſdem gratiæ eſſe conſortes: contra reprobis clarius patuit, ſe excludi ab onmi ſalute. IV. Quoad locum Pſal. 107. 16. dicimus eorum liberationes prædicari, qui in lõginquis regionibus capti in vincula conjiciuntur. Zacharias autem profundo & arido puteo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſeu abyſſo comparat Babylonicam captivitatem, ſimulque docet, Eccleſiæ totius ſalutem eſſe velut exitum à profundis inferis. Quid autem hæc ad carcerem ſubterraneum? cap. 16. S. 9.

28. Certior ergo expoſitio nobis quærenda eſt, quæ etiam ſepoſita ratione Symboli ex Dei verbo conſtare poteſt, non modo pia, ſed plena quoque eximiæ conſolationis. Nempe Chriſtum non corpoream tantum mortem ſubiiſſe, ſed eam, quæ ſceleratis ab irato Deo infligitur, adeoque diros in anima quoque cruciatus damnati & perditi hominis pertuliſſe, cum Diaboli poteſtate, cum æternæ mortis horrore, cum inferorum doloribus manum conſeruiſſe, quumque ſe ad Dei tribunal noſtra cauſa ſiſteret, omnia irati & punientis ſigna expertum eſſe, donec omnibus peractis pleniſſimè Deum Patrem nobis placaſſet. c. 16. S. 10, 11.

29. Atque hujus deſcenſus ad inferos exordium videre eſt in horto, quando tam anxiè luctatus eſt cum morte, eamque eſt deprecatus: progreſſum, quum ſanguineo ſudore defluxit, & Angelorum conſolationem inſolitam admiſit: ſupremum gradum, quando ſe ad Dei tribunal reum ſtare cognovit noſtri cauſa, & porrò ſe quaſi derelictum à Deo eſſe ſenſit, eaque de re magno cum clamore conqueſtus eſt, Matth. 26. 38, 39. Luc. 22. 24, 43, 44. Matth. 27. 46. c. 16. S. 12.

30. Præter ea, quæ jam diximus ex hiſtoria mortis Chriſti, alias porrò ſententiæ noſtræ producimus rationes. 1. Hoc ſenſu Petrus dixit Chriſtum reſurrexiſſe, ſolutis mortis doloribus, à quibus impoſſibile erat ipſum teneri vel ſuperari, Act. 2. 24. Intelligit autem dolores quos parit maledictio & ira Dei, quæ origo mortis eſt. 11. Idem docet Apoſtolus, Heb. 5. 7. cum inquit, Chriſtum

à metu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

à metu ſuo fuiſſe exauditum, poſtquam cum lachrymis & clamore valido oraſſet: non ſane, ut à morte eſſet immunis, ſed ne abſorberetur ut peccator, quia illic perſonam noſtram gerebat. Non poteſt autem fingi magis formidabilis abyſſus, quam ſentire te à Deo derelictum, & cum invocaveris, non exaudiri. In hanc anguſtiam vero Chriſtum fuiſſe dejectum, conſtat ex Pſal. 22. 1. Matth. 27. 46. quæ verba ex intimo animi angore & vero ſuo ſenſu, non, ut quidam putant, ex aliorum tantum opinione protulit. III. Sic etiam fieri oportuit, ut nempe divinæ ultionis ſeveritatem ſentiret, quo & iræ Dei intercederet, & juſto ejus judicio ſatisfaceret. Quo etiam nomine percuſſus dicitur à Patre, & attritus propter noſtra ſcelera, &c. Eſ. 53. 5. Nempe, quia in locum ſceleratorum ſponſorem ſe & vadem ſtitit, qui omnes dependeret pœnas nobis debitas, hoc excepto quod doloribus mortis non potuit detineri. IV. Niſi pœnæ particeps fuiſſet anima, corporibus tantum fuiſſet redemptor. V. Servatorem noſtrum decuit, non tantum cum morte communi, ſed etiam cum morte æterna luctari, & utramque ſuperare, ut utriusque metum nobis eximeret. VI. Hoc quoque maximum in doloribus noſtrum eſt ſolatium, quod ſcimus Mediatorem hunc expertum eſſe noſtras infirmitates, & tanto propenſiorem eſſe ad ſuccurrendum miſeris, Heb. 4. 15. Denique, qui ſummum illum Chriſti dolorem fingunt vulgarem aliquem tantum fuiſſe & levi de cauſa conceptum, nec honorifice de Chriſto loquuntur, & paſſionem ejus turpiter extenuant, tum vero, quanti Chriſto ſalus noſtra conſtiterit, & quid ſit aut valeat nos redemptos eſſe à ſevero Dei judicio, nunquam probè aut ſerio cogitarunt. c. 16. S. 10. 11. 12.

31. Solet hic objici. I. Hac interpretatione perverti ordinem Symboli. Abſurdum vero ſubjicere ſepulturæ, quod jam ante præceſſit. Reſp. Poſt ea, quæ in hominum conſpectu paſſus eſt Chriſtus, opportune ſubjici inviſibile & incõprehenſibile judicium quod coram Deo ſuſtinuit, ut ſciamus non corpus tantum ſuum, ſed & animam, tanquam majus aliquod & excellentius pretium redemptionis, Chriſtum tradidiſſe. cap. 16. Sect. 10.

32. Obj. II. Ex hac ſententia ſequi, Deum Patrem Filio ſuo adverſarium & iratum fuiſſe. Reſp. non eſſe conſequens. Nam Pater Filium ſuum ſemper diligit, & ejus interceſſione placari cum velit, nunquam ipſi poteſt eſſe infenſus. Quia tamen peccatoris perſonam ſuſtinebat, placuit Patri ad tempus eum percutere & affligere, Eſ. 53. 5. 10. c. 16. S. 11.

33. Obj. III. Nos atrocem injuriam facere Chriſto, quem minimè conſentaneum fuerit de animæ ſalute metuere. Reſp. I. Improbè negari, quod tam apertè prædicant Euangeliſtæ, Chriſtum ſcilicet, antequam inſtaret mortis tempus, turbatum fuiſſe Spiritu, & graviſſimo mœrore affectum, in ipſo verò congreſſu cœpiſſe expaveſcere vehementius. Itaque niſi nos crucis pudeat, confidenter profiteri triſtitiam Chriſti convenit. II. Non dicimus de animæ ſalute metuiſſe, ſed luctatum eſſe cum horrore mortis, & de illo victoriam reportaſſe, ut eos, qui proſtrati jacebant, erigeret. c. 16. S. 12.

34. Inſtant. Hac ratione, quod vitioſum eſt, indignè Chriſto tribui. Reſp. I. Scripturam hæc duo ſimul conciliare, Chriſtum fuiſſe tentatum per omnia, ſicut & nos, tamen absque peccato.

II. Non

II. Non violentia aut neceſſitate coactus huic infirmitati ſe ſubjecit, ſed mero noſtri amore & miſericordia jnductus. Quidquid autem ſponte paſſus eſt pro nobis, tantùm abeſt ut quidquam minuat ex ejus virtute, ut tanto magis affulgeat ejus bonitas, quod infirmitates noſtras in ſe ſuſcipere non eſt gravatus. III. In eo maximè falluntur iſti diſputatores, quod naturæ noſtræ depravationem à Chriſti puritate non diſtinguunt. Noſtri affectus turbido impetu modum excedunt. At Chriſti infirmitas ab omni vitio & labe pura fuit. Itaque in cunctis ejus affectibus viguit moderatio, quæ exceſſum & vitium prohiberet. Vnde nobis in dolore, metu, ac formidine ſimilis eſſe potuit, ut tamen hac nota in immenſum differret. Cujus manifeſtum eſt argumentum, quod intra obedientiæ limites ſemper ſe continuit. c. 16. S. 12.

35. Obj. IV. Si huic explicationi locus detur, deſperationem tribui Chriſto, quæ fidei eſt contraria. Quamvis ergo mortem timuerit Chriſtus, tamen maledictionem & iram Dei, à qua ſe tutum eſſe noverat, non metuiſſe. Reſp. I. Sic Chriſtum molliorem & magis meticuloſum ſtatui, quam pleroſque gregarios homines, quorum aliqui contumaciter ad mortem meritam properant, multi eam alto animo deſpiciunt, alii placidè eam obeunt. II. Cum præ vehementia cruciatus guttæ ſanguinis ex facie ejus defluxerint, Angelos ad ejus conſolationem è cœlo deſcendere neceſſe fuerit, ipſe ter repetita precatione calicé illum à ſe tranſire petierit, ſatis evincitur, aſperius & magis arduum certamen Chriſto fuiſſe quam cum communi morte. III. A deſperatione tamen longiſſime abfuit. Nam I. etſi ſupra modum angitur, non tamen deſinit Deum vocare Deum ſuum, à

quo ſe derelictum exclamat, Matth.27.47. Ergo talis fuit hæc tentatio ex ſenſu doloris & metus profecta, quæ cum fide non pugnaret. 2. talis fuit tentatio, quam pugnando vicit. Et ſic impletum eſt, quod dicitur Act. 2. 24. non potuiſſe Chriſtum detineri doloribus mortis. Quamquam enim ad momentum ſeſe occultaverit divina vis Spiritus, ut infirmitati carnis locum daret, tandem tamen ſe exeruit, & de omnibus hoſtibus triumphum egit. cap. 16. Sect. 12.

36. Atque in eo noſtra ſita eſt conſolatio, quod hoc deſcenſu mors planè ſit peremta, ne in morte ea formidemus, quæ Princeps noſter deglutivit, Hebr. 2. 15. c. 16. S. 10.

37. Porrò hinc etiam refellitur tam Apollinaris, quam Monothelitarum error. Ille fingebat Chriſto Spiritum æternum fuiſſe vice animæ. Atqui 1. hac ratione Chriſtus fuiſſet tantum dimidius homo. 2. non potuit expiare peccata, niſi Patri obediendo. Hæc autem obedientiæ voluntas, non eſt, niſi in anima. 3. Ideo etiam hanc turbatam eſſe ſcimus, ut animæ noſtræ, diſcuſſâ trepidatione, pacem obtineant. c. 16. S. 12.

38. Ad hæc contra Monothelitas, videmus Chriſtum ſecundum hominem noluiſſe, quod volebat ſecundum Divinam naturam. Neque enim obſcura eſt repugnantiæ ſpecies, Ioh. 12. 27, 28. In qua tamen nulla fuit intemperies, qualis in nobis cernitur, quia metum, de quo loquuti ſumus, contrario affectu ſubegit. c. 16. S. 12.

39. Humiliationem Chriſti ſequitur ejus exaltatio. Et primum quidem in eo, quod *à mortuis reſurrexerit*. Qua voce & mortis & reſurrectionis veritas exprimitur. Eandem enim, qua cæteri homines naturaliter defunguntur, mortem obiit, & in

& in eadem, quam mortalem ſuſceperat, carne immortalitatem recepit. c.16. S.13.

40. Rectè autem cum morte conjungitur reſurrectio. Nam in cruce, morte, & ſepultura Chriſti non niſi infirmitas apparet. At hęc fidei tranſilienda ſunt, ut pleno robore inſtruatur. Nam tametſi per mortem ſublata ſit maledictio, & pœna perſoluta, unde ſatisfactio exiſtit, & noſtra cum Deo reconciliatio, adeo ut in morte habeamus ſolidum ſalutis complementum, non tamen ſine cauſa revocamur ad Chriſti reſurrectionem, per quam dicimur regenerati in ſpem vivam, 1 Pet. 1. ℣. 3. per quam inſtaurata & reſtituta eſt juſtitia, Rom. 5. 25. in qua Chriſtus declaratus eſt Filius Dei, Rom. 1. 4. quâ denique nobis factus eſt reſurrectio & vita. Nempe ut fidei noſtræ victoria tanto eſſet certior. Ideo paſſim mors & reſurrectio conjunguntur, Rom. 5. 25. 2 Cor. 13. 4. Phil. 3. 10. 1 Pet. 1. 21. Rom. 8. 34. Et niſi hæc reſurrectio cordibus noſtris hęreret infixa, abolita eſſet fides, & inane ac fallax videretur Euangelium, ut rectè diſputat Apoſtolus 1 Cor. 15. 17. Quomodo enim liberare nos à morte poterat, ſi ipſe morti ſuccubuiſſet? aut quomodo comparaſſet nobis victoriam, ſi in certamine defeciſſet? c.16. S.13.

41. Nec vero turbare debet, quod aliàs ſolius mortis, aliàs reſurrectionis duntaxat fit mentio. Sic enim ſalutis materiam inter Chriſti mortem optimè partiemur, ſi per illam dixerimus peccatũ eſſe abolitum, mortemq; extinctam, per hanc reparatam eſſe juſtitiam & vitam, ita tamen, ut reſurrectionis beneficio vim efficaciamque ſuam mors nobis proferat. Itaq; divelli non poſſunt, ſed quoties hæc aut illa ſeorſim ponitur, per Synecdochem una ſub altera cõprehendi debet. c.16. S.13,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

42. Hinc triplex exiſtit fructus, I. Quod reſurrectione Chriſti reſtituta nobis ſit & applicata juſtitia noſtra coram Deo atq; vita, quę eſt fidei ac ſpei noſtræ baſis. II. Quod ſicut communione crucis & mortis Chriſti membra noſtra mortificantur, ita participatione reſurrectionis Chriſti in vitæ novitatem regeneramur, non exemplo tantum; ſed vel maximè reſurrectionis ejuſdem virtute, per quam vivificamur, Rom. 6, 4. Col, 3. 1. 5. III. Quod Chriſti reſurrectio arrha eſt & certiſſima hypoſtaſis futuræ noſtræ reſurrectionis, 1 Cor. 15. cap. 16. S. 13.

43. Reſurrectioni non abs re annectitur *in cœlum aſcenſus*. Etſi enim gloriam & virtutem ſuam reſurgendo plenius illuſtrare cœpit, ſua tamen demum in cœlum aſcenſione regnum ſuum verè auſpicatus eſt. Aſcendit enim ut impleret omnia, Eph. 4. 10. & Spiritum ſanctum majore abundantiâ mitteret, Ioh. 16. 7. regnum ſuum promoveret, potentiam maximam tùm in adjuvandis ſuis, tum in hoſtibus dejiciendis exerceret. c. 16. S. 14.

44. Atque hoc corporalis abſentiæ Chriſti non exiguum eſt ſolatium, quod eum nobis adeſſe ſcimus, inviſibili quidem modo, ſed magis optabili, quia certiore experientia edocti ſumus eum præſentiſſimâ virtute cœlum ac terram regere, imperium vero quo potitur, & quam exercet potentiam, non modo ad beate vivendum, ſed feliciter quoque moriendum fidelibus ſufficere: denique ſic etiam ſecundum promiſſionem ſuam nobiscum manet uſque ad ſæculi conſummationem, Matth. 28. 20. Nam ſicut corpus ejus ſupra omnes cœlos eſt elevatum, ita virtus & efficacia ultra omnes cœli ac terræ fines diffuſa eſt atque propagata. c. 16. S. 14.

45. Sub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

45. Subjicitur, Chriſtum conſediſſe ad dextram Patris, ſimilitudine à principibus ſumpta, qui ſuos habent aſſeſſores, quibus regendi & imperandi vices demandant. Ita quoque Chriſtus, veluti cœli & terræ dominio inauguratus, commiſſæ ſibi adminiſtrationis poſſeſſionem ſolemniter tunc adiit & in ea perſtat, donec redeat ad judicium, Eph. 1. ℣. 20. Phil. 2. 9. 1 Corinth. 15. 27. In Chriſto enim exaltari & per eum regnare vult Pater. Huc ergo tendit illa ſeſſio, ut Chriſti majeſtatem omnes creaturæ ſuſpiciant, manu ejus regantur, nutum intueantur, virtuti ſubjectæ ſint. cap. 16. Sect. 15.

46. Proinde errant, qui per ſeſſionem ſimpliciter beatitudinem deſignari putant. Porro nihil refert quod etiam ſtare dicitur ad dextram, Act. 7. ℣. 56. quia non de corporis conſtitutione, ſed imperii majeſtate hic agitur. c. 16. S. 15.

47. Hinc multiplicem fructum colligit fides. I. Quod Chriſtus nobis aperuerit aditum regni cœleſtis, qui per Adamum præcluſus fuerat. Quando enim noſtro nomine cœlum eſt ingreſſus, quod ſpe exſpectamus, in capite noſtro jam poſſidemus, Eph. 2. 5. II. Agnoſcimus illum non ſine magno noſtro bono apud Patrem reſidere, ſiquidem coram ejus facie aſſiduus pro nobis interceſſor apparet, & tum juſtitia ſua, tum interceſſione viam nobis & aditum ſternit ad Dei thronũ, Heb. 7. 25. & 9. 11. Rom. 8. 34. III. Sic etiam Chriſti potentiam apprehendimus, in qua ſitum eſt robur noſtrum, & adverſus inferos gloriatio. Etenim ſedens in excelſis, transfuſa inde ad nos ſua virtute, in vitam ſpiritualem nos vivificat, variis dotibus Eccleſiam locupletat, protectione conſervat, hoſtes coërcet, donec illis omnibus proſtratis, Eccleſiam

conſummet, & in reditu ad judicium, ultimum actum compleat. c 16. S. 16.

48. Nec ſine cauſa fides noſtra in illius reditus contemplationem vocatur. Etſi enim non obſcura præſentiſſimæ virtutis documenta ſuis Chriſtus præbeat, tamen ſub carnis humilitate regnum ejus quodammodo in terris adhuc delitescit. Ideo jubemur oculos & mentem attollere ad viſibilem illam præſentiam, quam ſupremo die manifeſtabit. cap. 16. S. 17.

49. Deſcendet enim Chriſtus viſibili forma & omnibus apparebit, cum ineffabili majeſtatis & immortalitatis fulgore, immensâ divinitatis potentia, Angelorum ſatellitio, tubarum clangore. Et ab extremis terræ angulis omnes accerſentur ad ipſius tribunal, tam mortui, quam viventes, nec erit quisquam qui judicium ejus effugiet. Electi denique ſeparabuntur à reprobis. c. 16. S. 17.

50. Nec obſtat, quod omnibus hominibus conſtitutum eſt ſemel mori, Hebr. 9. 27. quaſi nullos viventes dies illa ſit deprehenſura. Nam 1. conſtat vivos & mortuos ad judicium citandos, ex 1 Theſſ. 4. 16. Act. 10. 42. 2 Tim. 4. 1. II. Non morientur, qui vivi erunt ſuperſtites, naturali modo & ordine, mutationem tamen patientur, quæ illis inſtar mortis erit. Interibit enim & abſorbebitur momento mortalis eorum vita, & in novam penitus naturam transformabitur: quem interitum nemo negaverit mortem eſſe, 1 Cor. 15. ℣. 51. cap. 16. S. 17.

51. Hinc egregia piis oritur conſolatio, quod penes Principem ſuum clementiſſimum, & caput, & patronum atque interceſſorem judicium eſſe audiunt, nec ad aliud tribunal ſe ſiſtēdos eſſe, quam redemptoris ſui, à quo ſalus ſit expectanda.

Nam

Nam I. fieri non poteſt, ut populum ſuum & membra, & clientes velit perdere. II. Quod per Euangelium jam promittit, tunc judicando ratum faciet. III. Nos ſibi conſortes honoris in judicando deſtinavit. Ergo ad noſtri condemnationem tribunal non conſcendet. Concludimus, ideo datum eſſe à Patre omne judicium Filio, ut conſcientiis noſtris terrore judicii trepidis conſuleretur. cap. 16. S. 18.

52. Hactenus Symboli Apoſtolici, quâ de Chriſto loquitur, ordinem ſequuti ſumus. Apoſtolicum vocamus, quia magno veterum ſcriptorum conſenſu Apoſtolis tribuitur: ſive quod conſcriptum ab illis in commune exiſtimaverint, ſive quod compendium illud ex doctrina eorum, per manum tradita, bona fide ad nos transmiſſum fuerit. Illud conſtat, ab ipſo Apoſtolorum ſeculo, inſtar publicæ & receptæ confeſſionis locum obtinuiſſe. De Auctore non ſumus magnoperè ſolliciti. Sufficit enim nobis certam habere Spiritus Sancti veritatem, etſi non plenè intelligamus, cujus ore fuerit enuntiata, aut cujus manu deſcripta. Hęc certè extra controverſiam ponimus I. totam fidei noſtræ hiſtoriam in hoc Symbolo ſuccinctè & diſtinctè recenſeri. II. Nihil in eo contineri, quod ſolidis ſcripturæ teſtimoniis non ſit conſignatum. c. 16. S. 18.

53. Ex his, quæ dicta ſunt, concludimus, omnem ſalutis noſtræ ſummam, & ſingulas ejus partes in Chriſto eſſe comprehenſas. Salutem habemus in nomine Ieſu: Spiritus Sancti dona in ejus unctione: robur in ejus dominio: in conceptione puritatem: in nativitate indulgentiam: redemptionem in paſſione: abſolutionem in condemnatione: maledictionis remiſſionem in cruce:

ſatis-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſatisfactionem in ſacrificio: purgationem in ſanguine: reconciliationem in deſcenſu ad inferos: mortificationem carnis in ſepulchro: vitæ novitatem & immortalitatem in ejus reſurrectione: hæreditatem regni cœleſtis in cœli ingreſſu: pręſidium, ſecuritatem, omnium bonorum copiam in ejus regno: ſecuram judicii expectationem, in poteſtate judicandi, quæ Chriſto tradita eſt. Ex hoc theſauro abundè genus omne bonorum ad ſatietatem haurire licet. Hoc uno proinde contenti ſimus. Caveamus autem ne vel minimam portiunculam aliò derivemus. Nec juvat in Chriſtum præcipuè reſpicere, interea huc atque illuc in ſpes varias deferri. Eo ipſo namque rectam viam non tenent, quod aliquam ſuæ cogitationis partem aliò deflectunt: quamquam id nemo faciet, cui abundantia bonorum Chriſti probè cognita fuerit. cap. 16. S. 12.

54. Hæc etiam quæſtio auctarii vice expedienda nobis eſt, an Chriſtus aliquid meruerit, & an ſibi meruerit. Ad primam quęſtionem homines quidam arguti ſic reſpondent, ut fateantur quidem nos ſalutem per Chriſtum conſequi, nomen tamen meriti non admittant, quod eo putent obſcurari Dei gratiam. Ideo Chriſtum volunt inſtrumentum eſſe duntaxat, vel miniſtrum gratię. At 1. repugnat Petrus, qui eum Principẽ vitę nominat. Act. 3. 11. Et poſt probabimus Chriſtum verè nobis meritum eſſe. 11. Si ſimpliciter & per ſe Chriſtus opponitur Dei judicio, fatemur nullum merito eſſe locum. Quibus enim fidei vel operum meritis, ut rectè Auguſtinus diſputat, hoc potuiſſet conſequi, ut eſſet Filius Dei unigenitus, & homo juſtus, qui nunquam eſſet injuſtus? Quum ergo de merito Chriſti agitur, non in eo, ſed in Dei ordinatione,

qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

qui eum Mediatorem nobis dedit, prima cauſa quęrenda eſt. III. Inſcitè opponitur Chriſti meritum miſericordię Dei. Sunt enim ſubalterna. Ideoque nihil obſtat, quo minus hominum juſtificatio ſit ex Dei miſericordia, & ſimul interveniat meritum Chriſti. Vtrumque autem rectè meritis & juſtitiis noſtris opponitur, ſuo tamen ordine: quia Chriſtus ſua obedientia iram Dei placavit: hoc ipſum tamen non niſi ex Dei beneplacito mereri potuit. cap. 17. S. 1.

55. Hanc diſtinctionem ex variis Scripturæ locis colligimus, Ioh. 3. 16. 1 Ioh. 4. 10. Col. 1. ℣. 20. 2 Cor. 5. 19. Eph. 1. 6. & 2. 16. 2 Cor. 5. ℣. 25. Hinc conſtat dilectionem Dei primum tenere locum, tanquam primam cauſam & originem: ſequi porro fidem in Chriſtum, tanquam cauſam ſecundam & propiorem, quia in Chriſto à Deo electi, & reconciliati, & gratiam conſecuti ſumus, &c. Quo etiam pertinet vox *placandi*. Nam Deus erat infenſus nobis, donec reconciliatus eſt in Chriſto. Et tamen eodem tempore, imò ante mundum conditum nos amavit. Nempe quia tum amorem hunc ſuum exeruit, ubi Chriſti ſanguine placatus fuit, ne quid eſſet, quod amori ejus obſtaret. Ita principium amoris eſt juſtitia Chriſti, per quam nos, naturâ filii irę, & per peccatum alienati, Deo placemus. Denique eadem diſtinctio notatur, quoties charitati Dei adjungitur Chriſti gratia. De ſuo enim nobis Chriſtus largitur, ut hoc ipſum tamen ſit Dei gratia, & ab ipſo proveniat, ne ſeorſim à Patre hanc laudem Chriſto tribuamus. c. 17. S. 2.

56. Si quis excipiat, Chriſtum non niſi formalem eſſe cauſam, is ſane nimis extenuat ejus virtutem. Eſt enim ſalutis noſtrę materia in Chriſto

quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quærenda, ſiquidem juſtitiam fide Chriſti conſequimur. Ipſe eſt ἱλασμὸς pro peccatis noſtris, 1 Ioh. 2. 2. & 4. 10. per ſanguinem crucis ejus, per ipſum Deo ſumus reconciliati, Col. 1. 20. 2 Cor. 5. 19. in ipſo gratos nos habuit, Eph. 1. 6. & 2. 16. cap. 17. S. 2.

57. Quod autem Chriſtus ſua obedientia gratiam, apud Patrem nobis ſit prometitus, ex pluribus Scripturæ locis ſolidè colligitur. Illud pro confeſſo ſumimus, ſi pro peccatis noſtris Chriſtus ſatisfecit, ſi pœnam nobis debitam perſolvit, ſi obedientia ſua Deum placavit, ſi juſtus pro injuſtis paſſus eſt, tum ſane per Chriſtum ſalus nobis parta eſt. Hoc autem tantundem valet ac promereri. At prius verum eſt: quod ſic demonſtramus. I. Ex loco Pauli Rom. 5. 10. 11. 19. Eramus inimici, jam reconciliati ſumus Deo per mortem Chriſti. Adami inobedientia conſtituti fuimus peccatores, ſed Chriſti obedientiâ conſtituti ſumus juſti. Ergo hac ratione placatus eſt Deus, & nos in ejus favorem recepti ſumus. Placatio vero & offenſionem ſupponit, & ſatisfactionem in ſe complectitur. II. Ex 1 Ioh. 1. 5. Luc. 22. 20, Iohan. 1. 29. Heb. 9. 12. 13. 22. His locis docemur nos ſanguine Chriſti eſſe mundatos, eundem effuſum fuiſſe in remiſſionem peccatorum, per Chriſti ſacrificium tolli & aboleri peccata, ſanguine & morte Chriſti æternam nobis partam eſſe redemptioné. Habet ergo Chriſti ſacrificium & ſanguis vim expiandi, placandi & ſatisfaciendi. Si enim de veteribus ſacrificiis Moſi licuit pronuntiare, quod expiarent & delerent peccata, cum tantum figuræ eſſent, multo magis hoc Chriſto competit, in quo illæ ſunt impletæ. III. Ex Gal. 3. 13. Eſa. 53. 5. 6. 1 Pet. 2. 24. Hic maledictio nobis debita, & caſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

gatio noſtræ pacis, adeoque peccata & ſcelera noſtra dicuntur Chriſto impoſita. Onus ergo damnationis noſtræ ipſe pertulit: non alia certe de cauſa, niſi ut pro quibus perſolvebat, illis juſtitiam acquireret. IV. Ex Rom. 3. 24. 1 Petr. 1. 18. 19. 1 Cor. 6. 20. 1 Tim. 2. 5. 6. Vbi redemptionis & pretii ſit mentio, quod Chriſtus pro nobis dedit in morte. At hoc conſtare non poſſet niſi pœna, quam meriti eramus, in Chriſtum rejecta fuiſſet. Precium enim ſatisfactionem infert. His affinia ſunt quæ dicuntur Col. 1. 14. redemptionem noſtram eſſe remiſſionem peccatorum, nempe quia ſanguis in ſatisfactionem pro peccatis reſpondet. Et Col. 2. 14. deletum eſſe chirographum, quod nobis erat contrarium. Solutio enim vel compenſatio notatur, quæ nos à reatu abſolvit. V. Ex collatione locorum Gal. 2. 21. Lev. 18. 3. Act. 13. 38. Quod enim lex promittit, non niſi Chriſtus confert. Iam verò lex præcipit mandati obſervationem. Hoc onus in ſe ſuſcepit Chriſtus, noſque Deo perinde reconciliavit, ac ſi ipſi legem obſervaſſemus. quod, quid aliud eſt, quam favorem hunc nobis eſſe promeritum? VI. Ex Gal. 4. 4. Quorſum enim legi ſe Chriſtus ſubjecit, niſi ut ipſe ſuſciperet præſtandum, cui nos ſolvendo non eramus? VII. Hinc etiam illa juſtitiæ imputatio, de qua paſſim Paulus diſſerit, ut Rom. 4. 5. &c. Nobis enim accepta fertur, quæ non noſtra, ſed Chriſti eſt juſtitia. Ergo promerita. VIII. Eâdem de cauſa caro Chriſti, in juſtitiæ precium crucifixa, cibus noſter vocatur, ut ſciamus in eo tantum reperiri vitæ ſubſtantiam qui ſe ipſum tradidit ſacrificium in odorem bonæ fragrantiæ, Ioh. 6. 55. Eph. 5. 2. IX. Ex Rom. 4. 25. 1 Ioh. 2. 12. Si enim Chriſtus propter peccata noſtra & juſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tiam noſtram mortuus eſt & reſurrexit, & propter ipſum nobis remittuntur peccata, & ſi propter ipſum vivimus, Ioh.6.57. Phil. 1. 29. conſicitur non modo ſalutem per Chriſtum nobis datam eſſe, ſed Patrem nobis ejus gratia & merito factum eſſe propitium. c. 17. S. 3, 4, 5.

58. Iam ſecundo loco quæritur, An Chriſtus etiam ſibi aliquid meruerit. Et Scholaſtici quidem curioſius quam par eſt, hoc aſſerunt & definiunt. Nobis ſecus videtur. I. Quia Filius Dei non deſcendit, ut ſibi aliquid novi acquireret. II. Cauſam miſſionis Filii Scriptura aſſignat, non ut meritis utilitati ejus conſuleretur; ſed quia Pater mundum amavit, Iohan.3.16. Rom.8.32. III. Notandæ loquutiones Propheticæ. *Nobis natus eſt & datus*, Eſai. 6. 9. *Rex tuus venit tibi*, Zach.9.9. IV. *Chriſtus pro inimicis mortuus eſt*, Rom.5.10. Ergo ſui rationem non habuit. V. Chriſtus teſtatur ſe ſanctificare ſeipſum pro ſuis. Sane nihil ſibi acquirit, qui fructum ſanctitatis ſuæ in alios transfert. VI. Denique ut ſe totum addiceret in ſalutem noſtram, quodammodo ſui oblitus eſt. c.17.S.6.

59. Objiciunt locum Phil.2. 9. ſed præpoſterè. Nam I. Nullis meritis hoc aſſequi potuit homo, ut judex eſſet mundi, & caput Angelorum, ſummum denique imperium & majeſtatem obtineret, cujus vel milleſimam partem nullæ hominum vel Angelorum virtutes attingere poſſunt. II. Paulus non de cauſa exaltationis Chriſti diſſerit, ſed conſequentiam duntaxat oſtendit paſſionis & honoris Chriſti, ut ejus exemplo nos ad humilitatem componamus. III. Aliud denique nihil docet Apoſtolus quam Chriſtum oportuiſſe pati & ſic intrare in gloriam Patris, Luc.24. 26. cap. 17. S. 6.

THESES

THESES THEOLOGICÆ.

DISPVTATIO I,

De modo percipiendi gratiam Chriſti, de Fide, ejusque effectis & fructibus.

Ex lib. 3. cap. 1. 2.

THESIS I.

SVperiori libro ſatis ſuperque probatum eſt, omnem ſalutis noſtræ ſummam in Chriſto contineri, & quæcunque Pater Filio contulit bona, ea Chriſtum non in privatum uſum accepiſſe, ſed ut nos inopes, egenosque locupletaret. Itaque videndum ſupereſt, quomodo hæc bona ad nos perveniant. Illud enim primò ſtatuendum eſt, quamdiu à Chriſto ſumus ſeparati, quæcunque Chriſtus paſſus eſt, aut fecit, aut poſſidet, nihil ad nos attinere. Opus ergo eſt, ut nobiſcum bona ſua communicet. Et ut hoc fiat, oportet ipſum noſtrum fieri, in nobis habitare, nosq; cum ipſo in unum coaleſcere. Qua de cauſa Chriſtus quidem caput noſtrum vocatur, & primogenitus inter multos fratres, Eph. 4. 15. Rom. 8. 29. nos vero ipſi viciſſim dicimur inſeri, eumque induere, Rom. 11. 17. Gal. 3. 17. cap. 1. S. 1.

2. Hæc unio, & ex ea fluens Chriſti ac beneficiorum ejus communio, fit per fidem & per Spiritum S. Sed cum non omnes amplectantur Chriſti communicationem, prius nobis de arcana Spiritus efficacia dicendum eſt. Ac de æterna quidem Spiritus Deitate primo libro ſatis diſſeruimus. Nunc illud inquirendum venit, quomodo per Spiritum Chriſto ejusque bonis omnibus fruamur. cap. 1. Sect. 1.

3. I. Notetur, quod Spiritus Chriſto teſtimonium

nium exhibet, non externum tantum in verbo, ſed vel maximè internum illud, quod cordibus noſtris ſigilli vice inſculpitur & quo ablutio ac ſacrificium Chriſti intus obſignatur. Qua de re videre eſt 1 Ioh. 5. 7, 8. Simul ergo conjungi oportet, tum obedientiam & aſperſionem ſanguinis Chriſti, tum ſanctificationem & arcanam irrigationem Spiritus, ne parta per Chriſtum ſalus nobis effluat, 1 Petr. 1. 2. 1 Cor. 6. 11. c. 1. S. 1.

4. II. Tenendum eſt, quod Chriſtus peculiari modo venit inſtructus Spiritu ſancto, nempe ut nos à mundo ſegregaret, ac in ſpem colligeret æternæ hæreditatis. Vnde etiam Spiritus ſanctificationis dicitur, quia radix eſt ac ſemen vitæ cæleſtis in nobis. Illud autem conſtat ex elogiis, quibus regnum Chriſti commendatur ab uberiore Spiritus effuſione, Ioël. 2. 28. Docet enim ſub figura Prophetiæ, quomodo Deus illuſtratione Spiritus ſibi facturus eſſet diſcipulos. 2. Non abs re Spiritus hic ſimul & Patris & Filii Spiritus eſſe dicitur, Rom. 8. 9. quia Pater hujus cæleſtis doni author eſt, apud Chriſtum verò hæc bona depoſita ſunt, ut aliis largiatur, non tantum, quatenus eodem Spiritu cum Patre ab æterno eſt conjunctus, ſed ſecundum Mediatoris quoque perſonam. 3. Ideo omnes invitat, ut de hoc Spiritu bibant, Ioh. 7. 37. 4. Hinc dicitur ſingulis diſtribuere Spiritum pro menſura, Eph. 4. 7. Atque hoc ſenſu vocatur ſecundus Adam è cœlo datus, in Spiritum vivificantem, eo quod ſuis vitam inſpirat ſpiritualem, 1 Cor. 15. ℣. 45. Denique huc referri convenit, quod charitas Dei effuſa dicitur per Spiritum in cordibus noſtris, Roman. 5. 5. Et gratia Chriſti atque charitas Dei jungitur cum Spiritus communicatione, 2 Cor. 13. 13. nempe quia ſine iſta,

nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nec paternum Dei favorem, nec Chriſti beneficentiam quisquam guſtabit. cap. 1. S. 2.

5. III. Convenit hîc annotare elogia, quibus Spiritum inſignit Scriptura, ubi de exordio & tota ſalutis inſtauratione agitur. Eſt 1. Spiritus adoptionis, Rom. 8. 15. Gal. 4. 6. teſtis internus paternæ Dei in nos benevolentiæ, nos etiam tanquam filios ad precandum animans. 2. Eſt arrhabo & ſigillum noſtræ hæreditatis, Epheſ. 1. 14. 2 Cor. 1. 21. 22. quia ſic nos vivificat, ut ſimul certos reddat, ſalutem noſtram ſub fideli cuſtodia Dei in tuto poſitam eſſe. 3. Eodemque pene ſenſu vita noſtra dicitur propter juſtitiam, Rom. 8. 10. 4. Sæpius vocatur aqua, Eſ. 55. 1. & 44. 3. Ioh. 7. 57. quia ſitientes refocillat, & fœcundos nos reddit ad proferenda germina juſtitiæ, nec non, quia nos à ſordibus noſtris abluit, Ez. 36. 25. 5. Etiam nomen obtinet olei & unctionis, quia gratiæ ſuæ liquore vigorem vitæ reſtituit & fovet, 1 Ioh. 2. ℣. 20. Quò etiam referri poſſunt, quæ de Chriſti unctione proximo libro dicta ſunt. 6. Ad hæc vocatur ignis, Luc. 3. 16. tum quia concupiſcentiæ vitia excoquit & exurit, tum quia corda noſtra accendit amore & ſtudio pietatis. 7. Spiritus S. eſt quaſi fons, unde omnes Chriſti divitiæ ad nos manant, Ioh. 4. 14. eſt manus Dei, qua ſuam potentiam exercet, cujus virtute divinam nobis vitam inſpirat, cujus actione & motu regimur, Act. 11. 21. Eſt vinculum, quo nos efficaciter Chriſtus ſibi devincit, cujus gratia & virtute membra ejus efficimur, ita ut nos ſub ſe contineat, nosq; illum viciſſim poſſideamus. Atque hæc ſola conjunctio facit, ne inutiliter, quoad nos, cum Salvatoris nomine venerit. Quò ſpectat ſacrum illud conjugium, cujus Paulus meminit, Eph. 5. 30. Concludimus,

dimus, niſi in Spiritum S. mentes noſtræ defixæ ſint, Chriſtum nobis manere quodammodo ocioſum. Nullis enim prodeſt, niſi conjuncti ſint cum ipſo. ſolo autem Spiritu ſe nobiſcum unit. cap. 1. Sect. 1. 2. 3.

6. Sequitur ut de fide agamus. ſed illud primum hîc nobis conſtituendũ eſt, fidem eſſe præcipuum Spiritus S. opus. unde etiam ad fidem magna ex parte referuntur, quæ ad Spiritus vim & operationem exprimendam paſſim occurrũt. per eam Spiritus ſanctus nos in Euangelii lucem adducit: per eam credentes accipiunt prærogativam, ut ſint Filii Dei, Ioh. 1. 12. hanc ipſam tamen non aliunde habemus quam à Spiritu. Si enim credentes non ex carne & ſanguine, ſed ex Deo nati ſunt, patet fidem eſſe donum Dei ſupernaturale, Ioh. 1. ℣. 12. cui conſonat, quod dicitur, Matth. 16. 22. caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus cœleſtis. Idem innuitur 2 Theſſ. 2. 15. itemque Eph. 1. 13. ubi dicimur obſignari Spiritu promiſſionis ſancto, nempe quia ipſe internus doctor eſt, cujus opera promiſſio ſalutis mentes noſtras penetrat. Apertius vero Iohannes noſtram cũ Chriſto per Spiritum conjunctionem explicat, 1 Ioh. 3. 24. & 4. 13. Denique ideo Chriſtus Spiritum veritatis toties promittit diſcipulis, Iohan. 14. 17. quia fruſtra verbum lucis ſeſe offerret cæcis, nec capaces eſſemus cæleſtis ſapientiæ, niſi Chriſtus ipſe, interior magiſter, Spiritu ſuo nos ad ſe traheret. Quò facit etiam commendatio miniſterii Spiritus, 2 Cor. 3. 6. c. 1. S. 3.

7. Vnde denuo liquet, in Chriſti quidem perſona reperiri perfectam ſalutem, ſed ut ejus fiamus participes, opus eſſe, ut baptizemur Spiritu & igne, illuminemur in fidem Euangelii, regene-

remur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

remur in novas creaturas, purgati à ſordibus in ſancta Dei templa conſacremur. Atqui hæc eſſe effecta & operationes Spiritus ſancti, nemo inficiari poteſt. cap. 1. Sect. 3.

8. Cæterum ut ad doctrinam fidei propius accedamus, illud repetere convenit, legem præſcribere, quid agendum ſit, & ſimul transgreſſoribus mortis æternæ judicium denuntiare. Rurſum plane eſſe ſupra & extra omnem noſtram facultatem implere legem. Proinde jacere nos abjectos à Deo ſub æterno interitu. Adhæc unam eſſe liberationis rationem in Chriſto Ieſu: nempe ſiquidem & fide miſericordiam hanc amplectimur, & in ipſa conſtanti ſpe acquieſcimus. Vnde rurſus apparet, quanta ſit hujus doctrinæ de fide & ſpe neceſſitas. cap. 2. S. 1.

9. Quia verò per fidem regni cæleſtis poſſeſſionem filii Dei adeunt, non quamvis opinionem aut perſuaſionem, ſed talem fidem intelligere convenit, quæ tantæ rei efficiendæ par eſſe poſſit. Qua in parte multi hodie pernicioſe hallucinantur. Ideo fidei definitio nobis tanto accuratius inquirenda eſt, tum in ἀνασκευῇ falſæ, tum in κατασκευῇ veræ ſententiæ.

10. Primus Scholaſticorũ eſt error, quod Deum fidei objectum ſimpliciter ſtatuant. At 1. evanida hæc eſt ſpeculatio, quæ miſeras animas non conſolatur. Habitat enim Deus lucem inacceſſam. 1 Tim. 6. 16. Proinde latet abſconditus, niſi Chriſtus medius occurrat, qui nos fulgore ſuo irradiet. Fatemur quidem in unum Deum fidem reſpicere, ſed illud quoq; addendum eſt, ut cognoſcat Chriſtum, quem ille miſit, Iohan. 17. 3. 11. Quando Chriſtus ſe vocat lumen mundi, item viam, veritatem & vitam, Ioh. 8. 12. & 14. 6. ſatis indicat neminem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

neminem etiam cognoſcere Patrem, niſi cui Filius, qui ſolus novit Patrem, voluerit patefacere, Luc. 10. 22. III. Paulus aſſerens, 1 Cor. 2. 2. nihil ſe cognitu dignum ducere præter Chriſtum, non rejicit notitiam Dei, ſed veram ejus rationem prædicat. IV. Non ſine cauſa Scriptura paſſim fidei in Chriſtum meminit, Act. 20. 21. & 26. 18. Hinc eſt, quod in perſona Chriſti, vel facie, gloria Dei nobis viſibilis eſſe dicitur, ne alibi quam in hac imagine ipſum quæramus, 2 Cor. 4. 6. VI. Nec alio fine, quicquid habet Pater, apud unigenitum depoſuit, niſi ut in eo gloriæ ſuæ imaginem exprimeret, ſeque ipſum nobis patefaceret & communicaret. VII. Eleganter Auguſtinus: fidei ſcopum eſſe, ut ſciamus, quò ſit eundum & quâ: munitiſſimam hanc eſſe viam, eundem eſſe Deum & hominem: Deum, quò: hominem, quà eundum ſit: utrumque non niſi in Chriſto reperiri. Sequitur in Chriſtum rectà nos intentos eſſe oportere, niſi per multos labyrinthos ſemper vagari velimus. cap. 2. S. 1. 2.

11. Objicitur, Paulum prædicare paſſim fidem in Deum. Reſp. Sed eo ipſo noluit evertere fidem in Chriſtum, quam toties inculcat. Et Petrus aptiſſimè utrumque connectit, cum dicit per ipſum nos credere in Deum, 1 Petr. 1. 21. c. 2. S. 1.

12. Alter error eſt commentum fidei implicitæ, quo nomine craſſiſſimam ignorantiam ornant, qua quis ſenſum ſuum obedienter Eccleſiæ autoritati & judicio de rebus incognitis ſubmittit. At contra dicimus 1. Nihil intelligere, non eſſe credere. Scriptura enim paſſim cum fide intelligentiam conjungit. Ergo non in ignoratione, ſed in cognitione Dei & quidem divinę voluntatis, quod Deus nobis ſit propitius in Chriſto, Chriſtus verò nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nobis ſit datus in ſapientiam & vitam, ſita eſt vera fides. II. Nec ſalutem conſequimur ex ſenſus noſtri qualicunq; ſubmiſſione, ita ut parati ſimus ſub Eccleſiæ titulo quidvis pro vero amplecti, vel inquirendi, cognoſcendique provinciam ad ipſam relegare, ſed ex ſalutari Dei & Chriſti cognitione. III. Hinc Paulus ait, Rom. 10. 10. corde credi ad juſtitiam, & ore confeſſionem fieri ad ſalutem. Proinde explicitam requirit divinę bonitatis agnitionem, in qua conſiſtit noſtra juſtitia. IV. Inconſiderata eſt facilitas, merusque labyrinthus & certiſſima in ruinam via, quidvis nullo delectu, dummodo Eccleſiæ nomine obtrudatur, inſtar oraculi accipere, interdum etiam prodigioſiſſimos errores. V. Si Paulus damnat eos, qui ſemper diſcentes, nunquam ad ſcientiam veritatis perveniunt, quantò graviorem ignominiam merentur, qui data opera affectant nihil ſcire. VI. Euangelium eſt ſcopus & baſis fidei, adeoque fides eſt perpetua ipſius doctrinæ cæleſtis & individua comes. Malè ergò fides in Eccleſiæ ſenſu terminatur. cap. 2. S. 2, 3, 5, 6.

13. Nec tamen ab implicitæ fidei voce omnino abhorremus. Nam Primò fatemur plurima nobis nunc eſſe & fore implicita, donec depoſita carnis mole propius ad Dei præſentiam acceſſerimus, in quibus nihil magis expedit, quam judicium ſuſpendere, & Eccleſiæ unitatem tenere. Concedimus ergo fidem poſſe dici implicitam, non ſolum quia multa nos adhuc latent, ſed quia multis errorum nebulis circundati non omnia aſſequimur. Etenim I. ſapientia noſtra eſt, dociles eſſe & quotidie proficere, Phil. 3. 15. II. Experientia docet nos in multos obſcuros locos legendo incurrere, qui nos ignorantiæ coarguunt. Quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

fræno ad modeſtiam optimus quisque doctor redigitur, ut ſemper ad diſcendum paratus ſit. III. Conſtat omnibus, incredulitatem admixtam eſſe fidei. IV. Ejus porrò implicitæ fidei exempla notare licet in diſcipulis Chriſti, antequam plenam illuminationem adepti eſſent. Etſi enim Chriſtus ſatis ſuperque eos inſtruat, in minimis tamen hæſitant, & ne mulierum quidem admonitu reſurrectionem Domini admittunt, fidei tamen teſtimonium paſſim accipiunt. Itidem in mulieribus, dum ad ungendum Chriſti corpus exierunt. Neque enim fide ac ſpe vacuæ omnino erant, ſed obvoluta erat hæc fides quadam caligine. unde etiam tum demum credidiſſe dicuntur, ubi veritas reſurrectionis Chriſti re ipſa comperta fuit ab ipſis, non quod tunc primum credere inceperint, ſed quia occultæ fidei ſemen novo vigore emerſit. Chriſtum ſane reverenter pro unico doctore amplexi erant; eundem ſibi ſalutis eſſe authorem ſtatuebant, deniq; veniſſe magiſtrum è cælo credebant. Vera ergo fuit fides, ſed implicita. cap. 1. S. 3, 4.

14. Deinde licebit etiam fidem vocare implicitam, quæ tamen propriè nihil aliud eſt quam fidei præparatio & initium. Multos Euangeliſtæ referunt credidiſſe, qui tamen ulterius non ſunt progreſſi, quam ut Chriſtum eſſe Meſſiam profiterentur. Aulicus poſtquam Chriſto de ſanatione filii credidiſſet, denuo credidiſſe legitur, Iohan. 4. 53. Illic particularis fides denotatur, hic aulicus inter diſcipulos Chriſti numeratur. Itidem Samaritani credunt ſermoni mulieris, ut ad Chriſtum fervide excurrant, ſed audito Chriſto, plenius ſuam fidem teſtantur, Ioh. 4. 14. Ex his patet, eos, qui primis elementis nondum ſunt imbuti, modo ad obediendum ferantur, vocari fideles, non quidem

proprie,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

proprie, ſed ex Dei indulgentia, qui talem pium affectum nomine fidei dignatur. cap. 2. S. 5.

15. Hinc facile colligitur, neutro ſenſu fidem implicitam, qua ſub ſe comprehendit docilitatem cum proficiendi deſiderio, cum craſſa Papiſtarum ignorantia confundi poſſe aut debere. c. 2. S. 3, 5.

16. Tertius error eſt, quod fidem, aliam eſſe volunt aſſenſum, quo quilibet, etiam Dei contemtor, credit, quod ad ſalutem cognitu neceſſarium eſt; aliam quæ acceſſione timoris Dei & pietatis ad aſſenſum informatur. Vnde nata diſtinctio fidei informis & formatæ. Etiam pueriliter quæſitum fuit, an eadem ſit fides, quam qualitas format, an nova & diverſa. Sed quam graviter errent, ex vera definitione poſtmodum ſatis manifeſtè liquebit. Nunc iſthæc notentur argumenta. I. Nemo proprio Marte ſibi accerſit fidem, ſed Spiritus S. per eam nobis teſtis eſt noſtræ adoptionis. Initium ergo credendi jam in ſe reconciliationem continet, qua homo ad Deum accedit. II. Paulus dicit corde credi ad juſtitiam, Rom. 10. ℣. 10. Eſt ergo aſſenſio cordis magis quam cerebri, & affectus magis quam intelligentiæ. III. Ideo quoq; vocatur obedientia fidei, Rom. 1. ℣. 5. cui nullum aliud obſequium Deus præfert, quia veritate ſua nihil ipſi eſt pretioſius, quam à credentibus obſignari patet, ex Ioh. 3. 25. IV. Ipſe aſſenſus pia affectione conſtat. Ergo inepte dicitur fidem poſtea per hanc formari. V. Fides Chriſtum amplectitur, non in juſtitiam modo, ſed & in ſanctificationem Spiritus, ſine qua Chriſtus cognoſci nequit. Conſequitur fidem à pio affectu nullo modo diſtrahendam: & proinde falſam eſſe diſtinctionem, qua aſſenſum pietate & timore Dei vacuum fidei nomine dignantur. c. 2. S. 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

17. Solent hic nobis obtrudere locum Pauli 1 Cor. 13. 2. atque hinc concludunt fidem poſſe eſſe ſine charitate. Reſp. Ambiguitatem eſſe in voce fidei. loquitur Apoſtolus de variis Spiritus S. donis, ut ex cap. 12. liquet. In his etiam eſt facultas edendorum miraculorum: hanc fidei nomine intelligit. Sicut autem prophetia, & dono linguarum, ita hoc quoque chariſmate abuti poſſunt impii. Nihil itaque mirum, ſi à charitate ſeparetur. Huic enim ſervire debebat, ſed gratiam omnem perdit, quia nõ confertur ad ædificationẽ. c. 2. S. 9.

18. Addunt locum Iacobi cap. 2. Reſp. hunc locum alibi diſcutiemus: nunc ſufficit notaſſe, nos varias fidei formas docendi cauſa concedere, quoties volumus oſtendere, qualis ſit in impiis Dei notitia. Alii enim credunt Deum eſſe, & Scripturam veram eſſe, ſicut & de rebus olim geſtis, aut à ſe viſis judicant. Alii etiam longius procedunt, nec tantum Dei ſermonem pro certiſſimo habent oraculo, ſed etiam minis atque promiſſionibus ejus utcunq; moventur. Et quia Dei verbum non impugnant manifeſta impietate, vel rejiciunt, vel contemnunt, quandam obedientiæ ſpeciem præ ſe ferre videntur. Hæc ipſa tamen fidei ſeu umbra, ſeu imago, ab unica piorum fide longiſſime diſtat, nec niſi per κατάχρησιν ſic vocatur. c. 2. Sect. 9, 10.

19. Exempla iſtius fidei habemus, 1. in Simone Mago Act. 8. 13. 18. quem credidiſſe Scriptura dicit; ſane non ſimulate, cum victus Euangelii majeſtate, nomen Chriſto dederit: eundem tamen poſt incredulitatis arguit. 11. In illis, qui dicuntur ad tempus credere, Luc. 8. 7. 13. in quibus verbi ſemen aut cito exareſcit, aut antequam fructificet, præfocatur. Tales ſic quodam verbi guſtu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

guſtu afficiuntur, ut ipſum avide arripiant, & divinam aliquam virtutem ejus perſentiſcant, adeo ut fallaci fide non ſolum aliis ſed ſuis ipſorum animis imponant. Nec mirum, quia nullam putant eſſe impietatem, niſi manifeſtum verbi probrum vel contemtum; ipſiſſimam contra eſſe pietatem, quam ei reverentiam deferunt. Illa ipſa tamen aſſenſio, qualiscunque ſit, ad cor ipſum minime penetrat, nec vivas radices agit, propter vanitatis & mendacii ac hypocriſeos latebras, quibus cor humanum ſcatet, ut ſeipſum quoque fallat. Itaque mera ſunt fidei ſimulachra, quibus dum gloriantur, alii Diabolis nihilo ſunt meliores, quia ille ſenſus tandem in terrorem exit; priores illis multo ſunt inferiores, quod ſtupidi audiunt & intelligunt, quorum notitia Diaboli contremiſcunt. cap. 2. S. 10.

20. Sed enim durum hoc videri poterit fidem reprobis aſſignari, quæ fructus eſt electionis, 2 Theſſ. 1. 4, 5. Reſp. I. Experientiam oſtendere reprobos interdum ſimili fere ſenſu atque electos affici, ut ne ſuo quidem judicio ab electis differant. II. Apoſtolus cæleſtium donorum guſtum, & Chriſtus fidem temporalem illis aſcribit, Heb. 6. ℣. 4. Luc. 8. 13. III. Soli quidem electi in fidem veram illuminantur, & Euangelii efficaciam vere ſentiunt. Sed in reproborum mentes Dominus hactenus ſe inſinuat, quatenus ſine adoptionis ſpiritu guſtari poteſt ejus bonitas, idque ut eos magis ac magis convictos & inexcuſabiles reddat. Itaque nihil hic eſt abſurdi. c. 2. S. 11.

21. Si quis objiciat, nihil igitur amplius reſtare fidelibus unde certo adoptionem ſuam æſtiment. Reſp. Etſi magna videatur ſimilitudo inter electos & reprobos, magnum tamen eſſe diſcrimen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Nam 1. ſoli electi non tantum regenerantur ſemine incorruptibili, ſed etiam ſolide in illis obſignatur adoptionis gratia, ut ſemper in ipſis vigeat fiducia clamandi, Abba Pater. Interim nihil obſtat, quo minus inferior Spiritus operatio locum ſuum habeat in reprobis: quo ipſo fideles docentur ſollicite & humiliter ſeipſos excutere, ne pro fidei certitudine obrepat carnis ſecuritas. II. In ſolis electis Spiritus S. proprie remiſſionem peccatorum obſignat, ita ut ſpeciali fide in uſum ſuum eam applicent. Reprobi ſenſum gratiæ non niſi confuſe percipiunt, ex communi quodam fidei principio, ſic tamen, ut peculiari electorum interno teſtimonio ſint deſtituti. III. Solos electos Deus viva fidei radice dignatur, ut in finem uſque perſeverent. Reprobi ſic gratiam reconciliationis, quam præſentem Deus manifeſtat, agnoſcunt, ut tamen ad ſolidum effectum, & fruitionem non perveniant. IV. Addimus, ſic reprobos interdum affici divinę gratię ſenſu, ut quoddam mutui amoris deſiderium in illorũ cordibus excitari neceſſe ſit. cujus rei exemplum habemus in Saule, qui ad tempus Deum, à quo paterne tractabatur, amaſſe videtur: ſed ſicuti radicitus non hæret in reprobis illa de paterno Dei amore perſuaſio, ita Deum ſolide non redamant, ut filii, ſed mercenario quodam affectu ducuntur. Alia electorum eſt ratio. Nam 1. ſoli Chriſto datus eſt ille Spiritus amoris, ut eum membris ſuis inſtillet. 2. non niſi ad electos pertinet illud Pauli Rom. 5. 5. diffuſam eſſe Dei charitatem, invocationis & fiduciæ matrem, in corda noſtra per Spiritum S. Nec obeſt quod Deus filiis ſuis nonnunquam mirabiliter iraſci videtur, quia ne tum quidem eos odit aut amare deſinit, ſed tantum iræ ſuæ ſenſu terret, ut eos humiliet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

miliet, excitet, & ad pœnitentiam ſollicitet. Itaque eodem tempore & iratum & propitium concipiunt, adeoque ad eundem tranquilla fiducia confugiunt, cujus tamen iram non ficte deprecantur. cap. 11. S. 11, 12.

22. Inſtant, ſi vero gratiam ſuam demonſtrat Deus, hoc perpetuo fixum & ratum eſſe debere. Voluntas enim Dei eſt immutabilis, & ſemper ejus veritas ſibi conſtat. Iam vero fides eſt divinæ erga nos benevolentiæ notitia & certa de ejus veritate perſuaſio. Reſp. Quamvis divini amoris ſenſus, in iis, qui temporarii ſunt, fidei ſit affinis, multum tamen ab ea differre. Nam I. in arcanam ſalutis ſuæ revelationem non penetrant, quæ electorum propria eſt, nec Dei voluntatem percipiunt, ut eſt immutabilis, nec ejus veritatem conſtanter amplectuntur. Senſus ergo talis eſt, qui facile evaneſcit. II. Nihil obſtat quo minus aliquos præſenti gratiæ ſuæ ſenſu & radiis illuſtret, quos poſtea extingui patitur. Nam & primi hominis defectione deleri potuit ex ejus mente imago Dei, & arbores, quæ per aliquot annos flores & folia & fructus emiſerant, progreſſu temporis areſcunt, quod vivas radices non egerint. c. 2. S. 12.

23. Forſan urgebit aliquis exiguam ſæpe & debilem in electis eſſe fidem. Reſp. talem interim eſſe, quæ per Spiritum arrham ſuæ adoptionis habet, cujus ſculptura ex eorum cordibus deleri nequit. Reprobi contra tali luce aſperguntur, quæ facile diſpereat. c. 2. S. 12.

24. Inſtant, hac ratione fallacem ſtatui Spiritum. Reſp. Id vero negamus, quia ſemen illud, quod jacet in illorum cordibus, Spiritus non vivificat, ut ſemper maneat incorruptibile, quemadmodum facit in electis. Concludimus fidem aliam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eſſe temporalem, aliam mendacem & fictam. Conſtat enim quoſdam non ſimulare fidem, qui tamen vera fide carent. Tales fuiſſe probabile eſt, de quibus agitur Ioh. 2. 24. & quos Chriſtus diſtinguit à veris ſuis diſcipulis, Ioh. 8. 31. nam dum ſubito zeli impetu feruntur, ſeipſos falſa opinione decipiunt. In cauſa eſt ſocordia, qua fit ut cor ſuum probe non examinent. Inde eſt, quod multi à fide excidant, illa nempe communi & temporali, quæ vivæ fidei videtur affinis, non eſt tamen fides electorum, Tit. 1. 1. nec planta, quam Deus plantavit, Matth. 15. 13. Sunt alii, quorum fides merum eſt mendacium, illuſio Dei & hominum, in quos Iac. cap. 2. 14. invehitur. Huic Paulus opponit fidem non fictam, cujus arca ſeu cuſtodia eſt bona conſcientia, 1 Tim. 1. 5. 19. cap. 2.. S12.

25. Nec vero mirum nobis videri debet, ſi nomen fidei ad falſam profeſſionem aut mendacem titulum nonnunquam transferatur, nihilo magis quam vocem timoris Dei pro vitioſo & perverſo cultu poni videmus, 2 Reg. 17. 32. 33. c. 2. S. 13.

26. Præter ambiguitates vocis fidei jam notatas, aliæ etiam ſignificationes occurrunt. Nam I. fides ſæpe tantundem valet, ac ſana pietatis doctrina, 1 Tim. 1. 19. & 3. 9. & 4. 1. 6. 2 Tim. 2. 16. & 3. 8. Tit. 1. 13. & 2. 2. nam quia in Chriſto, quem fides poſſidet, abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ, merito extenditur ad totam cæleſtis doctrinæ ſummam, à qua fides ſeparari non poteſt. II. Nonnunquam ad particulare aliquod objectum reſtringitur, ut Matth. 9. 2. & 8. 10. III. Alias ſumitur pro dono miraculorum, quo etiam aliquando non regeniti pollent. IV. Item pro miniſterio Eccleſiæ ſive pro inſtitutione, qua nos Deus in fide curat inſtitui,

tui, quantum hodie noſtræ infirmitati conducit, ut 1 Cor. 13.10. in quibus loquendi formis aliqua conſtat analogia. cap. 2. S. 13.

27. Hactenus adverſariorum de fide deſtruximus opiniones. Cæterum ea nobis fides inquirenda, quæ filios Dei ab incredulis diſtinguit, qua Deum invocamus Patrem, qua Chriſtus in nobis habitat, qua tranſimus à morte in vitam. Hanc ita definimus, ut dicamus eam eſſe divinæ erga nos benevolentiæ firmam certamq; cognitionem, quæ gratuitę in Chriſto promiſſionis veritate fundata per Spiritum Sanctum, & revelatur mentibus noſtris & cordibus obſignatur. Hujus definitionis partes & membra nobis enucleanda & probanda veniunt. c. 2. S. 7, 13.

28. Principio tenendum eſt fidei baſin & fundamentum eſſe Dei verbum, non in genere tantum, ſed vel maxime in ſpecie conſideratum & applicatum. Nam I. dubitari nequit, quin ad ædificandam fidem faciat, quidquid à Moſe & Prophetis traditum eſt, ut ad ſolum Euangelium fidem minime reſtringamus. II. Certum eſt perpetuam eſſe fidei relationem cum verbo, nec ab hoc illam divelli poſſe. Ideo cum ad fidem populum hortari vult Deus, jubet ut ipſum audiant, Eſ. 55.3. Pſal. 95.8. Audire vero paſſim accipitur pro credere. III. Eundem fidei fontem demonſtrat Iohannes, Ioh. 20.31. Hac nota Deus Eccleſiæ filios diſcernit ab extraneis, quod à Deo edocti erunt, Eſ. 54.13. Ioh. 6.45. Hinc paſſim Euangeliſtæ fideles & diſcipulos ponunt tanquam ſynonyma, ut etiam uſque ad mulieres hoc epitheton extendant, Act. 9. ✠. 1.2. Patet ergo ſi ab hoc ſcopo vel minimum deflectat fides, naturam ſuam non retinere, ſed incertam eſſe credulitatem & vagum mentis er-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

rorem, & niſi hac baſi fulciatur, corruere. breviter, tolle verbum, & nulla jam reſtabit fides, quia non alia ratione, quam per verbum Deus homines ad ſe trahit, ſive hominis operam in hoc adhibeat, ſive ſola ſua virtute operetur. c. 2. S. 6.

29. Sed hic porro meminiſſe debemus, non hoc unum in fidei intelligentia requiri, ut Deum eſſe noverimus, ſed etiam, imo hoc præcipue, ut qua ſit erga nos voluntate intelligamus: neq; enim ſcire, quis in ſe ſit, tantum noſtra refert, ſed qualis eſſe nobis velit. Habemus ergo, fidem eſſe divinæ erga nos voluntatis notitiam, ex ejus verbo perceptam; cujus fundamentum eſt præſumpta de Dei ſacroſancta & inviolabili veritate perſuaſio. cap. 2. Sect. 6.

30. Quoniam vero cor hominis non erigitur ad quamlibet Dei vocem, quærendum nobis eſt, quid propriè fides in verbo Dei reſpiciat. Vox Dei eſt, *morte morieris*, Geneſ. 2. 17. item, *ſanguis fratris tui clamat ad me*, Geneſ. 4. 10. ſed hæ voces indignationem & vindictam conſcientiæ inculcant: non ergò ſtabiliunt, ſed fidem potius quatefaciunt. At neceſſe eſt, ut fides in verbo Domini reperiat, quo niti poſſit, Deumque quærere, non refugere. Itaque loco voluntatis, ponenda eſt benevolentia ſeu miſericordia Dei. Tunc enim ad Deum quærendum allicimur, quando ſcimus ſalutem noſtram ipſi curæ eſſe. Hoc vero diſcimus ex gratiæ promiſſione, qua teſtatur ſe nobis eſſe patrem propitium. Et hac ratione paſſim ſimul junguntur miſericordia & veritas, Pſal. 40. 11. & 36. 6. & 25. 10. & 117. 2. & 138. 2. Nihil enim prodeſſet ſcire Deum eſſe veracem, niſi miſericordiam ſua voce efferret, & ad eam amplectendam invitaret. c. 2. S. 7.

31. Porrò

31. Porrò cum ſine Chriſto & extra Chriſtum non appareant niſi odii & iræ ſigna, in ipſum ſane tanquam unicum amoris pignus & fidei ſcopum reſpiciendũ eſt: & quidem, prout in verbo Euangelii nobis à Patre offertur: illic enim aperiuntur theſauri gratiæ. Et hujus doctrinæ fides eſt individua comes, Eph. 4. 20. Ideo etiam plenior Chriſti manifeſtatio per Euangelium doctrina fidei appellatur, Rom. 10. 4. cujus adventu lex eſt abolita, cujus deniq; obedientia fides definitur, Rom. 1. 5. cap. 2. S. 6, 7.

32. Iam vero cum non multum momenti habitura ſit divinæ bonitatis notitia, niſi in ea nos faciat acquieſcere, excludenda eſt omnis dubitatio. c. 2. S. 7.

33. Denique quia mens cæca eſt, ad Dei percipiendam voluntatem non penetrat; & quoniam cor in perpetua hæſitatione fluctuatur, ſecurum in ea perſuaſione non conſiſtit. Idcirco aliunde, nempe à Spiritu S. & mentem illuminari, & cor obfirmari convenit, ut verbum Dei plenam apud nos fidem obtineat. c. 2. S. 7.

34. Ita breviter noſtram definitionem explicuimus, ſed quædam nobis plenius excutienda veniunt. 1. Quod fidem *cognitionem* eſſe dicimus: hac autem voce nõ intelligimus demonſtrativam aliquam ſcientiam, qualis eſſe ſolet earum rerum, quæ ſub humanum ſenſum cadunt. Nam 1. neceſſe eſſe mentẽ hominis ſeipſam excedere & ſuperare, quò ad fidei doctrinã pertingat. Et ne tum quidem, quod ſentit, aſſequitur, perſuaſum tamen habet quod non capit, & hac perſuaſione plus intelligit, quam ſi humanum aliquid ſua capacitate perciperet. 11. Ideo Paulus meminit ſupereminentis cognitionis, qua comprehendimus, quæ ſit

longitudo, latitudo, &c. Eph. 3. 18. ut doceret omnibus modis infinitum eſſe, quod mens noſtra fide complectitur, & genus hoc cognitionis eſſe omni intelligentia ſublimius. I I I. Eodem redeunt Pauli verba, nos per fidem ambulare, nõ per aſpectum, 2 Cor, 5. 6. quibus oſtendit, ea quæ per fidem intelligimus, à nobis & aſpectu noſtro abeſſe. Nec malè tamen fides in Scripturis agnitio vocatur, Col. 2. 2. & à Ioh. ſcientia, 1 Ioh. 3. 2. quia Deus arcanum voluntatis ſuæ olim abſconditum ſanctis ſuis patefecit. cap. 2. S. 14.

35. 2. Addimus *certam & firmam*, quo ſolidior perſuaſionis conſtantia exprimatur, idque I. ne obſcura & perplexa ſit conceptio, ſed plena & fixa, qualis de rebus compertis & probatis eſſe ſolet, certitudo. Oportet enim omnem incredulitatem & dubitationem, ad quam plus nimiò propenſi ſumus, è cordibus noſtris eradicari, quod ſine arduo certamine non fit. Huic morbo ut remedium afferat Spiritus S. inſignibus elogiis verbo Dei ſuam authoritatem aſſerit, Pſal. 12. 7. & 18. 31. & Prov. 30. 5. toto denique Pſal. 119. hoc fine ut Deus in promiſſis ſuis plenam apud nos fidem obtineat. I I. Aliud accedit malum, quod ita miſera anxietate homines conſtringuntur, ut dubitent an Deus etiam ſibi miſericors ſit futurus. fatentur quidem miſericordiæ promiſſiones eſſe veras, magnam Dei eſſe clementiam, effuſam in multos, omnibus obviam & paratam, ſed incertum eſſe, an ad ſe quoque ſit perventura, vel potius an ipſi ad eam ſint perventuri. At I. hac ratione Dei clementiam nimis anguſtis finibus terminant. I I. irrequieta hæſitatione ſeipſos ſollicitant. At alius debet eſſe ſenſus πληροφορίας, alia ſpiritualis fidei ſecuritas, quæ nimirum Dei bonitatem

tatem ſic extra dubium ponit, ut ejus ſuavitatem verè ſentiamus & experiamur in nobis ipſis, quæ conſcientiam porro in Dei judicio tranquillet, & ſerenet, omnem denique trepidationem excutiat. Etſi enim non nunquam ad momentum quidem obdormiſcant, dum Dei & ſui obliviſcuntur, memoria tamen judicii recurrente, acerrimè lancinantur. Non eſt ergo recta fides, niſi quando cum πληροφορία, quæ ſemper fidei tribuitur, ſic Dei promiſſiones intus amplectimur, ut eas noſtras etiam faciamus, Eph. 1. 18. unde naſcitur illa pax & fiducia, de qua Rom. 5. 1. quæ nos tranquillis animis in Dei conſpectum audet ſiſtere. Ideo etiam Apoſtolus ex fide deducit fiduciam & ex hac audaciam, Eph. 3. 12. Et paſſim pro fiducia nomen fidei uſurpatur. Itidem credens & fidelis ille dicitur, qui certo perſuaſus Deum ſibi eſſe propitium patrem, de ejus benignitate omnia ſibi pollicetur, ejusque promiſſionibus fretus, confidenter ſe regni cæleſtis hæredem gloriatur, Hebr. 3. 14. adeoque ſuæ ſalutis ſecuritati innixus, Diabolo, & morti confidenter inſultare non veretur, Rom. 8. 38. cap. 2. S. 15. 16.

36. Sed enim cum hac fidei certitudine repugnare videtur fidelium experientia, quos in recognoſcenda erga ſe Dei gratia non modo inquietudine tentari, ſed graviſſimis etiam terroribus quatefieri ſæpius contingit. Reſp. I. nos non docere certitudinem ſine ulla dubitatione, nec ſecuritatem aliquam, quæ nulla ſollicitudine impetatur. Fatemur enim perpetuum eſſe fidelibus certamen cum ſua ipſorum diffidentia. Attamen decidere illos negamus à certa illa, quam de Dei miſericordia conceperunt, fiducia. Ejus rei exemplum memorabile habemus in Davide, cujus fides, cum per

omnem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

omnem vitæ curſum fuerit admirabilis, variis tamen ac turbulentis motibus & tam anxia perplexitate ſæpius fuit agitata, ut de Dei natura litem moverit, prout patet ex innumeris querimoniis, quas videre eſt Pſal. 42. 6. & 43. 5. & 30. 23. & 77. 10. In hoc ipſo tamen certamine, quum obrutus videri poſſet, ad Deum aſſurgere non deſtitit, & dum animam ſuam hortatur, ut ad quietem redeat, enixè ad correctionem aſpirat, nec hæret in vitio timiditatis, ſed fide ſeipſum in Deo ſuſtentat, ejusque liberationem & robur intrepidus exſpectat, Pſal. 42. 6. 12. & 43. 5. & 31. 23. & 77. 12. & 116. 7. & 27. 14. certamen ſuum deniq; perſequitur, & imbecillitatis ſuæ conſcius, auxilium Dei flagitat, atque adverſus ſtuporem acuit ſegnitiem ſuam precando, Pſ. 119. 43. Sane non ita fecit Achaz, qui licet audit promiſſiones à Deo oblatas, expaveſcere tamen & à Deo ſe avertere non deſtitit, Eſ. 7. 4. Et eſt hæc infidelitatis merces & pæna. Contrà fideles tum quoque, quando tentationum moles ferè opprimit, conſtanter, licet non ſine moleſtia, ſuperiores emergunt. cap. 2. Sect. 17.

37. II. Reſp. Obſervandam hic eſſe carnis & Spiritus diviſionem, quam in ſe pii ſentiunt, ut partim calamitatis ſenſu angantur, peccatorum conſcientia trepident, & mortem exhorreſcant; partim divinę bonitatis ſenſu perfundantur, in Euangelii promiſſione recumbant, & vitæ apprehenſione exultent. Quæ variatio ex fidei imperfectione contingit, & quod in hoc vitæ præſentis curſu ab omni diffidentiæ morbo nondum plene curemur. Hinc ille conflictus, ubi, quæ in carne ſupereſt diffidentia, ad oppugnandam intus conceptam fidem inſurgit; cujus tamen certaminis finis

eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eſt fidei victoria. Aliunde igitur iſta trepidatio exſurgit, nempe à carnis reliquiis: aliunde fides certitudinem accipit, nempe à Spiritu. quæ certè in hoc negotio accuratè diſtingui debent. cap. 2. Sect. 18.

38. Vnde liquet vanam eſſe inſtantiam, quaſi in fideli mente certitudo permixta ſit dubitatione. Etſi enim variis cogitationibus diſtrahamur, à fide tamen non divellimur, nec ſi diffidentiæ agitationibus vexemur, in ejus abyſſum demergimur, neque ſi concutiamur, ideo de gradu deturbamur. Itaque fides ex ſuo principio certa ſemper manet, & liquida, omnesque tandem difficultates eluctatur. c. 2. S. 18.

39. Atque hoc ex initiis & progreſſu fidei amplius intelligitur. Nam primum, ubi vel minima fidei gratia inſtillata eſt, jam faciem Dei placidam nobisque propitiam contemplari incipimus, procul quidem & eminus, tam certo tamen intuitu, ut ſciamus, nos minimè hallucinari. quantum deinde proficimus, in propiore ejus conſpectum venimus, quem ipſa continuatio familiariorem reddit. Quocirca licet initio multa ignoremus, aut obſcurius cernamus, tamen non impeditur mens noſtra, quin divinæ erga ſe voluntatis notitia fruatur. Vtrumque eleganter docet Apoſtolus, quando alias tradit nos ex parte cognoſcere, & ex parte prophetare, adeoque in ænigmate, videre per ſpeculum, 1 Cor. 13. 9. alias affirmat nos per Euangelium revelata facie, nulloque objecto velamine, gloriam Dei tanta cum efficacia contemplari, ut in eandem imaginem transformemur. Illic indicat quam tenuis portiuncula divinæ ſapientiæ in præſenti vita nobis detur, & quam neceſſe ſit nobis aſſiduè diſcendo exerceri. Hic vero quam

certo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

certo & minimè fallaci ſui guſti nos afficiat vel exigua fidei gutula. c.2. S.19,20.

40. Reſp. III. Obſervandam hic eſſe penitius rationem iſtius trepidationis & timoris. Ex objectis namque ſuis vel cauſis variatur, nec eodem modo ſeſe ſemper habet. Eſt una trepidationis ſpecies, quæ ex apprehenſione iræ Dei oritur, ſive res adverſæ illam præ ſe ferant, ſive ejus materiam conſcientia in ſe reperiat. hinc ad profligandam fidem incredulitas tela & machinas arripit, ad quam præſertim cordis quodam naturali inſtinctu propendemus. Accedunt, præter ignorantiæ involucra, tentationes, & numero infinitæ, & genere variæ. ipſa præſertim conſcientia peccatorũ mole oppreſſa, nunc ſecum gemit, nunc ſe arguit, nunc tacitè fremit, nunc aperte tumultuatur: quorum omnium hic eſt ſcopus, ut Deum nobis infenſum eſſe putemus, à quo ceu ab hoſte capitali nobis timendum ſit. Ad hos impetus ſuſtinendos fides ſe armat verbo Domini, certò credit Deum non eſſe inimicum, quia tum quoque, quando affligit, ſit miſericors: eſſe quidem iniquitatum vindicem, ſed veniam paratam eſſe peccatori, qui ad Domini clementiam ſeſe confert. Ita ſupra omnes difficultates emergit, nec ſibi divinæ miſericordiæ fiduciam excuti unquam patitur. Hujus rei varia habemus argumenta & exempla. 1. Quod ſancti, dum ultione Dei maxime urgeri ſibi videntur, apud ipſum tamen querimonias ſuas deponunt, eundemque ardenter invocant, minimè hoc facturi, ſi nullum ſperarent ſolatium aut auxilium. Sic diſcipuli, quamvis ex puſillanimitate conquerantur ſe perire, opem nihilominus Chriſti implorant, Matth.8. 25. Et notatu dignum, quòd licet eos Chriſtus ob ὀλιγοπιστίαν caſtiget, non

tamen

tamen rejicit à ſuorum ordine, nec incredulis annumerat. II. Memorabile eſt exemplum Iobi & Davidis. Ille affirmat ſe ſperaturum in Deum, quamvis ab eo occidatur, Iob. 13. 15. Hic negat ſe ullum malum formidaturum, etiamſi ambulet in umbra mortis, quia Deus ſecum eſt, Pſal. 23. 4. Sane nihil horribilius eſt, quam Dei manum in ſe armatam ſentire: ambulare autẽ in caligine mortis vere eſt terrificum: ſed ex his omnibus piæ mentes emergunt, & timorem vincunt ſpirituali ſecuritate. III. Eventus docet, non tantum ab omni pugna ſalvos evadere fideles, ut recepto vigore rurſus in arenam deſcendete ſint parati, ſed in illis impleri, quod dicitur 1 Ioh. 5. 4. Hæc eſt victoria, quę vincit mundum, fides veſtra. IV. Ideo Paulus fidem ſcuto comparat, quæ telis hoſtium oppoſita, ſic eorum vim excipit, ut prorſus depellat, vel ſaltem frangat, ne ad vitalia penetrent, Eph. *6. 16.* V. Denique hoc documento Deus patefacit verbum, unde fides oritur, verè ſemen eſſe incorruptibile, & fructum ſui ſimilem producere, cujus germen nunquam areſcit in totum. VI. His congruenter Auguſtinus: Quantaslibet adverſus nos, ait, machinas erigat Diabolus, quando non tenet locum cordis, ubi fides habitat, ejectus eſt foras. Concludimus, in hoc genere tentationis & trepidationis incredulitatem foris quidem oppugnare, ſed intus in cordibus piorum non regnare, nec lethaliter ſuis telis vulnerare, ſed infeſtare tantum, aut certe ſic lædere, ut vulnus ſit ſanabile, ipſam deniq; fidei radicem nunquam pio è pectore avelli, nec lumen exſtingui, utcunque decuſſa huc aut illuc inclinare videatur. cap. 2. S. 20, 21.

41. Altera eſt timoris & trepidationis ſpecies, quando fideles vel exempla divinæ ultionis adverſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

verſus impios, vel ſuam miſeriam ſecũ reputant. Iſtinc diſcunt ſollicite cavere, ne iisdem flagitiis iram Dei in ſe provocent: hinc à Domino toti pendere, ſine quo ſe fluxos & evanidos eſſe vidét. Cæterum ex hoc timore adeo nihil decedit fidei ſecuritati, ut ſolidius inde ſtabiliatur. Sic Apoſtolus propoſitis populi Iſraëlitici flagellis terrorem incutit Corinthiis, ut torporem carnis excutiat, non ut fiduciam ipſorum labefactet, 1 Cor. 10. 11.12. & Rom. 11. 20. ex caſu Iudæorum ſumit argumentum hortandi Gentes, ut qui ſtat, videat ne cadat. Quæ verba ſive de Gentibus in genere intelligantur (quod maxime eſt veriſimile, quia non fideles tantum, ſed etiam hypocritas, adeoq; totam Gentium univerſitatem alloquitur, comparatam cum Iudæis) aliud nihil indicant, quam ſi Gentes temeraria ſuæ virtutis præfidentia ſuperbiant, & Dei benignitate abutantur, non minus incredulitatis & ingratitudinis ſuæ pœnas daturos, quam fecerint Iudæi; ſive de electis & fidelibus hoc dictum accipias, minime ſequetur fidei ſtabilitatem everti. Aliud enim eſt temeritatem carnis reprimere, ne inani confidentia laſciviat, quod ibi facit Paulus: aliud conſcientiam timore percellere, ne plena ſecuritate in Dei miſericordia acquieſcat. Porro ad miſeriæ & fragilitatis noſtræ conſiderationem ſpectat, quando jubemur cum timore & tremore ſalutem noſtram operari, Philip. 2. 12. Etenim nihil aliud exigit Apoſtolus, quam ut cũ multa noſtri dejectione in ſolam Dei virtutem ſuſpicere aſſueſcamus. Hæc ipſa vero noſtri diffidentia, & ex conſcientia noſtrę calamitatis concepta anxietas, maxime nos expergefacit, ut fiduciam in Deum rejiciamus. Huc pertinent dicta Pſ. 5. 8. Prov. 28, 14. Oſ. 3. 5. Docent enim

fidei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

fidei audaciam, quæ Dei miſericordiæ & bonitati innititur, recte cum religioſo timore conjungi. Nam quoties in conſpectũ divinæ Majeſtatis prodimus, quanta ſit noſtra obſcænitas & imbecillitas, intelligimus. Hinc reverentiam diſcimus. Sed ipſa dulcedo & ſuavitas gratiæ hominem in ſe ipſo dejectum ad Deum attollit. Non eſt ergo talis terror, quo afflicti concidamus, ſed qui nos cautiores reddit, ſic tamen, ut animus in ſe confuſus, in Deo ſe recolligat, & ſibi diffiſus illius fiducia reſpiret. Itaque nihil obſtat, quin ſimul & terreantur fideles, & ſecuriſſima conſolatione potiantur, prout nunc in ſuam vanitatem reſpiciunt, nunc in Dei veritatem & miſericordiam animi cogitationem referunt. cap. 2. S. 22, 23.

42. Quærat aliquis, quomodo in eodem animo ſedem habeat pavor & fides? Reſp. Sicuti in impiorum animis ſimul eſt & torpor & anxietas, ne timor Dei eos ſollicitet, indolentiam ſibi acerſunt, ſed urgente Dei judicio non aſſequuntur, quod appetunt: Ita nihil impedit quo minus ſub fræno modeſtię Deus ſuos cohibeat, & tamen ad fortiter militandum armet. Nec aliud fuit conſilium Pauli Phil. 2. 12. ubi tremoris cauſam aſſignat Dei beneplacitum, quo dat ſuis & bene velle & ſtrenue proſequi. c. 2. S. 23.

43. Eſt & tertia ſpecies timoris Domini, cujus teſtimonium paſſim defertur ſanctis, & qui alias initium ſapientiæ, alias ipſa ſapientia nuncupatur, Pſ. 111. 10. Prov. 1. 7. & 15. 23. Mal. 1. 7. Hic tametſi unus eſt, gemino tamen ex ſenſu emanat. Habet enim in ſe Deus & Patris reverentiam & Domini: utriusque obſequium requiritur. Illud tum honoris, tum timoris nomine venit, Mal. 1. 7. Vtrumque affectum animus induit, quia Patrem

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

non vult offendere, & ultionem Domini ac iram adverſum ſe veretur provocare. Hic timor certitudini fidei noſtræ non præjudicat. cap.2. S.26.

44. Si forte quis objiciat, quod 1 Iohan.4.15. dicitur timorem non eſſe in charitate, & hanc expellere timorem. Reſp. Loquitur Iohannes de terrore incredulitatis, à quo longe differt fidelium timor. Impii Deum timent, non quod eum offendere vereantur, ſiquidem impune poſſent, ſed 1. quia ſciunt Deum armatum potentia vindictæ ad puniendum. 2. Quia ſibi jam iram imminere arbitrantur. 3. rarius ſolis & ſimplicibus minis expergeſiunt, imo ad contumaciam potius ſe obdurant, percuſſi tamen Dei manu, timere, velint nolint, coguntur. Fideles autem offenſam Dei plus quam pœnam metuunt, nec timore pœnę perturbantur, ac ſi jam impenderet, ſed cautiores redduntur, ne ipſam accerſant. Quo ſenſu Paulus, cum dicit iram Dei venire in filios contumaciæ, Eph.4.6. non minatur in fideles deſcenſuram, ſed monet eos, ut de pœnis, quæ impiis ſunt præparatæ, ſerio cogitent, ni & ipſi eas experiri velint. Ille timor in ſcholis ſervilis vocari ſolet; hic, ingenuus & voluntarius, qui filios decet: niſi forte mediam ſpeciem interſerere placeat, quando ſervilis & coactus affectus animos interdum ſubigit, ut ad timorem Dei ſponte accedant. c.2. S.27.

45. Hactenus ſufficienter fidei certitudinem aſtruximus. Vnum tamen adhuc commentum ſupereſt, quo ſcholaſticorum craſſam dubitationem nonnulli interpolare conantur. Confingunt enim fiduciam incredulitate mixtam: ac fatentur quidem, quoties in Chriſtum reſpicimus, nos plenam invenire bene ſperandi materiam, indignitatis tamen noſtræ intuitu ſemper nobis eſſe fluctuandũ

& hæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

& hæſitandum. Itaque conſcientiam ſtatuunt, inter ſpem & metum, modo huc modo illuc alternantem, ſpem vero & metum ſic inter ſeſe conferunt, ut illa exoriente, hic deprimatur, & viciſſim, hoc exſurgente, illa rurſum concidat. Reſp. I. Miſeram hanc eſſe fiduciam quæ ſubinde deſperationi cedat. II. Fontem erroris eſſe, quod Chriſtum procul ſtantem, & non potius in nobis habitantem conſiderant. Fides certe nos Chriſto inſerit, nec modo bonorum ejus ſed ipſius Chriſti facit participes. Atque hinc eſt, quod ab ipſo ſalutem certo exſpectamus. III. Quando ajunt, ſi Chriſtum reſpicis, certa eſt ſalus: ſi ad te ipſum revertis, certa eſt damnatio: retorquemus argumentum. ſane ſi te ipſum conſideras, certa damnatio: ſed quoniam Chriſtus ſeipſum tibi cum omnibus bonis ſuis communicavit, ita ut omnia ejus tua ſint, tu ejus membrum, adeoque unum cum ipſo, juſtitia ejus & ſalus, & dignitas, omnia peccata tua, tuamque damnationem, & indignitatem abolevit. IV. Et ſic quoque nos ex ſocietate Chriſti concludere docuit Apoſt. Rom. 8. 10. Corpus quidem veſtrum mortuum eſt propter peccata, ſed Spiritus Chriſti vita eſt propter juſtitiam. Non dicit, Chriſtus quidem vitam habet apud ſe, ſed vos peccatores manetis in morte. Verum docet, eam, quam meremur, damnationē Chriſti morte abſorptam eſſe. Probat autem argumento individuæ ſocietatis & communionis noſtræ cum Chriſto, eo quod Chriſtus non extra nos eſt, ſed in nobis habitat. V. Non inficiamur tamen quaſdam interdum fidei interruptiones contingere, ſed addimus, quidquid accidat, fidem à quærendi Dei ſtudio non deſiſtere. VI. His conſentienter dicit Bernardus: Nihil ſumus, ô Pater miſericordiarum,

rum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

rum, nihil ante te, non intra te: nihil in judicio veritatis tuæ, ſed non ſic in affectu pietatis tuæ. Vocas ea, quæ non ſunt, & ſunt, quia vocas: licet non ſint, quo ad ſe, apud te tamen ſunt. Sumus ergo, ſed in corde Dei, ſed illius dignatione, non noſtra dignitate. cap. 2. S. 24, 25.

46. 3. Poſuimus in noſtra definitione, *fidem reſpicere divinam benevolentiam*, quia ex hac ſcaturigine univerſæ bonorum ſpecies nobis profluunt. Et Deo propitio, nihil boni deeſſe poteſt, nihil mali nocere. Hinc Propheta canit Pſ. 80. 4. 8. 20. Oſtendat Deus faciem ſuam, & ſalvi erimus, & Pſ. 63. 4. bonitas tua melior eſt ipſa vita. & Pſal. 23. 4. cunctis terroribus opponit Dei favorem, *quoniam tu mecum es*, & Pſ. 33. 12. Beatus populus, cujus Iehova eſt Deus, &c. Ideo Paulus in ſuis precationibus ſemper incipit à gratia, quia inde manat omnis proſperitas. Sed cum bona alia ſint terrena, alia cæleſtia & æterna, quumque pietas promiſſiones habeat vitæ præſentis & futuræ, videndum eſt, quomodo diſtincte circa hæc fides verſetur. Primum eſt, quod ſalutis ac vitæ æternæ poſſeſſionem obtinet, eamque ſecure ex Dei dilectione exſpectat. Idcirco ſalutis noſtræ ſummam in eo ſtatuunt Scripturæ, quod abolitis inimicitiis nos in gratiam Deus recepit, Eph. 2. 14. Hujus reconciliationis ſecuritate poſita, ultro ſequitur, nihil amplius manere periculi, quin omnia bene ſuccedant, Neque enim vitæ hujus longitudinem aut honores aut opes ſibi promittit fides, ſed quia Dei benevolentia eſt plena felicitas, hujus certitudine contenta eſt, & utcunque multa deficiant ad vitæ hujus ſubſidium, multæ quoque calamitates urgeant, certo credit Deum nunquam ſibi defuturum, ipſasq; adeo miſerias beatas fore, quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quia vertentur in ſalutis adjumentũ, nec ab amore Dei nos ſeparare poterunt, Rom. 8. 35. Recte ergo, quum ſummam beatitudinis vellemus exprimere, Dei gratiam poſuimus. cap. 2. S. 28.

47. 4. Fidei fundamentum fecimus, *gratuitam promiſsionem*, quod in hac propriè fides conſiſtat. Tametſi enim Deum per omnia veracem eſſe ſtatuat, proprie tamen à promiſſione incipit, in ipſa conſtat, in ipſam deſinit. Fatemur generale fidei objectum eſſe Dei veritatem, ſive jubeat ſive prohibeat, ſive promittat, ſive minetur. Vnde Apoſtolus fidei tribuit, quod Noë futurum mundi interitum timuerit, Heb. 11. Non excludimus ergo minas à definitione fidei, quin potius eam dicimus habere reſpectum ad omnes verbi Dei partes. Sed hoc tantum indicamus, nunquam fidem conſiſtere, donec ad gratuitam promiſſionẽ pervenerit: deinde non aliter nos per illam Deo conciliari, niſi quia nos Chriſto copulat. Nam 1 vita, quam fides in Deo quærit, non in mandatis aut pœnarum edictis, ſed in promiſſione miſericordiæ reperitur, eaq; non niſi gratuita. Legalis enim promiſſio eſt conditionalis, qua remittimur ad noſtra opera. Itaque niſi fidem tremere & vacillare velimus, oportet illam ſalutis promiſſione fulciamus, quam Deus non dignitatis, ſed potius miſeriæ noſtræ reſpectu offert. 11. Ideo Apoſtolus Euangelium vocat ſermonem ſive verbum fidei, Rom. 10. 8. Contra legis tum præceptis tũ promiſſionibus effectum recõciliationis adimit. Proinde cum Paulo diſputent, qui hęc carpunt. 111. Revera nihil eſt, quod fidem poſſit ſtabilire, niſi liberalis illa noſtrę reconciliationis legatio, nec alibi firmus fidei ſtatus, quam in Dei miſericordia, ſiſtitur. 1v. Vnde eſt crebra fidei & Euangelii correlatio,

Rom.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Rom. 1. 5. & 16. 17. quia non alibi divinæ erga nos benevolentiæ extat teſtimonium. Vnde etiam reconciliationis vocatur miniſterium, 2 Cor. 5. ℣. 18. v. Quærimus fidem, quæ fideles ab incredulis diſcernit. Nemo autem fidelis dici meretur, quia tantum creditDei pręcepta juſta eſſe, & comminationes ejus veras. vi. Denique quorſum de fide diſputamus, niſi ut per eam teneamus viam ſalutis? Id vero ſalvifica fides non præſtat, niſi quatenus nos in Chriſti corpus inſerit. Concludimus fidem omni ex parte verbum Dei amplecti, ſed in Dei promiſſionem, veluti proprium ſcopum reſpicere. Ac proinde nihil nos abſurdi ſtatuere, ſi in definitione præcipuum ejus objectum & effectum urgeamus. c. 2. S. 29, 30.

48. Hinc rurſum colligimus, quod & ſupra fuit demonſtratum, fidem non minus habere opus verbo, quam fructum viva radice arboris. Etenim non alii ſperare poſſunt in Deum, quam qui noverunt nomen ejus, Pſ. 9. 11. At hæc notitia ex cujusque imaginatione non eſt, ſed quatenus Deus nobis teſtis eſt ſuæ bonitatis. Idcirco ad verbum Dei paſſim remittimur, Pſ. 119. 41, 42, 43. Vbi notanda eſt fidei ad verbum relatio, deinde ſalutis conſequentia. c. 2. S. 31.

49. Quæritur, an ergo Dei potentiam excludamus. Reſp. Minime. Niſi enim illius intuitu fides ſe ſuſtentet, Deo nunquam tribuet ſuum honorem. Idcirco tum Abrahamus tum Paulus ad Dei potentiam reſpexiſſe dicitur, Rom. 4. ℣. 21. 2 Tim. 1. 12. Et Eſaias cupiens populo ſalutis imprimere certitudinem, magnifice paſſim de immenſa Dei virtute, & totius orbis gubernatione diſſerit. In promptu cauſa eſt, quia minima quæque tentatio potis eſt nos metu conſternare: &

iden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

identidem dubitationes de Dei virtute obrepunt. Hic neceſſe eſt oculis noſtris occurrat potentia Dei, qua poteſt omnia, ne minas Satanæ Deo pręferamus, aut verbum maligne audiamus, vel non ſatis æſtimemus. Quisquis enim magni fecerit potentiam Dei, ut digna eſt, non parvos in fide progreſſus fecerit. Sed hic duo nobis obſervanda: I. Ne aliam quam effectualem Dei potentiam cogitemus. Hanc enim pietas ſemper ad uſum & opus accommodat, & præſertim opera ſibi proponit, quibus ſe patrem eſſe teſtatus eſt. Vnde tam crebro Iſraëlitis memoria præteritę redemptionis inculcatur, ut credant Deum æternum fore cuſtodem. Nec alio fine toties, tam privatim accepta, quam vetuſta Dei beneficia & opera recenſet Pſalmiſta, Pſ. 143. 5. & 77. 11. niſi ut ſe & alios in fide erigat atque confirmet. II. Quia tamen ſine verbo evanidum eſt, quidquid concepimus de potentia Dei, neceſſe eſt, ut præluceat gratiæ Dei teſtimonium. c. 2. S. 31.

50. Poſſet hic etiam moveri quæſtio de fide Saræ & Rebeccæ, quarum utraque verbi fines eſt egreſſa. Illa deſiderio promiſſæ ſobolis ancillam marito ſupponit. Hęc benedictionem Iacobo promiſſam malo artificio procurat, maritum decipit, filium mentiri cogit. neutra tamen egit ſine fide, quia multa oportuit ſuperare offendicula, ut tantopere, quod pollicitus erat Deus, appeterent, ingentibus moleſtiis & periculis refertum, ſine ulla ſpe terrenæ utilitatis. Nec abſimiliter Iſaacus, cum divinitus de honore ad minorem filium tranſlato eſſet admonitus, non deſinit propenſus eſſe in filium primogenitum Eſau: nec tamen idcirco Sanctum Patriarcham fide privabimus. Reſp. I. Hæc ipſa exempla docent errores ſæpe fidei permixtos

eſſe,

eſſe, & lubricum humanæ mentis flexum oſtendunt, ſimul ac tantillum ſibi indulget. 11. Etſi particularis error atque defectus fidem obſcurat, non tamen exſtinguit: quin imo fides primatum ſemper tenet, ubi vera eſt, & actionum illarum cauſa fuit ac principium. Vnde patet fidem effluere, niſi verbo Dei ſuffulta ſit. Et admonemur porro, quam ſollicite pendere oporteat ex ore Dei. c. 2. S. 31.

51. 5. Promiſſiones omnes *in Chriſto* concluſimus, præeunte Apoſtolo Rom. 1. 3. 1 Cor. 2. 2. Rom. 15. 8. 2 Cor. 1. 20. Quidquid enim pollicetur Deus, eo benevolentiam ſuam teſtatur, omnisque promiſſio divinæ dilectionis eſt teſtimonium. Nec refert etiam impios Dei beneficiis cumulari. Nam eo graviori judicio ſeſe induunt, quia nec cogitant nec agnoſcunt hæc à Deo provenire, non magis quam brutæ pecudes: aut ſi agnoſcunt, Dei tamen bonitatem apud ſe non reputant. Inde ergo de ejus miſericordia non edocentur. Si quis inſtet, quod deſtinatas ſibi promiſſiones reſpuendo, ultionem hac occaſione majorem ſibi accerſunt, Reſpondemus, vim promiſſionum atque proprietatem infidelitate aut ingratitudine hominum non extingui. c. 2. S. 32.

52. Iam verò extra controverſiam eſt, neminem à Deo extra Chriſtum diligi. Nam ipſe eſt filius dilectus, in quo amor Patris acquieſcit, & à quo ad nos ſe diffundit, Matth. 3. 17. In hoc dilecto gratiam adepti ſumus, Eph. 1. 6. Ipſe eſt pax noſtra, Eph. 2, 14. Ergo in Chriſtum oculi noſtri conjiciendi ſunt, quoties ulla promiſſio nobis offertur. c. 2. S. 32.

53. Sed videntur repugnare exempla quædam, ut, Naaman, 2 Reg. 5. 17, 18, 19. Cornelii centurionis, Act, 10. 31. Eunuchi, Act. 8. 27. quorum

rum in magna ignorantia Mediatoris non exigua tamen laudatur pietas & fides. Reſp. I. Fatemur implicitam fuiſſe eorum fidem, quoad Chriſti tum perſonam, tum munus. II. Aſſerimus principiis fuiſſe imbutos, quæ ipſis Chriſti guſtum aliquem, licet tenuem, dederunt. Quo ſpectant legis ſacrificia, quibus ſe exercuerunt, & Iudaicæ religionis profeſſio. c. 2. S. 32.

54. 6. Denique appoſuimus in definitione fidei, *Spiritus S. revelationem & obſignationem.* Nec ſine cauſa. Etſi enim nuda & externa verbi demonſtratio abunde ad fidem faciendam ſufficere deberet, ea tamen eſt mentis noſtræ cæcitas & in vanitatem propenſio atque hebetudo, ea cordis noſtri pervicacia, ut ſine Spiritus S. interna operatione verbo nihil agatur. Opus eſt ergo duplici beneficio, ut & mens Dei Spiritu illuminetur, & ejus virtute cor obfirmetur ac fulciatur. Neque enim fidem tantum inchoat Spiritus, ſed per gradus eam auget, donec nos ad cœleſte regnum perducat. Quocirca Paulus Timotheum jubet ſervare depoſitum per Spiritum S. habitantem in nobis, 2 Tim. 1. 14. Errant ergo Scholaſtici, qui in conſideratione fidei nudum ac ſimplicem ex notitia aſſenſum arripiunt, prætermiſſa cordis fiducia, & ſecuritate. c. 2. S. 33.

55. Si forte quis regerat Spiritum ex auditu fidei donari, Gal. 3. 2. facilis eſt ſolutio, quia Paulus ibi varia Sp. S. dona prædicat, quibus Deus Eccleſiam ſuam ornat, ut variis fidei incrementis eam ad perfectionem perducat. Itaque non eſt mirum, ſi dona iſta fidei aſcribat, quæ nos ad illa recipienda comparat. c. 2. S. 33.

56. Cæterum quia paradoxum multis habetur, neminem, niſi cui donatum ſit, poſſe in Chri-

ſtum credere, altius hæc nobis repetenda ſunt. Fons ſane erroris duplex eſt. I. quod non animadvertuut, quam recondita ſit ac ſublimis ſapientia cæleſtis, & quanta ſit in divinis myſteriis percipiendis humana hebetudo. II. quod ad firmam illam cordis conſtantiam, quæ præcipua fidei pars eſt, non reſpiciunt. Vtrumque ergo membrum plenius expendamus. cap. 2. S. 33.

57. Primum nihil valere hic humanum intellectum ſic oſtendimus. Nam I. ſi humanæ voluntatis nemo teſtis eſt, niſi Spiritus hominis, I Cor. 2. ℣. 11. divinæ voluntatis qui certus eſſet homo? II. In illis quoque rebus, quas oculo præſenti intuemur, vacillat & deficit mens hominis. Quanto magis in divinis, quæ oculus non videt? Imo primus hic proficiendi gradus eſt, ab humana perſpicacia deficere, ne in aſſequendis Dei myſteriis impediamur. III. Hæc ipſa non niſi parvulis revelantur, Matth. 11. 25. Neque enim caro & ſanguis revelat, nec animalis homo percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: quin potius illi ſtultitia ſunt, quia Spiritualiter dijudicanda, Mat. 16. 17. I Cor. 2. ℣. 14. IV. Nemo hominum ſenſum Dei novit, ſed Spiritus etiam profunda Dei ſcrutatur, per quem fit ut mentẽ Chriſti teneamus, Rom. 11. 34. I Cor. 2. 10. V. Nemo poteſt venire ad Chriſtum niſi Pater traxerit illum. Omnis autem venit, qui audivit à Patre & didicit, Ioh. 6. 44. VI. Chriſtus, cum doceret ſuos, nihil tamen proficit, donec illis ſenſum aperit, ut ſcripturas intelligant, Luc. 24. 27. 45. Sic edoctis divino Chriſti ore Apoſtolis Spiritus tamen veritatis adhuc mittendus eſt, Ioh. 16. 13. VII. Sicut ſol omnibus affulget, ſed nullo fructu inter cęcos, ita verbũ in mentem non penetrat, niſi magiſter interior illuminatione aditum

faciat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

faciat. VIII. Hinc Paulus per Spiritum fidei intelligit ipſam fidem, quia non naturaliter ipſam habemus ſed dono Spiritus, 2 Cor. 4. 13. Eodemque ſenſu precatur ut Deus impleat omne beneplacitum ſuum & opus fidei in virtute, 1 Theſſ. 1. ℣. 11. Ergo fides Dei opus eſt, ex beneplacito & virtute divina, non ex proprio hominis motu. Nec aliter fidem negat pendere ex ſapientia hominum, ſed fundatam eſſe in potentia Spiritus, 1 Cor. 2. 4. IX. Porro, ipſum credere doni eſſe, non meriti, vel ex eo liquet, quod fides non omnibus contingit, ſed ſingulari privilegio datur, quibus Deus vult, Ioh. 6. 44. Cui conſentit interpretatio Auguſtini in eundem locum. Colligimus ergo non niſi Spiritu Dei nos ad Chriſtum trahi, & illuminato intellectu ſupra noſtram intelligentiam evehi, ac tum demum guſtare & percipere ea, quæ ad regnum Chriſti pertinent. Hoc modo illuminatos Chriſtus in corpus ſuum inſerit, ut bonorum ſuorum participes faciat. c. 2, S. 34, 35.

58. Præter mentis illuminationem opus eſt *firma cordis conſtantia*, ut verbum quod mens hauſit, in cor ipſum transfundatur, ibi radices agat, & invictum ſit propugnaculum ad ſuſtinendas & repellendas omnes tentationes. Atque hoc ipſum Spiritus S. eſt effectum. Nam I. ſi vera mentis intelligentia ſolius Spiritus illuminatione fit, multo magis ab ejus virtute pendet cordis confirmatio. Quia cordis diffidentia major eſt quam mentis cæcitas. II. Ideo paſſim dicitur Spiritum ſigilli & arrhæ munere fungi, ad obſignandas nempe & confirmandas promiſſiones divinas, Eph. 1. ℣. 13. 1 Cor. 1. 22. & 5. 5. c. 2. S. 36.

59. Poſſet objici fidem variis dubitationibus impelli, nec ſemper frui tranquillo ſtatu. Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Quibuscunque machinis quatiatur, certitudinem tamen non amittit, & vel ex ipſa tentatione emergit, vel firma in ſtatione permanet. Cujus ſecuritatis exempla videre eſt Pſal. 46. 3. & 3. 6. Non equidem quod æquabili tenore ſemper ad hilaritatem mens fidelium ſit compoſita. Attamen pro modo fidei intrepide omnes anguſtias deſpicit. Ideo etiam quieſcere nos jubet ſcriptura, & uti patientia, quando ad fidem hortatur, Eſa. 30. 35. Pſal. 37. 7. Heb. 10. 36. c. 2. S. 37.

60. Concludimus fidei nihil magis eſſe adverſum, quam vel cõjecturam, vel aliquid dubitationi affine. Proinde pernicioſum eſſe dogma Scholaſticorum, quo docent nos non aliter de gratia Dei ſtatuere poſſe, quam ex conjectura morali. Quod libenter damus, ſi ab operibus noſtris affectus Dei erga nos ſit æſtimandus. Certè nulla poteſt eſſe fiducia, quæ puritatis noſtræ merito nititur. Sed quum gratuitæ & ſimplici promiſſioni divinæ fides reſpondere debeat, nullus conjecturæ locus relinquitur. c. 2. S. 38.

61. Solent regerere locum Eccleſ. c. 9. ℣. 1. Nemo ſcit utrum amore dignus ſit an odio. Reſp. 1. locus hic mendoſe redditus eſt. 2. fatemur, ex præſenti rerum ſtatu non poteſt cenſeri, quos Deus amat aut odit, cum omnia pariter & juſto & impio eveniant. Atque hoc eſt quod Salomon illic urget. 3. Idem Sapiens cap. 3. 9. affirmat non poſſe diſcerni, quid differat anima hominis ab anima pecudis, quod eodem modo videatur interire. Hinc nemo colliget animorum immortalitatem ſola conjectura niti. Ita ſtultum eſt gratiæ certitudinem negare, quoniam ex præſentium rerum aſpectu comprehendi nequit. c. 2. S. 38.

62. Objiciunt temerariam eſſe præſumptionem,

nem, indubitatam voluntatis divinæ notitiam ſibi arrogare. Reſp. Nempe, ſi conſilium Dei ſubjiceremus ingenii noſtri temeritati. At vero teſte Paulo, 1 Cor. 2. 12. non ex ſpiritu hujus mundi, ſed ex ſpiritu Dei ſcimus, quæ nobis donata ſunt. Hujus revelationem nec mendacii, nec incertitudinis, nec ambiguitatis inſimulare licet. Ergo recte aſſerimus fidei certitudinem. cap. 2. S. 39.

63. Inſtant, ne hoc quidem vacare magna temeritate, quod de Chriſti ſpiritu ſic audemus gloriari. Reſp. magnum eſſe ſtuporem, filios Dei fingere Chriſti ſpiritu deſtitutos. Paulus ait, non eſſe Chriſti ſervos, qui ejus ſpiritum non habent: filios Dei agi Spiritu Dei: hunc ſpiritum una teſtari cum noſtro ſpiritu, quod ſumus filii Dei: per hunc nos Deum invocare: per eundem ſpem noſtræ reſurrectionis certam eſſe. c. 2. S. 39.

64. Excipiunt, oportere quidem, ut ſpiritu præditi ſimus, cæterum modeſtiæ eſſe & humilitatis, non agnoſcere. Reſp. Ergo ſuperbum erit, tentare ſe, an ſis in fide, an Chriſtum habeas in te manentem. quod tamen Paulus mandat Corinthiis, 2 Cor. 13. 5. Et arrogans erit aſſertio Iohannis, 1 Ioh. 3. 24. Ex ſpiritu, quem dedit nobis, ſcimus quod ipſe manet in nobis. Porro hac ratione in dubium vocandæ erunt promiſſiones de effuſione ſpiritus ſuper ſervos Dei, Eſa. 34. 3. Ipſa quoque fides peculiare Spiritus S. opus à Spiritu erit ſeparanda, quæ graviſſima eſt in Spiritum injuria. Denique Chriſtus Spiritum ſuum docet eſſe mundo incognitum, ſed agnoſci à ſuis, quia apud illos manet, Iohan. 14. 17. Concludimus notam Chriſtianiſmi eſſe Spiritus præſentiam agnoſcere: contra miſerrimam eſſe cæcitatem, eandem vel neſcire vel de ea dubitare. c. 2. S. 39.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

65. Sed & aliunde fidei firmitatem oppugnant. Nempe etiamſi ſecundum præſentem juſtitiæ ſtatum de gratia Dei judicium ſumere liceat, manere tamen in ſuſpenſo finalis perſeverantiæ notitiam. Reſp. 1. Miſera vero hæc eſt ſalutis fiducia, quæ in præſens conjectura tantum morali nititur, de futuro plane eſt ignara. Longe aliter Paulus, qui ſe certo perſuaſum eſſe ait, nec præſentia nec futura nos poſſe dirimere à Dei amore, &c. Rom. 8.38. Quod hanc certitudinem ſpeciali revelationi tribuunt, plane frivolum eſt. Apoſtolus enim non docet, quid ipſe privatim experiatur, ſed quæ in commune credétibus ex fide proveniant bona. 11. Cum fidei proprium ſit, ſuperatis vitæ hujus ſpatiis ad futuram immortalitatem protendi, ſane præpoſterum eſt, ad punctum temporis ejus certitudinem limitare. c. 2. S. 40.

66. Adferunt etiam locum Pauli 1 Cor. 10.12. Qui ſtat videat ne cadat. Reſp. Deterret nos quidem Apoſtolus mentione noſtræ infirmitatis, attamen non eo terrore quo conſternemur, ſed quo diſcamus nos ſub potenti Dei manu humiliare, 1 Petr. 5. 6. Summa huc redit, ut cum Dei gratia per Spiritum & fidem cæleſtis vitæ contemplatione fideles fruantur, tantum abeſſe ab arrogantia gloriationem hanc, ut jam non modeſtos, ſed ingratiſſimos eſſe oporteat, qui tantam bonitatem maligne ſupprimunt. c. 2. S. 40.

67. Illud dubium ſupereſt quomodo data jam fidei definitio cum ea congruat, quam Heb. 11.1. legimus. Nos enim proprium fidei objectum & fundamentum poſuimus in promiſſionibus divinis. Paulus autem definit fidem rerum ſperandarum hypoſtaſin & non apparentium ἔλεγχον. At vero hęc optime conveniunt. Nam per hypoſtaſin

ſive

ſive fiduciam intelligas, ſive fulcrum, cui fides incumbit, patet eam eſſe ſecuram poſſeſſionem eorum, quæ Deus nobis promiſit. Adduntur res ſperandæ & quæ non videntur, nec tamen niſi promiſſæ, quia quæ creduntur, ſublimiora ſunt, quam quæ ſenſu percipi poſſint. Ideoque nos neceſſe eſt ſupra ingenii noſtri captum, & omnia quæ in mundo ſunt, adeoque ſupra nos ipſos aſſurgere. Denique ἔλεγχον vocat rerum non apparentium, eo quod myſteria Dei, quæ ad ſalutem noſtram pertinent, in ſe non cernuntur, occulta ſunt, obſcura & abſentia, ſed fides ea in verbo intuetur, & ſic de Dei veritate perſuaſa eſt, ut etiam pro factis & impletis habeat. c.2. S. 41.

68. Atque hoc bonum non eſt cordis perverſi & obliqui, ſed ejus qui timet Deum, & ex guſtu bonitatis divinæ ad redamandum Deum totus accenditur. Eſt ergo charitas effectus fidei. Itaque rejicimus Scholaſticos, qui charitatem fide & ſpe priorem faciunt. Quo etiam ſenſu Bernardus fidem remiſſionis peccatorum anteponit omnibus bonis operibus. c. 2. S.41.

69. Hactenus de fide ſatis egimus. Porro de ſpe etiam aliquid dicendum, quam conſtat eſſe comitem vivæ fidei individuam, adeoq; fructum ſive effectum, qua ſpe ſublata ne fides quidem erit. Eſt vero ſpes nobis certa exſpectatio eorum, quæ fides promiſſa eſſe credidit. Qui enim de veritate Dei certo perſuaſi ſunt, ſimul profecto expectant, ut Deus promiſſa præſtet. c. 2. S. 42.

70. Eſt autem admiranda connexio fidei atque ſpei, & utriusque mutuum auxilium. Fides credit, ſpes expectat. Illa Deum eſſe veracem, & patrem noſtrum, & dediſſe nobis vitam æternam. Hæc, ut veritatem ſuam exhibeat, ut ſe patrem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

erga nos ſemper gerat, ut vitam illam aliquando patefaciat. Fides eſt fundamentum, cui ſpes incumbit: ſpes fidem alit, atque ſuſtinet patienter expectando, ne fides feſſa ſuccumbat, ne nimis feſtinet aut vacillet in Dei promiſſionibus, aut de earum veritate dubitet, ne fatigetur, ne in medio curſu deficiat. Qua de cauſa Paulus ſalutem noſtram in ſpe collocat, Roman. 8. 24. Id melius patebit, ſi cogitemus, quibus & quam variis tentationibus fides impeti & concuti ſolet. Sæpius enim Dominus promiſſiones ſuas differt, quæ res animos ſuſpenſos tenet. At ſpes facit, ut exſpectemus tamen, Habac. 2. 3. Sæpius languere Dominus nos ſinit & nonnunquam apertam indignationem præ ſe fert. Hic ſpes ſuccurrit & exſpectare jubet Dominum, qui abſconderit faciem ſuam à Iacob, Eſa. 8. 17. Inſurgunt etiam illuſores, qui rident promiſſiones Domini, 2 Pet. 3. 4. Eademque inſuſurrant caro & mundus. At fides ſuffulta ſpei tolerantia in æternitatis contemplatione defixa manet. Et propter hanc tum conjunctionem tum affinitatem, ſæpius fidei & ſpei vocabula confunduntur, 1 Petr. 1. ℣. 5. aut certe ſimul junguntur. Ibidem ℣. 21. Hebr. 11. ℣. 1. Gal. 5. 5. cap. 2. S. 42, 43.

71. Coronidis loco rejicimus ſententiam Lombardi, qui duplex ſpei fundamentum ſtatuit, gratiam Dei, & operum meritum: quia ſine meritis ſperare, non ſpes ſed præſumptio ſit. At I. non poteſt eſſe alius ſpei quam fidei ſcopus. Atqui fidei ſcopus unicus eſt, Dei miſericordia. II. Falſum eſt, eum temere præſumere, qui Deum veracem eſſe confidit. Libenter ergo tantum præſumemus de Dei veritate, & miſericordia, ut abjecta operum fiducia bene ſemper ſperare audeamus,

mus, quia non fallet is, qui dixit, ſecundum fidem veſtram fiat vobis, Matth. 9. 29. c. 2. S. 43.

DISPVTATIO II,

De Pœnitentia.

Ex lib. 3. cap. 3.

1. HActenus docuimus, quomodo Chriſtum & ejus bona per fidem poſſideamus. Nunc de effectis fidei dicendum; 1. quia ſic præcedens doctrina fiet dilucidior. 2. quia Euangelii ſumma paſſim ſtatuitur in pœnitentia & remiſſione peccatorum. 3. quia Chriſtus utrumque beneficium, vitæ ſcilicet novitatem & reconciliationem gratuitam nobis per fidem confert. Ergo his omiſſis inutilis eſſet de fide diſputatio. Sect. 1.

2. Exordiemur autem à pœnitentia. Sic enim melius patebit, quomodo ſola fide juſtificetur homo, nec tamen à gratuita juſtitiæ imputatione realis vitæ ſanctitas ſeparetur. S. 1.

3. Pœnitentiam non modò fidem continuo ſubſequi, ſed ex ea naſci, extra cõtroverſiam eſſe debet. I. Nemo enim Euangelii gratiam amplecti poteſt, quin ſe ab erroribus vitæ prioris convertat, totumque ſtudium ad pænitentiæ meditationem applicet. adeoque hic primarius ſcopus eſt prædicationis Euangelicæ. II. Quia non poteſt homo pœnitentiæ ſerio ſtudere, niſi ſe Dei eſſe noverit. Hac de re nemo verè perſuaſus eſt, niſi qui Dei gratiam prius apprehenderit. III. Nulla rectitudo poteſt inveniri, ubi non regnat Spiritus Chriſti. Ergo nec vera pœnitentia. IV. Ex Pſalm. 130. 4. Apud te eſt propitiatio, ut timearis. Ergo nemo Deum reverebitur, niſi eum ſibi propitium confidat; nec ad Legis obſervationem ſe libenter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

accinget, niſi perſuaſus ſit, Deo ſua placere obſequia. v. Id porro fieri nequit ſine Dei indulgentia ignoſcentis & tolerantis vitia noſtra. quod ipſum ſignum eſt paterni favoris. Hunc ergo præire neceſſe eſt. Sic Oſeæ 6. 1. ſpes veniæ tanquam ſtimulus additur, ne populus in ſuis peccatis torpeat. S. 1. 2.

4. Objici contra ſolet, quod Chriſtus & Ioannes Baptiſta primum ad reſipiſcentiam hortantur, deinde regni cœlorum adventum ſubjiciunt. Et hoc mandatum accepiſſe Apoſtolos, eundemque ordinem ſecutum eſſe Paulum, Matth. 3. 2. Marc. 4. 17. Act. 20. 21. Reſp. Non eſſe verbis ſuperſtitioſe hærendum, rem ipſam potius ſpectandam. Chriſtus & Iohannes reſipiſcendi cauſam ab ipſa gratia & ſalutis promiſſione ducunt. Hæc ergo illam antecedit. Patet idem ex collatione Matthæi & vaticinii Eſaiæ, quod in miniſterio Iohannis conſtat fuiſſe impletum. At vero Eſaias concionem Iohannis à conſolatione & læto nuntio jubetur inchoare, Eſa. 40. 3. S. 2.

5. Sed obſtare videtur, quod multi conſcientiæ pavoribus ante domantur vel formantur ad obſequium, quam imbuti fuerint cognitione gratiæ, imo eam guſtaverint. Reſp. Hic eſt initialis timor, qui licet veræ obedientiæ propinquus eſſe videatur, cum vera pœnitentia confundi non debet. Neque hic jam quæritur, quam variè Chriſtus nos ad ſe trahat, vel præparet ad virtutis ſtudium. S. 2.

6. Cæterum, quando reſipiſcentiæ originem ad fidem referimus, non hic certum aliquod temporis ſpatium ſomniamus, neque placet deliramentum Anabaptiſtarum aut Ieſuitarum, qui, ut à pœnitentia exordiantur, certos dies præſcribunt,

quibus

quibus demum tranſactis pœnitentes in gratiæ communionem admittant. Ita ſtulte pœnitentiam, quæ in totam vitam homini Chriſtiano proroganda eſt, pauculis diebus terminant. S. 2.

7. Pœnitentiam non omnes eodem modo definiunt. Quidam dixerunt, eam conſtare mortificatione & vivificatione. Mortificationem, quam & contritionē vulgò vocant, interpretantur animæ dolorem & terrorem, ex agnitione peccati & judicii divini ſenſu conceptum. Iſthinc oritur peccati odium, ſui diſplicentia, miſeriæ confeſſio, melioris vitæ votum. Hinc animus conſternatus jacet, dejectus tremit, deſperat. Vivificationem dicunt eſſe conſolationem, quæ ex fide naſcitur, ubi homo mortificatus, in Dei bonitatem, gratiam, & ſalutem, quæ eſt in Chriſto, reſpiciens, ſeſe erigit, animum recolligit, & velut è morte in vitam redit. Et hæc vim pœnitentiæ non incommodè exprimunt, niſi quod vivificationem ſumunt pro animi pacati lętitia, quum potius ſancte pieque vivendi ſtudium ſignificet, quod oritur ex renaſcentia. S. 3.

8. Alii duas conſtituunt pœnitentiæ formas. Vnam legalem, alteram Euangelicam. Legalem vocant, qua peccator gravitatem peccati ſui agnoſcit, iram Dei timet. Sed hic conſtrictus hæret, &, quia non niſi ultorem & judicem Deum cogitat, in iſta perturbatione deſperat. Hujus exempla eſſe volunt Cainum, Saulem, Iudam, Gen. 4. 13. 1 Sam. 15. 30. Mat. 27. 5. Euangelicam definiunt, qua peccator aculeo peccati apud ſe exulceratus, fiducia miſericordiæ Dei erigitur, recreatur, ad Dominum convertitur. Exempla habemus in Ezechia, 2 Reg. 20. 2. Ninivitis, Ion. 3. 5. Davide, 2 Sam. 24. 10. & 12. 13. 16. Iudæis, Act. 2. 37. Petro, Mat. 26. 75. S. 4.

9. Et

9. Et hæc quidem vera eſſe concedimus. Quod vero fidem ſub pœnitentia complectuntur, minus convenire videtur cum ſententia Pauli, qui fidem in Chriſtum & pœnitentiam in Deum, ut res diverſas enumerat. Act. 20. 21. Et fatemur pœnitentiam citra fidem non conſiſtere: diſtingui tamen debent, etſi ſeparari non poſſint, ſicut nec ſine ſpe fides eſt, & tamen confundi cum ea non oportet. Damus etiam ſub pœnitentiæ nomine totam ad Deum converſionē nonnunquam comprehendi, cujus pars non poſtrema fides eſt. Sed quo ſenſu, poſtea videbimus. S. 4.

10. Pœnitentiæ nomen Hebræis à converſione vel reditu, Græcis à mentis conſiliique mutatione deductum eſt. Quibus vocibus hoc innuitur, à nobis eſſe demigrandum, ut ad Deum convertamur, & depoſita priſtina mente, novam eſſe induendam. S. 5.

11. Ergo non male pœnitentia definiri poterit, quod ſit vera vitæ noſtræ ad Deum converſio, à ſincero ſerioque Dei timore profecta, quæ carnis noſtræ veteriſque hominis mortificatione, & ſpiritus vivificatione conſtet. S. 5.

12. Atque huc tendunt omnes Prophetarum & Apoſtolorum conciones, nec non loquendi formulæ, quibus uti ſolent eodem ſignificatu. ut ſunt, Converti ſeu reverti ad Dominum, reſipiſcere, pœnitentiam agere, & quidem poſt Deum, fructus pœnitentia dignos proferre, Matth. 3. 2. 1 Sam. 7. 2. Luc. 3. 8. Rom. 6. 4. Actor. 26. 20. Hoc enim unum urgent, ut homines peccatis ſuis confuſi, & divini judicii terrore puncti, coram Deo humilientur, ac vera reſipiſcentia in rectam ejus viam ſe recipiant. S. 5.

13. Sed hæc dilucidius nobis enarranda. Primum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mum requirimus vitæ ad Deum converſionem, hoc eſt, transformationem, non in operibus tantum externis, ſed in ipſa anima. Nam præpoſteros hypocritarum conatus, in externis tantum ceremoniis poſitos, deridet Deus, Eſa. 58. ℣. 6. Quos vero Prophetæ ad pœnitentiam vocant, eos jubent cor novum ſibi facere, Ezech. 18. 31. ex toto corde & anima converti ad Deum, circumcidere cor, & auferre præputium cordis, Ierem. 4. 1. 3. 4. Nempe, quia nihil efficitur in juſtitiæ ſtudio capeſſendo, niſi revulſa ſit impietas ex penitiſſimo corde. Deinde, quia nobis cum Deo eſt negotium, qui cor duplex odit, apud quem tergiverſando nihil proficitur. S. 6.

14. Secundo diximus pœnitentiam ex ſerio Dei timore proficiſci. Nam 1. Oportet mentem peccatoris cogitatione judicii divini excitari, in quo omnium factorum dictorumque ratio aliquando reddenda eſt. Hæc cogitatio miſerum hominem ne punctum quidem temporis reſpirare ſinet, quin perpetuo ad meditandum aliud vitæ ſtudium exſtimuletur, quo ſe ad judicium illud ſiſtere ſecure queat. Ideo quando ſcriptura nos hortatur ad pœnitentiam, judicii divini meminit, tum futuri, in ultimo adventu Chriſti, Act. 17. 30. vel jam imminentis in hac vita, Ier. 4. 4. tum præteriti, ut ex pœnis irrogatis peccatores ſecum reputent, pejora ingruere, niſi mature reſipiſcant, Deut. 29. Id tamen cavendum, ne tam pœnam quam peccatum ipſum exhorreamus, quo triſtitia noſtra ſit ſecundum Deum, cui peccatum diſplicere intelligimus. Nec ægre ferendæ ſunt ejuſmodi punctiones, quas ingenii noſtri pravitas, carniſque ſocordia & contumacia à Deo extorquet, ut his veluti ferulis & malleis corrigatur atque

contun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

contundatur. II. Alia quoque ratione timor Dei eſt pœnitentiæ principium, quando nos docet vitam noſtram omnem ad Dei cultum & honorem referre, nosque totos divino ejus ſubjicere imperio. S. 7.

15. Tertio poſuimus pœnitentiam duabus conſtare partibus, mortificatione carnis & vivificatione Spiritus. Id probamus. I. Ex Prophetis, Pſ. 34. 15. Eſa. 1. 16. Nam quando à malitia revocant, totius carnis malæ & perverſæ interitum exigunt. Quæ res valde eſt difficilis & ardua, ut quidquid noſtrum eſt & ab ingenio noſtro, id aboleamus. Sed niſi hoc fiat, nunquam putandum eſt carnem interiiſſe. Ideo primus ad obedientiam legis ingreſſus eſt carnis noſtræ abnegatio. Idque nomen ipſum mortificationis admonet. Hinc enim colligimus, non aliter nos formari ad Dei timorem & initia pietatis, niſi ubi gladio Spiritus violenter mactati in nihilum redigimur. Poſtea iidem Prophetæ renovationem deſignant à fructibus, qui inde conſequuntur, juſtitia, judicio, & miſericordia. His enim officiis nemo recte defungitur, niſi anima & cor tales affectus induerit. Id autem fit Spiritus operatione, qui animas noſtras novis cogitationibus & affectibus imbuit, ut merito novæ haberi queant. II. Ex locis N. T. quibus paſſim jubemur exuere veterem hominem, induere novum: renuntiare mundo & carni: concupiſcentiis noſtris valere juſſis renovari ſpiritu mentis noſtræ. III. Ex morte & reſurrectione Chriſti. Vtriusque enim nos participes eſſe neceſſe eſt. Atqui virtute mortis ejus crucifigitur vetus homo, & peccati corpus emoritur, ne amplius vigeat primæ naturæ corruptio. Per reſurrectionem ejus ſuſcitamur in vitæ novitatem, quæ juſtitiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Dei reſpondeat. IV. Ex voce regenerationis, cujus non alius eſt ſcopus, niſi ut Dei imago, per Adæ transgreſſionem fœdata adeoque obliterata, in nobis Chriſti beneficio reformetur in Dei juſtitiam, 2 Cor. 3. 18. Eph. 4. 23. Col. 3. 10. S. 8. 9.

16. Hæc inſtauratio non uno, vel die, vel anno impletur; ſed per continuos, imo etiam lentos profectus perficitur, ut tota vita electorum ſit pœnitẽtiæ exercitium, & perpetua certaminis materia, unde infirmitatem ſuam melius addiſcant. S. 9. 10.

17. Proinde inique calumniatur Staphylus, quando imaginem Dei ex Paulo interpretamur ſanctitatem & juſtitiam veracem, nos ſtatum præſentis vitæ cum gloria cœleſti confundere. Cum enim res aliqua definitur, certe ejus perfectio quęrenda eſt. Nec tamen locus negatur incrementis. Quo enim magis ad Dei ſimilitudinem quisque propius accedit, eo magis etiam fulget imago Dei. In quem finem ſtadium pœnitentiæ fidelibus Deus aſſignavit. S. 9.

18. Sane omnes alicujus judicii ſcriptores in eo conſentiunt, manere in homine regenerato mali & cupiditatis fomitem: præterea ſanctos concupiſcendi morbo ita implicitos retineri, ut obſtare nequeant, quin ad varia vitia ſubinde titillentur & incitentur. Cujus rei unus Auguſtinus teſtis ſufficere poteſt. Hoc intereſt, quod etſi à peccati nomine non ſemper abſtineat, tamen concupiſcentiam non audet vocare peccatum, ſed infirmitatis nomine deſignat, quæ tunc fiat peccatum, ubi vel opus, vel conſenſus aut voluntas ad primam appetitionem accedit. At nos illud ipſum pro peccato habemus, quod homo aliqua omnino cupiditate contra legem Dei titillatur: imo ipſam pravitatem, quæ ejuſmodi cupiditates generat, peccatum eſſe

aſſeri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

aſſerimus. Vnde concludimus, in Sanctis, donec mortali corpore exuantur, ſemper eſſe peccatum. Sect. 10.

19. Hanc ſententiam noſtram confirmamus, I. Ex Rom. 7. ubi conſtat Paulum in hominis regenerati perſona loqui, & de hoc morbo concupiſcentiæ diſerte agere. Atqui eundem morbum vocat peccatum & malum, ℣.7.17.20.21. Et ne quis cavilletur, meminit repugnantiæ adverſus legem Dei: item impedimenti juſtitiæ, & ſpiritualis miſeriæ; quæ ipſa nemo negabit eſſe malum & peccatum. II. Ex formula legis, qua jubemur Deum diligere ex toto corde, tota anima, & omnibus facultatibus. Omnes ergo partes animæ occupari debent amore Dei. Proinde non ſatisfaciet præcepto, qui vel leviculam appetitioné corde receperit, vel ullam omnino cogitationem animo admiſerit, quæ eum ab amore Dei in vanitatem abducat. Neque enim dubium eſt, quin hæ ſint facultates animæ, ſubitis motionibus affici, ſenſu comprehendere, mente recipere. Quum autem hæ vanis & pravis cogitationibus aditum patefaciant, ſequitur, carnis cupiditates eſſe peccata, concupiſcentiam verò peccati eſſe originem: niſi forte quis, tranſgreſſionem Legis eſſe peccatum, negare velit. S. 11.

20. Neque obſtat, quod per Baptiſmum lavari & purgari dicimur à peccato. Nam etſi Deus gratiam illam verè ibi pollicetur, & in electis implet, ad reatum tamen illud potius referendum, quàm ad peccati materiam. Tum etiam de peccati regno intelligi poteſt, quod ſic per regenerationem in filiis Dei aboletur, ut ejus tamen reliquiæ in nobis habitent. Et has ipſas non imputari fatemur ex Dei miſericordia, ac ſi non eſſent. S. 11.

21. Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

21. Sed abſurdum videtur, omnes in univerſum damnare cupiditates, quibus homo naturaliter afficitur, & quæ à Deo inditæ ſunt naturæ authore. *Reſp.* Non damnamus illas, quatenus ſunt naturales, ſed quatenus inordinatæ. Et fatemur illas appetitiones, quatenus eas Deus in creatione inſculpſit, eradicari niſi cum ipſa humanitate non poſſe. Sed ob naturæ pravitatem facultates omnes & actiones vitiatæ ſunt & pollutæ. Et cum ab iſta intemperie & ἀταξία cupiditates ſeparari nequeant, merito vitioſas eſſe contendimus. S. 12.

22. Objici etiam ſolet ex Iacobo c. 1. 15. Concupiſcentiam, poſtquam conceperit, parere peccatum, proinde non eſſe ipſum peccatum. *Reſp.* Non eſſe conſequens. Agit enim de ſolis operibus malis vel peccatis actualibus. Sin minus, ne mala quidem voluntas in peccato deputabitur. Manet igitur, concupiſcentiam eſſe rem malam & coram Deo damnabilem. S. 13.

23. Nec aliter ſenſit Auguſtinus, qui licet invidiæ Pelagianæ declinandę cauſa interdum à peccati nomine abſtinet, alibi tamen ſine ambiguitate peccatum vocat: ut variis locis demonſtrari poteſt. S. 12, 13.

24. Adverſus hanc doctrinam pernitioſiſſimè errant nonnulli hoc ſæculo Anabaptiſtæ, qui talem nobis regenerationem comminiſcuntur, qua reſtitutos in ſtatum innocentiæ non oporteat ſollicitos eſſe de libidine carnis refrænanda, ſed ſolum ſpiritum ducem ſequendum eſſe. At hac ratione omnem turpis & honeſti, boni & mali, virtutis & vitii delectum tollunt. S. 14.

25. Ajunt quidem hoc diſcrimen ex maledictione Adami exſiſtere, à qua per Chriſtum exemti ſimus. Sed falſum ſumunt. Sic enim ſua

natura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

natura inter ſcortationem & caſtitatem, veritatem & mendacium nihil intereſſet. S. 14.

26. Inſtant. Nihil eſſe metuendum: quia Spiritus nihil mali imperabit, modo ſecurè illius actioni te permittas. Sed ita nobis alium Chriſtum & alium Spiritum fabricantur, quam Scriptura prædicat. Nobis unus tantum eſt Chriſtus, & unus ejus Spiritus, non homicidii vel aliorum peccatorum patronus, ſed veritatis & virtutis author: non vertiginoſus, qui per fas & nefas inconſideratè ruat, ſed qui rectè ac prudenter inter juſtum & injuſtum diſcernat: non turbulentum ſomnii humani phantaſma, ſed de quo hæc duo ſcriptura tradit. 1. Spiritum Dei datum eſſe in ſanctificationem, ad obedientiam juſtitiæ divinæ, quæ conſtare nequit, niſi purgatis & domitis concupiſcentiis, quibus iſti habenas laxant. 2. Sic nos ejus ſanctificatione purgari, ut tamen multis vitiis & infirmitatibus obnoxii ſimus, adverſus quas toto vitæ curſu luctandum ſit, exemplo Pauli 2 Cor. 12. 15. Rom. 7. 6. Vnde ſequitur, excuſſa ſecuritate vigilandum eſſe, ne Satanæ & carnis inſidiis circumveniamur. S. 14.

27. Porrò ad pleniorem pœnitentiæ deſcriptionem pertinent ſeptem illa, quæ ab Apoſtolo enumerantur 2 Cor. 7. 11. nempe, Sollicitudo, Excuſatio, Indignatio, Timor, Deſiderium, Zelus, Vindicta. Quas ſive cauſas, vel effectus, vel partes, ſive affectiones cum pœnitentia conjunctas eſſe dixeris, non magni refert, modò intelligamus, quid Paulus illis vocibus ſibi velit. Primo dicit, ex triſtitia ſecundum Deum excitari *Sollicitudinem*, hoc eſt attentionem & diligentiam: partim ut à Diaboli laqueis penitus ſeſe explicet, & ab ejus inſidiis ſibi caveat: partim ne à Spiritus guber-

gubernatione excidat & ſecuritate opprimatur. Proxima eſt *Excuſatio*, non defenſio quidem aut negatio, aut extenuatio culpæ, ſed purgatio, in deprecatione magis poſita, quam in cauſæ fiducia. Sicut filii, quando agnoſcunt & deprecantur culpam, ſimul quibus poſſunt modis teſtantur, ſe non abjeciſſe debitam parentibus reverentiam, nec hac excuſatione utuntur, niſi ut veniam obtineant. Sequitur *Indignatio*, qua peccator ſecum expoſtulat, & ſibi iraſcitur, dum ſuam perverſitatem & in Deum ingratitudinem recognoſcit. Additur *Timor*, hoc eſt, trepidatio mentis, quoties cogitamus, & quid meriti ſimus, & quam horribilis ſit iræ divinæ ſeveritas in peccatores. Sic ad humilitatem erudimur, & in poſterum cautiores reddimur. Per *Deſiderium* intelligere videtur ſedulitatem in officio & obſequendi alacritatem, ad quam maximè nos provocare debet delictorum agnitio. Subjungitur *Zelus*, qua voce videtur ſignificare ardorem, quo admotis iſtiusmodi aculeis accendimur. Poſtrema eſt *Vindicta*, quando acriore cenſura quæſtionem habemus de peccatis noſtris, & partes ultionis in exigenda à nobis pœna occupamus. Sentiunt ſane pii, quales pœnæ ſint, pudor, confuſio, gemitus, diſplicentia ſui, & reliqui affectus, qui ex ſeria peccatorum recognitione naſcuntur. Quo autem in nos ſeveriores ſumus, eo debemus magis de Dei bonitate ſperare. Sect. 15.

28. Eſt tamen hic modus tenendus, ne triſtitia nos abſorbeat, Hebr. 12. 3. 2 Corinth. 2. 11. Cavenda enim nobis eſt aſtutia Satanæ, ne metu Dei proſtratos in profundum mœroris gurgitem demergat: quia hoc modo refugitur Deus, qui per pœnitentiam ad ſe nos vocat. Talis ergo timor

ſit,

ſit, qui deſinat in humilitatem, nec tamen diſcedat à ſpe veniæ. S. 15.

29. Iam & pœnitentiæ fructus, quales ſint, intelligi poteſt: nempe, officia pietatis erga Deum, charitatis erga homines, totius vitæ ſanctimonia, & reliqua pœnitentiæ ſigna, quæ tanto certiora ſunt, quanto majore quisque ſtudio vitam ſuam exigit ad legem Dei. Ideo Spiritus Dei pœnitentiam inculcans, nunc ad ſingula Legis præcepta, nunc ad officia ſecundæ tabulę revocat: ſic tamen, ut à corde principium faciendum eſſe doceat. poſt ad externa teſtimonia deſcendit, quæ veram reſipiſcentiam commendant. Atq; huc referri debent dicta Prophetarum, quibus partim ſubſannant eos qui ceremoniis contendunt placare Deum, partim externam vitæ integritatem tradunt non eſſe caput pœnitentiæ, quia Deus cor intuetur, à cujus interiore affectu incipiendum nobis eſt, Ioel 2. 13. Vtrumque autem Iacobus conjunxit cap. 4. 8. Etſi enim primo membro manus mundationem ponat, tanquam acceſſorium, fontem tamen ſatis demonſtrat, cum cordis purgationem adjicit. S. 16.

30. Sunt præterea & externa aliqua exercitia, ut ſunt, in ſqualore, gemitu, & lacrymis eſſe: fugere ſplendorem, & quemlibet apparatum, omnibus deliciis ſe abdicare, &c. quæ ab illa vindicta, de qua loquitur Paulus 2 Cor. 7. 11. emanant, quibus veluti remediis privatim vel ad nos humiliandos vel ad domandam carnem utimur, publice vero ad reſipiſcentiæ teſtificationē. Ac de his exercitiis ſæpe loquuntur vetuſti ſcriptores, ſed dupliciter tamen videntur modum exceſſiſſe. 1. quod, dum immodicis elogiis corporalem illam diſciplinam commendarunt, internam quodammodò obſcu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

obſcurarunt. 2. quod in exigendis caſtigationibus fuerunt aliquando rigidiores. S. 16.

31. De jejunio, fletu, cinere, ſimilibusque, quorum Ioël meminit cap. 2. 12. quæſitum fuit, num illis præcipua pars reſipiſcentiæ metienda ſit. Reſp. I. Converſionem & ſciſſionem cordis reſipiſcentiæ proprium eſſe, fletum autē & jejunium ſpecialem habere circumſtantiam. Nam quia graviſſimum excidium Iudæis minatus fuerat, ſuadet Propheta iram Dei antevertere, non tantum reſipiſcendo, ſed more reorum indicia mœroris præ ſe ferendo, ad conciliandam Dei miſericordiam. II. Sciendum, illis forte temporibus cinerem & ſaccum magis proprium fuiſſe. III. Extra dubium eſt, non ſemper pœnitentiæ cohærere jejunium, ſed calamitoſis temporibus peculiariter deſtinari, teſte Chriſto, Matth. 9. 15. IV. Intelligimus autem hic jejunium ſolenne. Nam piorum vita frugalitate & ſobrietate temperata eſſe debet, ut perpetua quędam jejunii ſpecies appareat. V. Sic etiam inter nos jejunii uſus valdè erit opportunus, quoties clades aliqua & calamitas impendet. Et recte fecerint Paſtores, ſi ad jejunium & fletum hortentur, modo ſciſſionem cordis majore cura urgeant. VI. Dicemus, improprie ad illam externam profeſſionem nomen pœnitentię transferri. Neq; enim tam eſt ipſa converſio ad Deum, quam culpæ confeſſio, cum pœnæ & reatus deprecatione. S. 17. 18.

32. Eſt etiam hæc publica confeſſionis ſpecies diſtinguenda à privata pœnitentia. Illic nos damnamus coram Angelis & mundo, atque ita prævenimus Dei judicium, 1 Cor. 11. 31. Sed homines facere palam conſcios & teſtes noſtræ reſipiſcentiæ non eſt ſemper neceſſarium. At privatim

Deo

Deo confiteri pars eſt veræ pœnitentiæ. Atque hæc 1. omitti nunquam debet. quia non eſt conſentaneum, ut Deus nobis ignoſcat peccata, in quibus nobis ipſi blandimur. 2. Sic eam inſtituere convenit, ut non tantum peccata fateamur, quæ quotidie admittimus, ſed ubi gravius lapſi ſumus, in memoriam revocanda erunt, quæ videntur jam pridem ſepulta, exemplo Davidis. Pſ. 51. 7. & 25. ℣. 7. Sic enim omnem ſoporem vere excutiemus. S. 18.

33. Adhæc notandum eſt, pœnitentiam ordinariam ab extraordinaria differre. Illam dicimus, cui per totum vitæ curriculum operam nos dare cogit naturæ corruptio. Hæc ſpecialis eſt, & à quibuſdam tantum exigitur, qui vel turpius ceciderunt, vel effreni licentia ſe projecerunt ad peccandum, vel quadam defectionis ſpecie jugum Dei excuſſerunt. Qualis eorum fuiſſe refertur, qui ab idololatria & craſſis ſceleribus converſi dicuntur. Et de qua Paulus etiam loquitur, 2 Cor. 12. 21. Atque hoc diſcrimen diligenter obſervandum, ne dum paucos audimus ad pœnitentiam citari, obrepat ſecuritas, quaſi nihil ad nos pertineret carnis mortificatio, cujus curam nunquam licet remittere. S. 18.

34. Porrò ex his quæ jam dicta ſunt, ſequitur, Dominum ideò gratis ſuos juſtificare, quo eos ſimul Spiritus ſui ſanctificatione in veram juſtitiam inſtauret. Quo ſenſu paſſim conjungi videmus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. Iohannes Baptiſta & Chriſtus jubent agere pœnitentiam & credere Euangelio, quia regnum Dei appropinquavit, Matth. 3. 2. Marc. 1. 15. Etenim in regno Dei theſauri miſericordiæ aperiuntur, remiſſio peccatorum, ſalus, vita, & quidquid in Chriſto

aſſequimur, Marc. 1.4. Luc. 3.3. Adhæc pœnitentiam exigunt, ut ſe peccatores agnoſcant, & peccatorum mole preſſi, tum de remiſſione & ſalute ſpem concipiant, quo nomine credere jubentur; tum verò carnis mortificationem & novam regenerationem totis votis expetant. Hinc eſt, quod totam Euangelii ſummam prædicatione pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum Scriptura ſæpius complectitur, Luc. 24. 26. 46. Actor. 5. 31. Prædicatur enim pœnitentia in nomine Chriſti, quum audiunt homines ſuas omnes cogitationes, affectus, ſtudia corrupta eſſe: proinde opus eſſe, ut renaſcantur. Remiſſio peccatorum annuntiatur, quum docentur homines, Chriſtum ſibi factum eſſe redemptionem, juſtitiam, & vitam. Vtraque gratia fide apprehenditur. Sed tamen, quia proprium fidei objectum eſt Dei bonitas peccata remittens, neceſſe eſt eam à pœnitentia diligenter diſtingui. S. 19.

35. Cæterum, ſicut peccati odium pœnitentiæ eſt exordium, primumque nobis ad Chriſti cognitionem ingreſſum aperit, ita in eam tota vita incumbere oportet, ſiquidem in Chriſto conſiſtere volumus. Venit enim Chriſtus ut peccatores vocet ad pœnitentiam, ut benedicat indignis, quo ſe convertat unusquisque à nequitia ſua, Mat. 9. 13. Act. 3. 26. & 5. 31. Quare etiam ubi peccatorum remiſſionem offert Deus, viciſſim reſipiſcentiam ſtipulari ſolet, innuens ſuam miſericordiam hominibus reſipiſcendi cauſam eſſe debere, Eſa. 56. 1. & 59. 20. & 55. 6. Act. 2. 38. S. 20.

36. Neque tamen putandum eſt, hanc conditionem eo ſenſu apponi, quaſi noſtra reſipiſcentia ſit emerendæ veniæ fundamentum. Quin potius, quo ſit tendendum, indicat, ſi modo gratiam obtinere volumus. S. 20.

37. Pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

37. Proinde, quamdiu in carcere corporis habitamus, aſſidue nobis cum corruptæ noſtræ naturæ vitiis luctandum eſt, adeoque cum naturali noſtra anima. Rectè Plato dicebat, vitam Philoſophi eſſe meditationem mortis. Nos verius dicimus, vitam hominis perpetuum eſſe ſtudium, & exercitationem mortificandæ carnis, & perpetuam pœnitentiæ méditationem, donec Spiritus Dei plenum regnum in nos obtineat. Nec aliter facere poſſunt, quos genuinum peccati odium tenet, quia nemo peccatum odit, niſi prius amore juſtitiæ captus. S. 20.

38. Porro, ſingulare Dei donum eſſe pœnitentiam, conſtat I. ex Actor. 11. 18. 2 Tim. 2. ℣. 25. 26. quibus locis Deus dicitur dare pœnitentiam. II. quia toto regenerationis curſu vocamur figmentum Dei, creati ad bona opera, Eph. 2. 10. Et revera facilius eſſet nobis nos creare homines, quam próprio marte induere præſtantiorem naturam. III. quia Spiritus vivificatio eſt peculiare electorum beneficium, quos Deus eripere vult ab interitu, ſicut obduratio cordium eſt ſignum reprobationis: qua de re etiam pii queruntur, Eſai. 63. 17. Eodem ſpectat locus Heb. 6. 6. Apoſtolus enim volens excludere Apoſtatas à ſpe ſalutis, hanc adfert rationem, quod impoſſibile ſit eos renovari ad reſipiſcentiam. Nempe quia Deus renovans, quos perire non vult, ſignum oſtendit favoris divini, quo eos ad ſe attrahit; rurſum obdurat reprobos, quorum irremiſſibilis eſt impietas. Vnde conſequitur, etſi Deus velit omnium converſionem, & exhortationem communiter omnibus deſtinet, efficaciam tamen pendere à ſpiritu regenerationis. S. 21.

39. Sed enim, quia Novatiani olim hoc loco ad

ad Hebr. 6.4.5.6. & altero ad Hebr. c. 10.26.27. turpiter abuſi ſunt, ita ut, præpoſtere auſteri, voluntariis peccatis omnibus ſpem veniæ præciderent, penitius hæc doctrina nobis eſt inſpicienda. Quidam boni viri hoc nomine putaverunt hanc Epiſtolam eſſe ſuppoſititiam. Nos verò eam dicimus omni ex parte Apoſtolicum Spiritum redolere, nec tamen Novatianorum ſuffragari errori. Ac 1. quidem illud pro manifeſto ſumimus, Apoſtolum cum Magiſtro ſuo conſentire, qui omne peccatum aſſerit remiſſibile, excepto peccato in Spiritum Sanctum. Vnde conficitur, nullis ſingularibus peccatis veniam negari, præterquam huic uni, quod ex deſperato furore profectum, neque infirmitati adſcribi poteſt, & palàm demonſtrat hominem à Diabolo poſſideri. S. 21.

40. 11. Idem plenius liquebit, ſi peccati hujus ſpeciem propius expenderimus. Auguſtinus alicubi definit obſtinatam ad mortem uſque pervicaciam, cum veniæ diffidentia. Non committeretur ergò, niſi ad mortem quis in eo perſeveret. Contrà Chriſtus ait, non remiſſum iri in hoc ſæculo. Quod fruſtra dicitur, niſi etiam in hac vita committi poſſit. Alii dicunt, in Spiritum Sanctum peccare, qui gratiæ in fratrem collatæ invidet. Sed nimis hoc eſt dilutum. Nos ſic definimus, eos in Spiritum Sanctum peccare, qui divinæ veritati, cujus fulgore ſic perſtringuntur, ut ignorantiam cauſari nequeant, tamen deſtinata malitia reſiſtunt, in hoc tantum ut reſiſtant. quod ſic probamus; quia Chriſtus diſtinguit peccatum in Filium à blaſphemia in Spiritum Sanctum. Ratio diſtinctionis in eo ſita eſt, quod illi in Patrem & Filium peccare dicuntur, qui in veritatem Dei incognitam imprudentes impingunt, hoc tamen animo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

præditi, ut patefactam ſibi veritatem exſtinguere nolint. Sic multi hodiè Euangelii doctrinam peſſimè exſecrantur, quam, ſi Euangelii eſſe ſcirent, toto corde parati eſſent venerari. Ita Paulus docet ſe miſericordiam conſequutum, quod ignorans per incredulitatem ea commiſerit, quorum merito alioquin indignus fuiſſet Dei gratia, 1 Tim. 1. 13. Aliorum diverſa ratio, quorum convicta eſt conſcientia, hoc eſſe Dei verbum, quod repudiant & oppugnant, impugnare tamen non deſinunt. Ideoque in ſpiritum blaſphemare dicuntur, quia adverſus illuminationem (quæ eſt opus Spiritus Sancti) luctantur. Tales erant Iudæi nonnulli, qui non tam ex zelo, quam ex malitioſa impietate, in doctrinam furebant, quam eſſe à Deo non neſciebant, quumque Spiritui per Stephanum loquenti reſiſtere non poſſent, reſiſtere tamen contendebant, Actor. 6. 10. Tales Phariſæi, qui miracula Chriſti calumniabantur, Matth. 9. 34. & 12. 24. Differt ergo ignorantia cum incredulitate juncta, quæ veniam obtinet, ab incredulitate, ad quam ſcientia acceſſit, ubi veniæ locus non eſt. Sect. 22.

41. III. Porrò, non eſt mirum, tales implacabilé ſentire Deum. Nam, cum Iohannes epiſt. 1. cap. 2. 19. affirmat eos, qui exierunt ab Eccleſia, non fuiſſe ex electis, in eos ſermonem dirigit, qui facilem regreſſum imaginabantur, etſi ſemel à religione defeciſſent. Quos ab hac falſa opinione avocans, dicit non patere iis reditum ad Chriſti communionem, qui ſcientes volentes, adeoque ex profeſſo totam Chriſti doctrinam projecerunt. S. 23.

42. IV. Loca allata ex Epiſtola ad Hebræos idem demonſtrant, Nam, 1, Verbum *Prolabendi* & *Pec-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

& *Peccandi* non ſimpliciter quamvis legis transgreſſionem ſignificat, ſed totius doctrinæ cognitæ ex profeſſo factam rejectionem. Et hic 2. notanda antitheſis in qua repeti debent contraria omnia iis, quæ ante poſita fuerant: quod illuminati fuerint, guſtaverint donum cæleſte, participes facti Spiritus Sancti guſtaverint bonum Dei verbum & virtutes venturi ſæculi. His contrarium eſt *Prolabi, Peccare*, hoc eſt, lumen Spiritus deliberata impietate ſuffocare, doni cæleſtis guſtum reſpuere, à ſanctificatione Spiritus ſe alienare, verbum Dei & ſæculi venturi virtutes conculcare, à fide Euangelii deficere, Deum ludibrio habere, Chriſti ſanguinem profanare, ipſumque adeo rurſus crucifigere, Spiritum gratiæ contumelia afficere, Hebræor. *6*. 4, 5, *6*. & 10. *29*. Hinc conſtat, non particularem unum atq; alterum lapſum, ſed univerſalem averſionem à Deo & totius hominis ἀποστασίαν exprimi. 3. Eodem facit, quod Hebr. 10. 26. adjicit dictionem *voluntariè*. Neque enim negat Chriſtum eſſe perpetuam hoſtiam, nec ſacerdotium aut gratiam Chriſti cupit imminuere, ſed iis, qui volentes poſt veritatis notitiam acceptam peccant, affirmat nullam reſtare hoſtiam, quod abnegata veritate ab illa hoſtia diſceſſerint. Sect. 23.

43. Quibuſdam hoc nimis durum, & à clementia Dei alienum videtur, à remiſſione ullos depelli, qui ad implorandam Dei miſericordiam confugiunt. Sed hoc poſtremum gratis ſumunt. Apoſtolus enim negat ad pœnitentiam poſſe ſurgere, quod æterna cæcitate ob ingratitudinem juſto Dei judicio percuſſi ſint. At converſis veniam non denegat. S. 24.

44. Objiciunt etiam exemplum Eſau, qui *non*

reperit pœnitentiæ locum, quamvis cum lacrymis eam expetiviſſet, Hebr. 12. 17. Et dictum Zachar. 7. 13. *Cum clamaverint, non exaudiam*. Reſp. His loquendi formulis non deſignari veram converſionem aut Dei invocationem, ſed improprie ſic vocari cæcum illud ex deſperatione tormentum, quo diſtrahuntur impii, quando vident quærendum ſibi eſſe Deum, ut inveniant malis ſuis remedium, & tamen ejus acceſſum refugiunt. De vera autem invocatione & converſione nunquam fallit promiſſio, Ezech. 18. 20, 21. S. 24.

46. Quæritur tamen, quomodo veniam adeptus ſit Achab, & pœnam indictam averterit, cujus tamen pœnitentiam non niſi fucatam & hypocriticam fuiſſe conſtet. Reſp. I. Sic interdum hypocritis parci ad tempus, ut tamen ſemper illis incumbat ira Dei. Mitigata fuit pœna ipſi Achabo, ſed maledictio fixam ſedem habuit in ejus domo, ipſe autem in æternum exitium perrexit. Sic Eſavi lacrymis, etſi repulſam paſſus eſſet, temporalis quidem benedictio, tanquam homini belluino, conceſſa; Spiritualis autem hæreditas & Dei miſericordia fuit denegata. II. Hoc ad aliorum exemplum referri debet, 1. ut tanto alacrius ad ſinceram pœnitentiam animum adjiciamus. Si enim Dei clementia ad indignos uſq; ſe extendit, quanto magis erit facilis ad ignoſcendũ verè & ex animo converſis? 2. Docentur omnes ſuperbi & præfracti, quam horribile eos maneat judicium. Nam hac amica facilitate ad ſeriam converſionem invitantur, aut certè inexcuſabiles redduntur, Pſ. 78. 36, 37. 3. Quando Deus ad tempus pœnas remittit, non perpetuam ſibi legẽ imponit. Sæpius enim contra hypocritas ſeverius inſurgit, & pœnas duplicat. Vnde apparet, quantopere ei diſpliceat fictio. S. 25.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

DISPVTATIO III ἐλεγκτικὴ,

De Pœnitentia, Satisfactionibus, Indulgentiis & Purgatorio.

Ex lib. 3. cap. 4. 5.

1. NVnc excutienda nobis ſunt ea, quæ de pœnitentia Pontificii non intricate tantum, ſed & falſo docent. Principio in danda definitione vim ejus non exprimunt. Ajunt pœnitere eſſe anteacta peccata vel mala deflere & plangere, deflenda & plangenda nō iterum committere. Item, quod ſit quædam dolens vindicta, puniens in ſe quod dolet commiſiſſe. Item quod ſit dolor cordis, pro malis quæ quisque commiſit, vel quibus conſenſit. Cujusmodi elogia, ex patribus deſumpta, plura adlui poſſent. His definitionibus deterior eſt doctrina, quam poſtea tradunt. Sic enim ſunt in externis exercitiis infixi, ut pœnitentia nihil ipſis aliud eſſe videatur, quam diſciplina & auſteritas, quæ partim domandæ carni, partim caſtigandis puniendisque vitiis ſerviat; de interiore mentis renovatione & vera vitæ correctione mirum eſt ſilentium. Contritionis quidem & attritionis ſæpius meminerunt, ſed ubi ſcrupulis permultis animas torſerunt, aut corda vulneraſſe viſi ſunt, levi ceremoniarum aſperſione totam amaritudinem ſanant.

2. Pœnitentiam tam argute definitam nihilo magis dialectice partiuntur in contritionem cordis, confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis. Si enim ſecundum iſtas definitiones poteſt quis vere pœnitere, ut tamen ore non confiteatur, ſequitur, pœnitentiam poſſe eſſe ſine confeſſione. Nec juvat reſpondiſſe, ſe de Sacramento pœni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tentiæ, vel tota ejus perfectione loqui, quia ſuis definitionibus hęc comprehendere debuerant. Sed omiſſis his aliisque frivolis ineptisque quæſtionibus, quibus ſe miſere impediunt, partes ipſas ordine perluſtrabimus. De his autem in genere monendi lectores, eas à Scholaſticis ad impetrandam remiſſionem peccatorum, ut neceſſarias, referri. Agitur ergo hic de re omnium maxime ſeria, ſine cujus certa & perſpicua notitia nulla conſcientiis conſtat pax vel ſecuritas. Atqui hanc totam evertunt, dum ab his conditionibus pendere volunt peccatorum remiſſionem. Quo poſito nihil nobis eſt miſerius, quia conſcientiam neceſſe eſt ſemper fluctuare, trepidare, divexari, horrere, odiſſe & fugere conſpectum Dei. cap. 4. S. 1, 2.

3. Contritionem, primam faciunt obtinendæ veniæ partem, eamque debitam exigunt, hoc eſt juſtam & plenam, quæ culpæ magnitudini reſpondeat, & cum fiducia veniæ velut in trutina appendatur. Atqui I. ſimul ſtatuere debuerant, quando quis ſecurus eſſe poterit, ſe hac contritione ad juſtum modum defunctum eſſe. II. Eſt quidem ſedulo & acriter urgenda triſtitia, quæ diſplicentiam & odium peccatorum magis acuat, ſed ubi debita doloris acerbitas imponitur, neceſſe eſt conſcientias miris modis torqueri & exagitari, quia nec aſſequuntur debiti menſuram, nec ſecum decernere poſſunt, an perſolverint quod debebant. Itaq; diu ſecum luctatæ portum, in quo reſideant, non inveniunt. Si dixerint, faciendum, quod in nobis eſt, eodem revolvimur. Quando enim quis audebit ſibi promittere, omnes ſe vires contuliſſe ad lugenda peccata? III. Hac via tandem ad ſimulationem itur. Nam ut ſe aliqua ſaltem parte leniant, dolorem à ſe extorquent aliquem, & la-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

chrymas exprimunt, quibus ſcilicet ſuam contritionem perficiant. Nec eſt cur nos calumniari dicant. Oſtendant etenim vel unum aliquem, qui hujusmodi contritionis doctrina non ſit ad deſperationem adactus, vel ſimulationem doloris judicio Dei pro vero dolore nõ oppoſuerit. c. 4. S. 2. 3.

4. IV. Fatemur etiam nos, peccatorem remiſſionem ſine pœnitentia non obvenire, ſed ſimul addimus, pœnitentiam nõ eſſe ejus cauſam. Prius docet ſcriptura, quando vocat laborantes, oneratos, pauperes, contritos corde, captivos, vinctos, lugentes, quibus gratiam promittit Chriſtus. Et revera non niſi peccatorum conſcientia vulnerati Dei miſericordiam rite implorare poſſunt. Sic excluduntur tum Phariſæi, qui juſtitia ſua ſaturi paupertatem ſuam non agnoſcunt; tum contemtores, qui ſecuri iræ Dei, malo ſuo remedium non quærunt. Tales enim non ſunt onerati nec contriti corde, &c. Poſterius membrum adjecimus, ut doceremus, peccatorem non in ſuam compunctionem aut lachrymas intueri, ſed utrumq; oculum in ſolam Domini miſericordiam defigere. Iam vero multum intereſt, jubeaſne quempiam emereri peccatorum remiſſionem juſta & plena contritione, qua nunquam defungi poſſit, an eum inſtituas per miſeriæ ſuæ agnitionem ad eſuriendam & ſitiendam Dei miſericordiam, in qua requiem inveniat, doceasque in ſua humilitate dare Deo gloriam. c. 4. S. 3.

5. Alteram pœnitentiæ partem ſtatuunt eſſe confeſſionem, de qua inter Canoniſtas & Scholaſticos non ſatis bene convenit, ſitne juris divini an eccleſiaſtici. Qui argutiores videri volunt, hac diſtinctione conantur elabi; quantum ad ſubſtantiam, à jure divino eſſe profectam, ſed formam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

accepiſſe à jure poſitivo. Cæterum, operæ pretium eſt videre, quibus argumentis hanc ſive formatam ſive informem confeſſionem probent Dei eſſe mandatum. I. Inquiunt, Chriſtus miſit leproſos ad ſacerdotes, Matth. 8. 4. Luc. 5. 14. & 17. 14. Sed quia facile erat regerere, non fuiſſe miſſos ad confeſſionem, cui audiendæ Levitici ſacerdotes præfecti non fuere, inde confugiunt ad allegorias. Sacerdotibus mandatum erat, ut diſcernerent inter lepram & lepram, Deut. 17. ℣. 8. 9. peccatum vero eſt lepra ſpiritualis. Ergo de hoc pronuntiare eſt ſacerdotum. Reſp. I. Si hoc ita eſt, quo jure utriusque tam carnalis quam ſpiritualis lepræ cognitionem ad ſe trahunt? II. Cum omnia ſacerdotia ad Chriſtum tranſlata, in eo impleta & finita ſint, ad eum certe jus omne ſacerdotii tranſlatum eſſe oportet. Chriſtum igitur unicum ſacerdotem nobiſcum agnoſcant. III. Importuna eſt allegoria, quæ legem mere politicam inter Ceremonias reponit. IIII. Certa & peculiaris fuit cauſa, cur leproſos Chriſtus ad ſacerdotes miſerit, partim ne calumniarentur ipſum legem violare, cum velit Chriſtus mundatos leproſos ea facere, quæ legis erant; partim ut hoc miraculum eis ſit in teſtimonium, ita ut, velint nolint, cogantur fieri teſtes miraculorum Chriſti: quo ſenſu hęc phraſis etiam accipitur, Matht. 24. 14. & 10. 18. Ergo ad profeſſos Euangelii hoſtes iſta pertinent, quorum profeſſionem ſiquidem retinere velint Papales ſacrificuli, iis ſe ſimiles eſſe fateantur, quorum ora compeſci neceſſe eſt, ne Chriſto maledicant. c. 4. S. 4.

6. II. Rurſus ex allegoria argumentantur, quaſi allegoriæ multũ valerent ad dogma aliquod confirmandum. Ajunt, Dominus præcepit diſcipulis

pulis ſuis ut ſuſcitatum Lazarum faſciis ſolverent & expedirent, Ioh. 11. 44. Reſp. I. Veriſimilius eſſe, non diſcipulis, ſed Iudæis aſtantibus Chriſtum hæc dixiſſe, ut omnem fraudis ſuſpicionem tolleret, utque miraculum eſſet evidentius. II. Sed demus diſcipulis dictũ eſſe, quid hoc ad ſolvendi poteſtatem faciet? Quin potius allegorice ſignificatum voluit, à nobis non rigide & inhumaniter tractandos, erga quos ipſe tam miſericors & ad parcendum facilis fuerit.

7. III. Reponunt nobis loca, Matth. 3. ỳ. 6. Iac. 5. 16. quibus aperta fit mentio confeſſionis peccatorum. Reſp. I. Qui ad Iohannis Baptiſmum veniebant, confitebantur peccata ſua. Nec mirum; Iohannes enim prædicabat baptiſmum pœnitentiæ. Et Baptiſmus ſymbolum eſt remiſſionis peccatorum. Nulli proinde admittebantur niſi peccatores & qui ſe tales agnoſcerent, adeoque hac ipſa de cauſa confitebantur peccata ſua, ut baptizarentur. II. Iacobi locus minimè illis ſuffragatur. Nam jubet, ut alter alteri confiteatur peccata, & ut pro ſe invicem atq; reciprocè orent. Ergo mutuam confeſſionem & orationem ſimul jungit. Iam ſi ſolis ſacrificulis confitendum eſt, ſequitur pro ſolis ſacrificulis orandum eſſe, & ſolos etiam confiteri poſſe. Sed mens Iacobi ſimplex eſt & aperta, nempe ut noſtras infirmitates viciſſim alter in alterius ſinum deponamus, partim ut mutuum conſilium & conſolationem inter nos accipiamus, partim ut alii pro aliis Dominũ oremus. Fruſtra ergo Iacobum citant cõtra nos, qui tantopere confeſſionem miſericordiæ urgemus, quam nemo poteſt confiteri, niſi miſeriam ſuam prius confeſſus fuerit. c. 4. S. 6.

8. IV. Prætendunt antiquitatem, ſed fruſtra.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Nam I. etſi fateamur uſum confeſſionis eſſe vetuſtiſſimum, tamen dicimus fuiſſe liberum, nec ullam de ea ſtatam fuiſſe legem ante Innocentii tertii & Concilii Lateranenſis decretum. Ergo fluxerunt à Chriſti reſurrectione anni mille & ducenti, antequam tyrannis hæc fuit invecta, aut lex ulla fuit lata de enumerandis omnibus & ſingulis peccatis ſuis. Idque vel ipſa verborum barbariès evincit. Etenim jubent omnem utriusque ſexus quotannis ſemel proprio ſacerdoti confiteri òmnia peccata. Ita ſoli hermaphroditæ hoc præcepto tenerentur. Quis autem ſit iſte proprius ſacerdos, explicare nequeunt. II. Conſtat ex antiquitate, politicam fuiſſe diſciplinam, ab Epiſcopis, non autem à Chriſto & Apoſtolis poſitam. Cujus rei Sozómenus teſtis eſt luculentiſſimus, ſuæ hiſtoriæ lib. 7. c. 17. Quò loco aperte indicat fuiſſe hanc conſtitutionem obſervatam in Eccleſiis occidentalibus, præſertim Romæ. Itaque non fuit univerſale omnium Eccleſiarum inſtitutum. Tum vero unum è Preſbyteris huic muneri fuiſſe deſtinatum, quod illi univerſo ſacerdotali ordini commune faciunt. Addit idem, morem hunc confitendi, propter facinus cujuſdam matronæ & Diaconi, à Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano fuiſſe abrogatum, & ad ſuam uſque memoriam obſoleviſſe. Iam vero ſi auricularis confeſſio lege Dei ſancita erat, quomodo eam convellere auſus fuit Nectarius, vir ſanctitate & eruditione clarus, aut quà ratione non Conſtantinopolitana tantum, ſed omnes Eccleſiæ Orientales legem divinam omnibus mandatam ſine defectionis culpa negligere potuerunt? III. Nec aliter Chryſoſtomus variis in locis monet, non homini vel conſervo, qui in publicum proferat, ſed Deo confitendum eſſe, qui non exprobret, c. 4. S. 7. 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

9. Verum ut res fiat planior, utile erit Scripturæ de hac re ſententiam referre: deinde Pontificiorum commenta ſubjiciemus. Principio notandum eſt vocem confeſſionis à vetere interprete poſitam eſſe pro *laudare*. In qua ſignificatione ad rem præſentem non pertinet. Eoque impudentiores ſunt Papiſtæ, quod iſtiusmodi teſtimoniis turpiter abutuntur. Scriptura vero unam confitendi rationem præſcribit, qua Domino Deo peccata noſtra confitemur, veniæ obtinendæ cauſa. Nam ipſe Ieſus eſt & offenſus: & cordium cognitor eſt. Et ſolus medicus, quique peccatores ad ſe vocat. Ejus denique eſt peccata remittere. Idcirco David & Daniel injuſtitiam ſuam Deo confitentur, Pſal. 51. 5. Dan. 9. 5. eodemque ſenſu Iohannes confiteri jubet peccata ſua, Domino ſcilicet, qui fidelis eſt, ut ea remittat, 1 Ioh. 1. 9. c. 4. S. 9.

10. Hanc arcanam confeſſionem, ex animo & coram Deo factam, ultro ſequitur voluntaria apud homines confeſſio, quoties id vel divinę gloriæ vel humiliationis noſtræ intereſt. Sic David peccatum ſuum & coram Deo & coram hominibus agnoſcit, 2 Sam. 12. 13. Eodemque ſpectat inſtitutum Dei, quo olim populus præeunte ſacerdote iniquitates ſuas palam in templo confitebatur. Sic enim melius quisque adducebatur ad juſtam miſeriæ ſuæ cognitionem, tum vero bonitas & miſericordia Dei coram toto mundo illuſtrabatur. c. 4. S. 10.

11. Hoc confitendi genus ordinarium eſſe convenit in Eccleſia, 1. quia Dei ore commendatur. 11. quia magna ejus eſt utilitas. Nam quando in omni ſacro conventu nos in Dei & Angelorum conſpectum ſiſtimus, non aliunde initium actionis noſtræ fieri poteſt, quam ab indignitatis

noſtræ

noſtræ recognitione: quæ licet in qualibet precatione ſit neceſſaria, non exiguum tamen uſum habet, quoties ſolenni confitendi ritu Chriſtiana plebs ad humiliationem exercetur. Idque nemo negabit, qui ſerio expenderit, quanta ſit noſtra vel ſecuritas vel ſomnolentia vel ſocordia. Porro hac clave, tam ſingulis privatim quam ómnibus publice, aperitur ad precandum janua. 111. Idem conſtat exemplo, tum Iſraëliticæ, tum cujusvis bene jam moratæ Eccleſiæ. Nam tametſi Ceremonia olim fuerit ex legis pædagogia, res ipſa tamen aliquo modo ad nos pertinet. Hodiè præterea morem hunc cum fructu in Eccleſiis obſervari videmus, ut ſingulis diebus Dominicis miniſter formulam talem confeſſionis ſui & populi nomine concipiat. c. 4. S. 11.

12. Idem tamen confitendi genus extra ordinem ſingulari modo recte uſurpatur, quando populum communi aliquo delicto obſtringi contigerit. Cujus ſingulare exemplum habemus in ſolemni illa confeſſione, qua populus ductu Eſdræ & Nehemiæ defungitur, Nehem. 9. 1. &c. Nec refert, ſi in una aliqua Eccleſia pauci reperiantur inſontes. Nam cum membra ſint malè affecti corporis, non debent ſanitatem jactare. Imo fieri non poteſt, quin aliqua labe contracta aliquid ipſi quoque culpæ ſuſtineant. Ergo quoties gravi calamitate affligimur, & ad luctum, jejunium & alia reatus ſigna confugere opus eſt, ipſa certè confeſſio, ex qua alia omnia dependent, non erit negligenda. c. 4. S. 11.

13. Duas præterea confeſſionis privatæ formas Scriptura probat: unam quæ noſtri, alteram quæ proximi cauſa fit. Ad priorem pertinet illud Iacobi, ut alter alteri peccata confiteamur. Finis eſt,

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ut conſilio & conſolatione mutua nos juvemus. Cæterum cum Iacobus neminem nominatim aſſignet, cui facienda ſit, liberum permittit delectum, ut ei confiteamur, qui ex Eccleſiæ grege maxime idoneus fuerit. Præ aliis tamen paſtores potiſſimum deligendi, ut qui & rerum ſcientia & authoritate ad hanc rem maximè ſint appoſiti. Eſt quidem mutuæ admonitionis & conſolationis officium Chriſtianis omnibus demandatum, Matth. 16. 19. Sed miniſtris tamen ſpecialiter eſt injunctum, utpote quorum officium eſt & publice & privatim populum Dei tum erudire, tum conſolari, & de peccatorum remiſſione, tanquam teſtes & ſponſores, nomine Dei conſcientias afflictas certiores reddere: unde etiam ipſi dicuntur peccata remittere, & animas ſolvere, Matt. 18. 18. Nemo ergo fidelium, ſi quando ita peccatorum ſenſu angitur, ut ſe explicare, niſi alieno adjutorio, nequeat, hoc remedium à Domino oblatum negliget. Hac tamen ſervata moderatione, I. ut ejuſmodi confeſſio libera ſit, nec ab omnibus exigatur, ſed ab iis tantum, qui ea ſe opus habere intelligunt. II. Ne hi ipſi ad enumeranda omnia peccata vel præcepto cogantur, vel arte inducantur, ſed duntaxat quod intereſſe ſua putabunt ad ſolidam conſolationem. Atq; hujus libertatis ipſos Paſtores decet eſſe fidos vindices, ſi volunt & tyrannidem abeſſe à ſuo miniſterio, & à populo ſuperſtitionem. c. 4. S. 12.

14. Altera confeſſionis forma eſt, quam in proximi gratiam facere convenit, ad ipſum nobis reconciliandum, ſi qua in re noſtro vitio læſus fuerit. De hac loquitur Chriſtus, Matth. 5. 23. Vbi à ſacris arcet eos omnes, qui in fratres aliquid peccarunt, donec juſta ſatisfactione redierint in gratiam,

tiam, ad ſarciendam charitatem, quæ noſtra culpa diſſilierit. Sub hoc genere comprehenditur eorum confeſſio, qui uſque ad totius Eccleſiæ offenſionem peccarunt. Nam ſi tanti æſtimat Chriſtus privatam unius confeſſionem, quanto major eſt ratio, ut qui Eccleſiam læſit malo exemplo, eam ſibi culpæ agnitione reconciliet. Hujus confeſſionis exemplum exſtat, 2 Cor. 2. 6. Eademque confitendi forma fuit in Veteri Eccleſia, teſte Cypriano. c. 4. S. 12, 13.

15. Præter has, aliam confitendi rationem vel formam ſcriptura prorſus ignorat. Noſtrum vero non eſt novis vinculis conſcientias in ſervitutem redigere. Interim quin oves ſe paſtori ſuo ſiſtant, quoties ſacram cœnam accedere volunt, adeo non reclamamus, ut maximè optemus hoc ubique obſervari. Nam qui habent impeditam conſcientiam, ſingularem inde fructum referre poſſunt; & qui admonendi ſunt, monitionibus ita locum præbent. c. 4. S. 13.

16. Conſtat ergo, tria eſſe confeſſionis genera, in quibus ſingulis poteſtas clavium locum habet. I. Quando tota Eccleſia vitiorum ſuorum veniam ſolenniter deprecatur. II. Quum privatus dato communi offendiculo pœnitentiam ſuam teſtatur. III. Quando is, qui ob conſcientiæ inquietudinem ope miniſtri indiget, ſuam illi infirmitatem aperit. Etſi enim in his tollendæ offenſionis diverſa ſit ratio & finis, in omnibus tamen hoc agitur, ut paci conſcientiæ conſulatur: qui fructus minime ſpernendus eſt, quo libentius peccata noſtra confiteamur. Etenim quum tota Eccleſia ſe coram Deo ream confitetur, non vulgare aut leve eſt ſolatium, habere illic præſentem Chriſti legatum, à quo denuntiari ſibi abſolutionem audiat,

modo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

modo rite, ordine, & religione, qua decet, iſta legatio peragatur. Similiter quando quis in fraternam Eccleſiæ unitatem reſtituitur accepta venia, quantum beneficium eſt, quod ab iis ſibi ignoſci intelligit, quibus Chriſtus hanc authoritatem remittendi peccata conceſſit? Matth. 18. 19. Iohan. 20. 23. Ejuſdem efficaciæ & fructus eſt privata abſolutio. Accidit enim ſæpius, ut ad generales promiſſiones in peculiari applicatione dubius adhuc & inquietus hæreat animus. Vbi vero paſtori ſuo ſecretum vulnus aperuerit, audieritq; vocem Euangelii ad ſe peculiariter directam, *Remittuntur tibi peccata tua, confide*, Matth. 9. 2. tunc animus confirmatur ad ſecuritatem, & trepidatione liberatur. c. 4. S. 14.

17. Cæterum quando de clavibus agitur, cavendum eſt, ne facultatem ſomniemus ab Euangelii prædicatione ſeparatam. Quidquid enim juris ad ligandum & ſolvendum Chriſtus Eccleſiæ contulit, id omne verbo Dei eſt alligatum. Idq; in miniſterio clavium maxime verum eſt. c. 4. S. 14.

18. Pontificii de confeſſione, confitentibus, clavium poteſtate, & ſacerdotibus quibus confitendum eſt, hæc potiſſimum docent. Ac de iis qui confiteri debent, duo ſtatuunt. Primum, ut omnes utriusque ſexus ſtatim atq; ad annos diſcretionis venerint, ſemel ad minimum quotannis confiteantur omnia ſua peccata proprio ſacerdoti. Reſp. I. In genere, ipſos nullo jure fidelium animas ſuis legibus obſtringere. II. Legem de enumeratione omnium peccatorum nullo modo eſſe ferendam. Rationes hæ ſunt. I. Quia David optimè meditatus peccatorum confeſſionem, teſtatur ſe ſuorum peccatorum numerum inire non potuiſſe, Pſal. 19. 13. & 38. 5. II. Lex iſta eſt inutilis,

tilis, imo pernitioſa, nec niſi carnificinam adfert conſcientiis, eorum maxime, qui aliquo Dei ſenſu afficiuntur. Quid enim? Vbi ſe ad calculum revocaverint, peccata in partes & particulas diſſecuerint, tum vero apprehẽderint qualitates, quantitates, circumſtantias, jam quidem res videbitur aliquantum profeciſſe. Vbi vero longius progreſſi fuerint, major ſemper congeries peccatorum oculis ingeritur, nec ſpes ulla, vel ſaltem poſt longas ambages, evadendi apparet, nullus denique exitus reperitur, quam deſperatio. Quæ huic malo fomenta adhibent, vulnera, quæ fecerunt, non levant. Ajunt, cuique faciendum eſſe, quod in ſe eſt. At vero hic rurſus hærent & cruciantur miſeræ animæ: quod non ſatis temporis impenderint, non juſta diligentia incubuerint, multa per negligentiam præterierint, multa obliti ſint ex incuria. Ibi vero carnifices iſti denuò ſuggerunt, Age negligentiæ tuæ pœnitentiam, modo non ſit ſupina, condonabitur. Sed hoc pharmacum non tam mali eſt levamentum, quam venenum melle oblitum, in intima penetrans, antequàm ſentiatur. Et ſemper inſonat terribilis illa vox, *confitere omnia peccata tua.* Hic horror tali ſolatio pacari non poteſt.

III. Inde ſequitur legem illam eſſe impoſſibilem, nec quicquam poſſe niſi perdere, damnare, confundere, in deſperationem conjicere. Quis enim ad rationem vocabit acta totius anni, quando ubi ad veſperam unius tantum diei delicta colligenda ſunt, experientia convincat, memoriam propter ingentem turbam & varietatem cunfundi? Deinde non de craſſis Hypocritis ſed de veris Dei cultoribus loquimur, qui poſtquam ſerio examine peracto, vident ſeſe obrui, expaveſcunt ad judicis illius conſpectum, quem corde ſuo majorem eſſe agno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

agnoſcunt, 1 Ioh. 3. 20. IV. Eadem lex peccatores à vero peccatorum ſenſu abductos hypocritas facit, & Dei ac ſui ipſius ignorantes. Nam dum in enumeratione peccatorum actualium toti ſunt occupati, interim latentem vitiorum lernam, & occultas atque interiores ſordes obliviſcuntur, quorum maximè meminiſſe debebant. Si cui mirum videbitur bonam partem orbis in tali lege potuiſſe acquieſcere, Reſp. non hoc factum, quod aut Deo aut ſibi ſatisfactum crederet, ſed quod paululum interquieſcere conſcientiam gauderet. cap. 4. S. 16, 17, 18.

19. Certiſſima ergo confeſſionis eſto regula, tantam mali noſtri abyſſum agnoſcere & fateri, quæ linguam & ſenſum noſtrum ſuperet, exemplo Publicani, Luc. 18. 13. Vnde tamen minime ſequitur, ad confeſſionem ſufficere, ut uno verbo nos peccatores fateamur. Quin potius cor totum coram Deo eſt effundendum, & tam multitudo quam magnitudo delictorum agnoſcenda, ſic tamen ut cum Davide fateamur plura adhuc reſtare, ac profundiores eſſe malorũ receſſus, quam quos penitus excutere poſſimus, Pſ. 19. 13. c. 4. S. 18.

20. Alterum à Pontificiis in confitente requiſitum eſt, ut votum firmiter conceptum fuerit, & oblata facultate perſolutum. ſin minus, nullum patere affirmant paradiſi ingreſſum. Reſp. Abſit ut iſtud eis concedamus. I. quia non alia nunc eſt peccatorum remiſſio, quam ſemper fuit. Iam verò quotquot peccatorum remiſſionem in Chriſto obtinuiſſe leguntur, non leguntur in aurem ſacrificuli confeſſi. Nec ſane poterant, cum tales confeſſionarii non eſſent, & multis retro ſeculis ſine hac conditione remiſſa ſint peccata. II. Verbum Dei apertum eſt, quotiescunque peccator

inge-

ingemuerit, Deum nolle recordari iniquitatum, Ezech. 18.21. Huic verbo quisquis audet aliquid adjicere, non peccata ligat, ſed Dei miſericordiam. cap. 4. Sect. 18.

21. Secundo loco diſpiciendum eſt de poteſtate clavium, quibus peccator ſolvitur atque ligatur, ſecundum Chriſti dictum, Matth. 18. 29. De hac primo aſſerunt, eam eſſe penes ſacerdotem, cui in aurem confitendum ſit, neque enim poſſe ferri judicium niſi cauſa cognita, ſibi vero ligandi & ſolvendi munus eſſe mandatũ. Reſp. I. Temere eos jus hoc ſibi arrogare, qui ſeipſos judices crearunt. II. Stulte jurisdictionem fingi quæſtioni adjunctam. III. Ius hoc Apoſtolis fuiſſe incognitum. IV. Certo ſcire, an ſolvatur peccator, non pertinere ad ſacerdotem, ſed ad Deum, à quo petenda eſt abſolutio. Sacerdos enim qui audit, nunquam ſcire poteſt, ſitne juſta & integra enumeratio. Ita nulla unquam eſſet abſolutio. V. Tota ſolvendi ratio ex fide & pœnitentia conſtat: quæ duæ res cognitionem hominis fugiunt. ſequitur ligandi & ſolvendi certitudinem non ſubjici terreni judicis arbitrio, quia miniſter verbi non poteſt niſi conditionaliter abſolvere: verba autem abſolutionis in gratiam peccatoris pronuntiat, ne dubitet veniam promiſſam in cœlis eſſe ratam. c. 4. S. 15, 18.

22. Quid mirum igitur ſi auricularem illam confeſſionem tot nominibus Eccleſiæ noxiam damnamus? Adeoque licet per ſe res eſſet indifferens, quando tamen nulli uſui eſt & fructui, tot contra impietatibus, ſacrilegiis, erroribus cauſam dedit, merito abolendam eſſe cenſemus. Quos enim uſus hic recenſent, ementitos eſſe aſſerimus & nullius momenti. Vnum quidem valde commen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mendant, erubeſcentiam cōfitentis, gravem nempe pœnam, qua & peccator ſit in poſterum cautior, & Dei vindictam antevertit, ſe ipſum puniens. Reſp. I. Satis hominem humiliamus, quando eum ad Dei tribunal vocamus. Sane qui Deum non veretur habere malæ conſcientiæ teſtem, parum profecerit, ſi unius hominis pudore peccare deſinat. II. Teſtatur experientia, nulla re fieri majorem peccandi confidentiam & licentiam. Etenim modo ſacerdoti fuerint confeſſi, non pudebit eos factum negare. Tum vero toto anni tempore ad peccandum fiunt audaciores, in tempus ſcilicet confeſſionis peccata peccatis accumulantes, ut tunc omnia ſimul evomant, interim de Deo & vera pœnitentia ſecuri. Vbi vero confeſſi ſunt, videntur ſibi omni ſarcina exonerati, & Deo oblivionem induxiſſe, quia ſacerdotem conſcium fecerint. Iam cum ad diem confeſſionis horreant & inviti ac reluctanti ſimiles ad eandem veniant, quem conſcientiæ fructum adferunt? Concludimus, ſiquidem recte fecit Nectarius qui cōfeſſionem ex Eccleſia ſua ſuſtulit ob unum ſcortationis rumorem, nihilominus nobis hodie faciendum eſſe, ob infinita ſtupra, adulteria, inceſta & lenocinia, quæ inde prodeunt. c. 4. S. 19.

23. Sed quia Pontificii in poteſtate clavium regni ſui fundamentum collocant, videamus porro quid illa ſit, & quantum valeat. Adverſariis quidem noſtris non omnino recte de illa inter ſe convenit. Alij contendunt unicam tantum eſſe clavem in eſſentia, poteſtatem ſcilicet ligandi & ſolvendi: ſcientiam ad bonum ejus uſum requiri. Alii duas claves recenſent, diſcretionem & poteſtatem. Alii rurſus alias claves excuderunt, authoritatem diſcernendi ad definiendū, & poteſtatem

in

in ſententiæ executione: ſcientiam accedere velut conſiliarium. Sacerdotis non eſſe peccata remittere & delere, quod illud ſit ſolius Dei, Eſai. 43.25. ſed declarare aut pronuntiare, quorum ſint remiſſa aut retenta peccata. Idque fieri vel per confeſſionem, quum abſolvit aut peccata retinet, vel per ſententiam, quum excommunicat, aut ad communionem recipit. Demum, quia poteſt objici, ſæpius indignos ligari aut ſolvi, qui propterea non ſint ligati aut ſoluti in cœlo, reſpondent, collationem clavium cum limitatione accipiendam eſſe, nempe ſi juſte prolata ſit ſententia, ſecundum quod merita ligati aut ſoluti poſtulant. c.4. S.15.

24. Ad hæc omnia reſpondemus. I. Non ſine gravi cauſa datas eſſe claves. quod ultrò fatemur, & alibi explicatius docendum erit. II. Nihil hæc facere pro ſacrificulis ipſorum, quos Apoſtolorũ vicarios aut ſucceſſores eſſe negamus. III. Chriſtum non ante Apoſtolis has claves tradidiſſe, quam eos Spiritu Sancto donavit. Ius ergo & uſus clavium nemini competit, niſi prius acceperit Spiritum S. qui ſolus eſt clavium arbiter & moderator. Hunc Spiritum illos habere pernegamus. Si ſe habere dixerint, quærimus an errare poſſit Spiritus S. Iam vero conſtat ſacrificulos paſſim ſine delectu ſolvere, quæ ligare Dominus voluerat, & ligare, quæ ſolvi juſſerat. IV. Hinc porro ſequitur ipſos poteſtaté uſurpare ſine ſcientia. proinde nullam habere. Nam quod poteſtatem malis diſpenſatoribus aſſignant, ipſam ſcientiam tantum ad bonum ejus uſum requirunt, inſulſum eſt, quia res conjunctas ſeparant. Sanè aut Chriſti promiſſum mentiri oportet, aut bene ligare & ſolvere, quicunque hac poteſtate præditi ſunt. Iam vero quæ erit iſta poteſtas, neſcire quid ligandum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

gandum ſit aut ſolvendum, ligare tamẽ non poſſe nec ſolvere, niſi ſcias? Incerta ergo manet abſolutio, nec niſi imaginaria eſt poteſtas, ſi nullus ejus ſit uſus. v. Quod Chriſti dictũ limitant, *ſecundum ligati aut ſoluti merita*, mera eſt tergiverſatio. Fatemur & nos, nec ligari nec ſolvi poſſe, niſi dignos, qui ligentur aut ſolvantur, ſed dicimus hanc dignitatem verbo Dei metiendam. Per hoc verbum miniſtri Euangelii omnibus credentibus promittunt remiſſionem peccatorum, incredulis denuntiant damnationem. Per hoc verbum peccatores impœnitentes regno Dei excludunt, reſipiſcentes intromittunt. Hæc ex certa ſcientia faciunt. At ſacrificuli ſe incertos eſſe fatentur, quia neſciunt, an abſolvendus id mereatur, & alios incertos relinquunt. Cui enim fidem facient, ſe eſſe bonos clavium diſpenſatores? Denique tantundem non tantum quivis Laicus ſed Turca & Diabolus poſſet dicere, nempe *Abſolvo te, ſi ita ſunt merita tua*. Concludimus adverſarios ſine Deo & verbo ejus libidinoſe & licenter in conſcientias hominum voluiſſe regnare. c.4.S.20.21.

25. Excipiunt, idem de optimis Chriſti Miniſtris poſſe dici: quia abſolutio, quæ à fide pendet, ſemper erit ambigua. hujus autem Miniſter non eſt idoneus judex. Ita fiet, ut & ipſe de abſolutione incertus maneat, peccatoribus autem nullum ſuperſit aut frigidum certe ſolatium. Reſp. 1. Ex adverſariorum ſententia id recte conſequi. Volunt enim remiſſionem pendere à cognitione & judicio Sacerdotis. Itaque niſi prudenter diſcernat, quinam venia digni ſint, omnis actio irrita eſt. tum etiam volunt poteſtatem hanc eſſe juriſdictionem examini annexam, ad quam reſtricta ſit abſolutio. At hic nihil firmum reperitur.

tur. Nam 1. ubi integra non eſt confeſſio, mutila eſt ſpes veniæ. 2. ſacerdos ipſe ſuſpenſus hæret, dum neſcit, an omnia peccata ſint bona fide enumerata. 3. Major pars ſacerdotum, quæ ipſorum eſt inſcitia, ad hoc munus exercendum eſt inepta: reliqui omnes ſibi merito ſuſpecti eſſe debent. Ex parte ergo ſacerdotis omnia ſunt incerta & infructuoſa, quia peccatis, quæ recitata ſunt, remiſſis, alia non eximuntur à reatu. Ex parte confitentis pernitioſe anxia manet conſcientia, quod dum recumbit in ſacerdotis diſcretionem, nihil ex verbo Dei ſtatuere poteſt. II. Ab his abſurdis immunis eſt noſtra doctrina. Conditionalis ſiquidem eſt abſolutio, nempe ſi ſincere peccator in expiatione Chriſti & oblata gratia acquieſcat. Ita nec errare poteſt Miniſter verbi, qui promulgat quod ſibi ex verbo Dei dictatum eſt, nec dubitare peccator, qui certam abſolutionem fide amplectitur, ex dicto Chriſti, *ſecundum fidem tuam fiat tibi*, Matth. 9. 29. cap. 4. S. 22.

26. VI. Addimus poteſtatem clavium partim ad Euangelii prædicationem, partim ad excommunicationem & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinere. Ibi fides accipit teſtimonium veniæ ex gratuita Euangelii promiſſione. Hæc ad exemplum pertinet, ut tollatur publica Eccleſiæ offenſio. Itaque non malè definiunt tantum, ſed etiam inſulſe miſcent, quæ de clavium poteſtate docet Scriptura, præſertim quando eam ad auricularem & ſecretam confeſſionem detorquent. c. 4. S. 23.

27. Objiciunt, non ſufficere vel Deo ſoli, vel laicis confiteri peccata, niſi ſacerdos ſit cognitor. Reſp. Quæ ſcripturæ loca huc adferunt, ad rem non faciunt. Patrum dicta partim ex adulterinis libris ſumta ſunt, partim non probant peccatorum reci-

recitationem, quæ tunc in uſu non fuit. cap. 4. Sect. 23.

28. VII. Quod quidam ajunt, ſolutionem ſemper ſequi pœnitentiam, etſi quis non ſit confeſſus: Ideoque ſacerdotem non tam remittere peccata, quam declarare remiſſa eſſe; in eo rectè quidem. Quamquam & hic errant, voce declarationis intelligentes ceremoniam, quam ſubrogant in locum doctrinæ. c. 4. S. 23.

29. VIII. Attexunt, in facie Eccleſiæ abſolvi, qui jam coram Deo veniam adeptus erat. Sed intempeſtive trahunt ad peculiarem cujusq; uſum, quod Eccleſiæ communi diſciplinæ eſt deſtinatum. c. 4. S. 23.

30. IX. Omnem moderationem pervertunt, addentes alium remittendi modum, nempe cum injunctione pœnæ & ſatisfactionis. Reſp. Ita ſuis ſacrificulis jus arrogant, quod eſt ſolius Dei, qui ſimpliciter pœnitentiam & fidem exigit: Nec patiuntur Deum ex mera liberalitate in gratiam recipere peccatorem, niſi prius ad tribunal ipſorum proſtratus jacuerit, illicque mulctatus fuerit. quæ partitio prorſus eſt ſacrilega. c. 4. S. 23.

31. Summa dictorum huc redit. I. Deum non eſſe authorem hujus fictitiæ confeſſionis, ſed humanam eſſe legem, adeoque tyrannicam & cum Dei injuria latam. II. Quando neceſſitatem ejus rei faciunt, quam Deus voluit eſſe liberam, impie hominum conſcientias obſtringi. III. Sacrilegium eſſe intolerabile, quum ſolius Dei ſit remittere peccata, id homini mortali attribuere. IV. Hanc tyrannidem non fuiſſe invectam, niſi poſtquam fœda barbarie mundus eſſet oppreſſus. V. Legem hanc eſſe peſtiferam. quia vel timentes Deum in deſperationẽ præcipitat, vel hypocritas blanditiis

vanis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

vanis demulcens magis hebetat. VI. Omnes quas afferunt mitigationes, veram doctrinam involvere, ac depravare, fucoſis autem coloribus impietates tegere. c. 4. S. 24.

32. Tertiam pœnitentiæ partem ſtatuunt eſſe ſatisfactionem, qua Deo ſatisfiat, etiam cum pœnitens à præteritis malis abſtinuerit, & mores in melius mutaverit. Deum quidem largitate miſericordiæ culpam remittere, ſed pœnam retinere diſciplina juſtitiæ. Hanc pœnam ſatisfactionibus eſſe redimendam. Hujus rei adminicula eſſe lachrymas, jejunia, oblationes, charitatis officia. Denique nos quidem à Dei clementia delictorum veniam impetrare, ſed intercedente operum merito, ut debita juſtitiæ Dei ſatisfactio perſolvatur. c. 4. S. 25.

33. His mendaciis opponimus. I. Quod Scriptura gratuitam facit remiſſionem peccatorum. Iam vero is remittere debitum dicitur, non cui numerata eſt pecunia, ſed qui nulla ſolutione accepta, ab eo cui remittit, ultro ex mera beneficentia nomen expungit. Idem probat vox *gratis*, quæ omnem ſatisfactionis opinionem tollit. II. Cum Deus ait, *ego deleo iniquitates tuas propter me:* Item peccatorum tuorum non ero memor, Eſai. 43. 25. aperte denuntiat ſe cauſam remittendi peccata petere à ſe, nō aliunde. III. Scriptura dicit remiſſionem peccatorum per Chriſti nomen accipi, Act. 10. 43. Ergo alia nomina excluduntur.. Quod excipiunt ſe hoc non dare ſatisfactionibus, ſed ipſas intercedere tanquam ſubſidia, frivolum eſt. Si enim peccatorum remiſſio eſt per nomen Chriſti, nihil ſane noſtrum adferre aut prætendere poſſumus. Nec aliter explicat Paulus, cum ait per Chriſtum nos reconciliari Deo, non

non imputatis peccatis, quia Chriſtus factus ſit pro nobis peccatum, 2 Cor. 5. 19. c. 4. S. 25.

34. Sed enim excipiunt denuo, remiſſionem quidem peccatorum & reconciliationem ſemel fieri, quum in gratiam Dei per Chriſtum in Baptiſmo recipimur, ſed ſanguinem Chriſti nihil prodeſſe, niſi quatenus per claves Eccleſiæ diſpenſatur. In Baptiſmo omnes pœnas temporales relaxari, poſt baptiſmum pœnitentiæ beneficio minorari, ut ita ſimul cooperetur crux Chriſti & noſtra pœnitentia. Itaque poſt Baptiſmum reſurgendum eſſe per ſatisfactiones. Lomb. l. 3. ſent, diſt. 9. c. 4. S. 26.

35. Reſpondemus. I. Ex 1 Ioh. 2. 2. 12. Chriſtum eſſe advocatum noſtrum & propitiationem pro peccatis, &c. Et per nomen ejus remitti peccata. Certe non ſemel tantum ſed perpetuus eſt advocatus, nec ex parte tantum nos reconciliat, ſed ſolus offenſum Deum placat, ut aliæ rationes aut ſatisfactiones nullæ ſint quærendæ. II. Ex dicto Iohannis Baptiſtæ Iohan. 1. 36. Chriſtus eſt agnus qui tollit peccata mundi: ſolus ſane & non alius, qui pœnam nobis debitam in ſe transferens, reatum noſtrũ delevit coram Dei judicio. III. Qui Deum placare tentant ſuis compenſationibus, honorem expiationibus ſibi rapiunt, qui non niſi apud Chriſtum reſidet, & ipſi illibatus ſervari debet. ſecundum dicta Eſai. 53. 4. 6. 1 Pet. 2. 24. Rom. 8. 3. Gal. 3. 13. 1 Cor. 5. 21. Vnde conſtat Chriſto noſtras iniquitates eſſe impoſitas, ipſum peccata noſtra pertuliſſe, peccatum in ejus carne eſſe damnatum, ipſum hoſtiam pro peccato, & maledictionem factum eſſe, &c. Ergo ad unicam Chriſti ſatisfactionem, quoties lapſi fuerimus, recurrendum eſt. Ac proinde falſum eſt, peccata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

noſtris operibus eſſe expianda, aut Chriſti efficaciam non ſentiri, niſi pro ſatisfactoriæ pœnitentiæ modo. IV. Neceſſe eſt ut conſcientiæ de peccati venia ſecuræ, pacem apud Deum habeant. At nulla eſſe poteſt, ſi peccata ſatisfactionibus redimenda ſunt. 1. quia nullus earum modus conſtare poterit. Itaque ſemper dubitabit conſcientia an Deum habeat propitium. 2. quia levibus ſatisfactiunculis nemo poteſt acquieſcere, qui vel Dei Iudicium vel peccatorum gravitatem recte æſtimaverit. 3. Licet aliqua peccata poſſent ſatisfactione redimi, at non poterunt tam multa & infinita, quibus vel centum vitæ ſufficere nequeunt. V. Ex hac ſententia Pontificiorum, Chriſti gratia tantum eſt initialis purgatio, nec niſi ad Catechumenos pertinet. Atqui Iohannes omnibus fidelibus loquitur, 1 Ioh. 2. 2. Et loci omnes, quibus aſſeritur peccatorum remiſſio, ad regenitos Dei filios, diuque in eccleſia nutritos ſpectant. Vide 2 Corinth. 5. 20. Coloſ. 1. 20. Ibi legatio dirigitur ad veros credentes. Hic ad totum vitæ curſum pacificatio extenditur. Vtrobique ad Chriſti crucem ablegamur. c. 4. S. 26. 27.

36. Hic confugiunt ad ineptam diſtinctionem peccati mortalis & venialis. Pro mortalibus peccatis gravem ſatisfactionem deberi. Venialia facilioribus remediis purgari, oratione Dominica, aquæ benedictæ aſperſione, abſolutione Miſſæ. Reſp. I. Hactenus nondum mortale & veniale peccatum recte diſcernere potuerunt, niſi quod abſurde impietatem & immunditiem cordis peccatum veniale faciunt. II. Scriptura declarat omne peccatũ eſſe ſua natura mortale, Rom. 6. 23. Ezech. 18. 20. Fatemur tamen, fidelium peccata eſſe venialia, non certe quod non mereantur mortem,

tem, ſed quia per Dei miſericordiam non imputantur. III. In tanto peccatorum cumulo non datur ſatisfaciendi exitus. Certe dum unius peccati ſatisfactionem meditantur, pluribus ſe involvunt, quandoquidem nullus dies præterit quo non aliquoties etiam juſtiſſimus labatur. c. 4. S. 28.

37. Objiciunt hoc eſſe paradoxum Stoicorum de peccatorum æqualitate. Reſp. I. Negamus conſequentiam. II. Eodem ipſos relabi. Nam cum concedunt peccatorum mortalium aliud alio minus eſſe, non eſt conſequens, omnia eſſe paria, quia ſimul ſint mortalia. c. 4. S. 28.

38. Rurſus conantur elabi diſtinctione culpæ & pœnæ: culpam remitti Dei miſericordia: ſed reſtare pœnam, quam perſolvi Dei juſtitia poſtulat. Ad pœnæ remiſſionem proprie ſpectare ſatisfactiones. Reſp. I. Contradicunt ſibi, dum culpæ remiſſionem gratuitam ſtatuunt, eandem tamen precibus & lachrymis aliiſque præparationibus emerendam eſſe docent. II. Cum iſta diſtinctione pugnat, quidquid de peccatorum remiſſione Scriptura tradit. III. Abſurdum eſt dicere culpa remiſſa manere pœnam. Nam. I. remittere eſt non recordari iniquitatum, Ierem. 31. 31. 34. At non recordari peccatorum, eſt ea non poſtulare ad pœnam, ſicut non recordari juſtitiarum, eſt eas non remunerari, Ezech. 18. 24. 27. 2. Eodem faciunt phraſes aliæ, quod Deus peccata projicit poſt tergum, delet, demergit in profundum maris, non imputat, imo tegit, Eſa. 38. 17. & 43. 25. & 44. 22. Mich. 7. 19. Pſ. 32. 1. At hæc non conſtant, ſi Deus punit, vindicat, examinat, inſpicit adhuc & ventilat peccata. Quibus concinit Auguſtinus in Pſal. trigeſimum ſecundum. 3. Deus teſtatur Eſ. 1. 18. peccata reſipiſcentibus fore inſtar

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nivis & lanæ. Item Ier. 50. 20. requiretur peccatum, & non invenietur, non erit, quia propitiabor reliquiis, quas ſervavero. Hic remiſſà culpa etiam pœna tollitur. 4. Idem patet ex contrariis loquutionibus, quando dicitur, Dominum in ſacculo iniquitates colligare, in faſciculum colligere & recondere, ſtilo ferreo exarare in lapide adamantino. Sicut enim his vocibus vindictæ rependſio, ita contrariis ſententiis ejuſdem remiſſio ſignificatur. 5. Cum Chriſtus pœnas peccatorum ſuſtinuerit, ut nos ab illis eximeret, nulla pro peccatis pœna nobis perſolvenda relinquitur. Antecedens conſtat ex 1 Pet. 2. 24. Eſ. 53. 5. Ideoque ſatisfactio per Chriſtum præſtita ἀπολύτρωσις vocari ſolet, ne ſimplicem aliquam redemptionem ſomniemus, ſed quæ pretio & per ſacrificium in morte facta ſit, Rom. 3. 24. 1 Cor. 1. 30. Eph. 1. 7. Coloſſ. 1. 14. 1 Tim. 2. 6. 6. Idem demonſtrant ſacrificia Vet. Teſtamenti, in quibus tota ratio expiandi peccata & compenſatio ponitur. Et quum Moſes exactiſſime omnes expiandi ritus exequatur, nullis tamen prorſus operibus admiſſa delicta procurare jubet, ſed in expiationem ſacrificia tantum poſtulat, non ut hominum opera cenſenda, ſed ab unico Chriſti ſacrificio æſtimanda. 7. Si ſatisfactionem quærimus, eam in gratiarum actione reperiemus, redemtionem in gratuita peccatorum remiſſione, Oſ. 14. 3. c. 4. S. 29. 30.

39. Nec juvat eos diſtinctio æternæ pœnæ & temporalis, quarum illa una cum culpa remittatur, hæc nobis penſanda ſit. Nam 1. quum per temporalem intelligant quodvis ſupplicium tam corporis quam animæ, parum eos ſublevat hæc reſtrictio. Quantulum enim eſt quod ab æternis diſtant? certe tam pœnæ corporales ſunt Dei maledictio-

lectiones, quam ipſum mortis æternę judicium, quia in eum finem inferuntur, ut ſint adverſus reprobos iræ & vindictæ Domini inſtrumenta. II. Loca jam citata evincunt, quidquid eramus pœnæ meriti, Deum nobis condonare ignoſcendo culpam, atque hac conditione nos recipere in gratiam. III. Etiam Prophetæ, quoties peccatorum veniam petunt, ſimul pœnam deprecantur. IV. Itidem quum à Domino miſericordiam promittunt, ſemper ex profeſſo de pœnis earumque remiſſione concionantur. V. Ipſe Deus pronuntians ſe finem impoſiturum exilio Babylonico, ait ſe hoc facturum propter ſe, Ezec. 36. 22. 30. 32. Vtrumque ergo gratuitum eſſe demonſtrat. Concludimus vanam eſſe hanc diſtinctionem. Nam ſi à reatu liberamur per Chriſtum, certe pœnas, quæ inde proveniunt, ceſſare oportet. c. 4. S. 30. 34.

40. Sed enim videamus, quibus ſe Scripturæ teſtimoniis arment. I. David, inquiunt, adulterii & homicidii veniam accepit, tamen morte filii, quem ex adulterio ſuſceperat, poſtea plectitur. Tales ergo pœnas, etiam poſt culpæ remiſſionem infligendas, ſatisfactionibus redimi debere. Reſp. Duo eſſe judiciorum Dei genera. Vnum vindictæ, quando punitio cum Dei indignatione & peccatoris interitu conjuncta eſt. Alterum Caſtigationis, quo non ita ſævit ut iraſcatur, nec vindicat ut perdat. Vnde non eſt ſupplicium proprie dictũ, aut vindicta, ſed correctio potius & admonitio. Illud judicis eſt, hoc patris. Iudex & facinoroſum punit, & de facinore pœnam expetit. Pater filium ſeverius corrigit, non ut vindicet, ſed magis ut doceat, & cautiorem in poſterum reddat. Sic etiam Chryſoſ. *Filio correptio in probationem & emendationem cedit: ſervo in flagellum & pœnas.* c. 4. S. 31.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

41. Cæterum cum noſtra plurimum referat, rectè intelligere quorſum Dei caſtigationes pertineant, & quantum à divinis ultionibus differant, operæ pretium erit rem ipſam paulo accuratius expendere. Sit ergo prima hæc diſtinctio. Vbicumque eſt pœna ad ultionem, ibi maledictio & ira Dei ſe ſe exerit. Caſtigatio contra & Dei benedictio eſt, & amoris habet teſtimonium. Vtrumque ſic probamus. Nam I. Scripturæ pœnas impiorum nobis depingunt, ceu quoddam inferorum atrium, unde æternam ſuam damnationem eminus conſpiciunt. II. Quando autem Dominus ſuos caſtigat, non tradit eos morti, Pſal. 118. ꝟ. 18. Hinc etiam fatentur ferulam Domini bonam ſibi fuiſſe ad veram eruditionem, Pſ. 119. 71. III. Horſum faciunt precationes ſanctorum, quibus primi generis flagella vehementer deprecantur, caſtigationes placido animo ſuſcipiunt, Ier. 10. 24. Pſal. 6. 2. & 38. 2. Vnde manifeſtum apparet diſcrimen inter caſtigationes, quę ſunt amoris, & pœnas, quæ ſunt iræ ſigna. c. 4. S. 32.

42. Objici poſſet, etiam piis Deum iraſci, quum in eorum peccata animadvertit, Eſa. 12. 1. Hab. 3. 2. Mich. 7. 9. Reſp. I. Ex iiſdem locis patet fideles ex Dei conſilio doloris mitigationem ſumere. *Conſolatus es me. Miſericordiæ recordaberis. Videbo in Dei Miſericordia.* II. Simili ratione hæreditatem ſuam Deus profanare dicitur, quam tamen in æternum non profanabit. Nempe quia hoc non ad Dei punientis conſilium & affectum, ſed ad vehementem doloris ſenſum refertur, quo afficiuntur pii, quum vel qualemcumque ſeveritatem Dei ſuſtinent. III. Amplius dicimus, fideles etiam interdum non pungi tantum, ſed vulnerari, ſic ut non longe ab inferorum exitio ſibi diſtare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

diſtare videantur. Quin imo ut quisque magis Deum reveretur & ad colendam pietaté ſe addicit, ſic tenerior eſt ad ferendam iram. Sed hęc ipſa piis in bonum cedunt. Nam Deus primum hac ratione teſtatur ipſos iram ſuam eſſe promeritos. Deinde ita expedit ut diſcant ſibi in malis ſuis diſplicere, ut Dei placandi majore cura tangantur, & ſollicite ad veniam petendam feſtinent. Tertio, interim clementiæ ſuæ luculentius quam irę teſtimonium profert, ex fœdere quod nobiſcum iniit, ſecundum dicta, Pſal. 89. 31. 2 Sam. 7. 14. Vbi caſtigationes virgas nominat, & quidem hominum, adeoque cum Miſericordia conjungit. Quibus verbis tum caſtigationum moderationé tum finem indicat. Ejuſdem lenitatis meminit Eſai. 48. 10. Vnde conſtat quantum in hoc doloris ſenſu pii diſtent à reprobis. Illud quidem in genere verum eſt, non poſſe niſi extremo lethalique horrore confundi, qui Dei manum ſibi adverſam eſſe ſentiunt. Et niſi Deus hos dolores mitiget, neceſſe eſt miſeras animas centies ſuccumbere, etiam in mediocribus iræ Dei ſignis. Verum reprobi, quando ſub flagellis gemunt, quia cauſam non expendunt, quin potius tam ſuis peccatis quam judicio Dei tergum obvertunt, ex ſocordia illa obdureſcunt; vel quia fremunt & calcitrant adverſus Deum, furioſus ille impetus amentia & furore eos obſtupefacit. Contra fideles Dei ferulis admoniti, ſtatim deſcendunt ad reputanda peccata, & metu perculſi ad deprecationem ſupplices confugiunt. c. 4. S. 32.

43. Sit deinde altera hæc diſtinctio. Quando reprobi flagellis Dei feriuntur, jam pœnas Dei judicio pendere incipiunt, nec ideo plectuntur, ut ad meliorem menté redeant, ſed tantum ut Deum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

magno ſuo malo judicem & ultorem experiantur. Sed filii ferulis verberantur, non ut mulctam delictorum Deo perſolvant, ſed ut inde ad reſipiſcentiam proficiant. Neque tam de peccatis eorum Deus ſupplicium ſumit, quam ad futura corrigit. Ideo quod patiuntur, eſt ipſis medicina, non pœna: caſtigatio, non damnatio, uti recte docet Auguſtinus. Breviter, caſtigationes ſanctis poſt remiſſionem peccatorum ſunt certamina & exercitationes: reprobis, ſine ulla remiſſione, ſupplicia ſunt iniquitatis. De his conqueritur Deus, quod pervicaciter contemſerint omnes pœnas, Eſ. 1. 5. De illis dicit Paulus, nos corripi à Domino, ne cum mundo damnemur, 1 Cor. 11. 32. Vtriusque exemplum habemus in Saule & Davide. Ille regno abjectus punitur ad vindictam. Hic orbatus filio, corripitur ad emendationem. c. 4. S. 33.

44. Quod Eſ. cap. 40. 2. dicitur remiſſam populo eſſe iniquitatem, quod duplam accepiſſet caſtigationem, non arguit veniam delictorum pendere à ſolutione pœnæ. Phraſis enim nihil aliud indicat, quam ſatis pœnarum jam eſſe exactum, & tempus eſſe, ut poſt diuturnum mœrorem, accepto plenæ miſericordiæ nuntio, Deum ſibi patrem eſſe ſentiant, quem juſtæ quoque ſeveritatis pœnitet. c. 4. S. 33.

45. Hujus doctrinæ magnus uſus eſt piis in afflictionum acerbitate. Nam quum ſuos etiam graviter corripiat Dominus, 1 Pet. 4. 17. Ier. 25. 29. quid facient, ſi nihil niſi ultionem, judicem punientem, iratum Deum & adverſum animo concipiant? in flagellis Dei maledictionem & damnationem perſentiſcant? Quis ſe à Deo diligi perſuaderi poterit, qui ſic erga ſe affectum eſſe ſentiet, ut adhuc punire velit? Atq; huc pertinent terrores

& que-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

& querimoniæ piorum, Pſ.88.17. & 90.7. Vnde non datur exitus, niſi poſtquam cum Davide dixerint Pſal. 94. 12. *Beatum eſſe quem corripit Dominus, & in lege ſua erudierit, &c.* Nempe quia tum demum ſub Dei flagellis proficiunt, quando Deum ſuis vitiis iraſcentem, ſibi autem propitium ac benevolum eſſe reputant. Et quia ſæpius dum impiorum ſcelera diſſimulat, rigidior erga ſuos apparet, ſolatii cauſa in Dei legem intuentur, ex qua diſcunt ſuæ ſaluti conſuli, dum revocantur virgis in viam, impiis contra foveam & perniciem parari. c. 4. S. 34.

46. His poſitis facile eſt reſpondere ad argumentum allatum. Nam 1. quod Deus graviter animadvertit in Davidem, non fuit pœna, qua compenſationem quandam Deo ſolveret, ſed medicinalis dolor & caſtigatio, unde erudiretur ipſe David, ne poſthac tale facinus auderet. Et porro documentum hinc exſtare Deus voluit, quam graviter Deo diſpliceat homicidium & adulterium, quorum cauſa tam vehementer in fidelem ſervum offenſus fuerit. Eadem ratio eſt correptionis, de qua legimus 2 Sam. 24. 15. Nam peccati noxam Davidi remittit Deus. Sed quia tum ad publicum populi, adeoque ſeculorum omnium, exemplum, tum ad Davidis humiliationem pertinebat, tale facinus non manere impunitum, populum flagello ſuo aſperrime caſtigavit. Idem videre eſt in miſeriis, quæ olim quidem indictæ fuerunt parentibus noſtris in pœnam peccati, & tamen poſt impetratam gratiam omnes eaſdem adhuc perpetimur. Nempe, ut talibus exercitamentis admoneamur, quam graviter Deo ſuæ legis transgreſſio diſpliceat, & ut miſeræ noſtræ ſortis conſcientia dejecti ad veram beatitudinem ardentius aſpiremus. Hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

enim finis eſt correctionis iſtius, ut oſtendat noſtra quidem pervicacia hunc rigorem ſibi exprimi, ſe tamen fore placabilem, ſimulac reſipuerimus. Quo etiam tendunt exprobationes Ier. 5. 3. Oſeæ 7. 8. quibus Deus conqueritur, pœnas ſuas nihil proficere apud pervicacem populum. Dei tamen hunc fuiſſe ſcopum, ut excoctis vitiis populus ipſe veniæ capax fieret. Colligimus ergo præſentis vitæ calamitates nobis non imponi in peccati noxam, ſed quia habemus opus caſtigatione, omnes communi flagello ex cura Dei paterna exerceri. II. Negamus ex uno Davidis exemplo, quod ſingulare quidpiam continet, recte conſtrui generalem regulam. Omnes enim, quæ commemorantur, abſolutiones gratuitæ deſcribuntur, Luc. 17. 14. & 22. 61. Matth. 9. 1. Ex hac exemplorum frequentia regula potius peti debuerat. cap. 4. Sect. 35.

47. II. Objiciunt, Nebucadnezari mandatum fuiſſe, ut peccata ſua redimeret juſtitia, & iniquitates ſuas miſeratione pauperum, Dan. 4. ℣. 24. Reſp. I. Non voluit ſignificare juſtitiam & miſericordiam ipſius eſſe propitiationem Dei, vel pœnarum redemtionem: ſic enim alia eſſet ἀπολύτρωσις quam ſanguis Chriſti, quod eſt falſum. II. Redimendi vocabulum hic non ad Deum, ſed ad homines referri debet. Senſus eſt, quum injuſta dominatione ſpoliaverit pauperes, & populum inique tractaverit, ut pro violentia & oppreſſione poſthæc referat miſericordiam & juſtitiam. cap. 4. Sect. 36.

48. III. Objicitur, Solomonem ſcribere, propter æquitatem & pietatem remitti peccata, Prov. 16. ℣. 6. Et charitate operiri multitudinem peccatorum, Prov. 10. 12. Quam ſententiam & Petrus confir-

confirmat, 1 Pet.4.8. R. 1. Hæc non de Deo ſed de hominibus eſſe intelligēda, ut ex antitheſi ipſius verſus patet. Confert enim inter ſeſe mala, quæ ex odiis naſcuntur, cum fructibus veræ charitatis, quæ multa diſſimulat, multa condonat, & admonendo medetur potius, quam inſectando exulcerat. Quo ſenſu etiam locus hic citatus eſt à Petro. II. Cum dicitur miſericordia & benignitate expiari peccatum, non intelligitur, tali ſatisfactione pacatum Deum remittere peccata, ſed quinam Deum propitium ſint reperturi, nempe qui peccatis valere juſſis, per veram pietatem ad Deum convertuntur. Itaque non cauſam veniæ ſed potius modum veræ converſionis deſcribit. III. Et hæc etiam nonnunquam adverſus hypocritas recte urgentur, qui fictitios ritus pro vera pœnitentia Deo ingerunt. At hunc conſtat oblectari quidem ſacrificiis beneficentię & humanitatis, modo vera ſint & non ſimulata, Heb. 13. 16. Nec aliter Chriſtus jubet Phariſæos dare Eleëmoſynas, ut omnia munda ſint, Luc. 11. 39. 41. Non quo eos hortetur ad ſatisfaciendum, ſed tantum ut doceat, qualis Deo probetur munditics, ſcilicet quæ cordis ſit & interna. cap. 4. S. 36.

49. IV. Argutantur ex loco Luc. 7. 36. Vbi mulieri peccatrici multa dicũtur eſſe remiſſa peccata, quia dilexit multum. Reſp. Sic inverti argumentum Chriſti. Neque enim dilectionem colligit cauſam eſſe remiſſionis peccatorum, ſed probationem. Patet hoc ex ſtatu controverſiæ. Phariſæus cogitabat non debuiſſe hanc mulierem admitti à Domino, ſi ſciret eſſe peccatricem, aut ipſum non eſſe Prophetam. Reſpondet Chriſtus, eam non eſſe peccatricem, quum jam remiſſa eſſent peccata. Hoc inde conſtare, quod multum

dilexe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

dilexerit. Idque ſimilitudine duorum debitorum non tam illuſtrat quam probat, ex quibus alterum demonſtrat multum diligere, quia multa ei debita remiſſa ſint. Eſt ergo argumentum à poſteriori, quo aliquid colligitur ex ſignis ſequentibus, quomodo autem mulier remiſſionem obtinuerit, ipſe Dominus teſtatur, quum inquit, *Fides tua te ſalvam fecit*. Fide ergo remiſſionem eſt conſequuta: dilectione gratias egit, & per hanc remiſſionis teſtimonium protulit. cap. 4. S. 37.

50. V. Quæ ex veterum ſcriptis de ſatisfactione regerere ſolent, non ita magni momenti ſunt, ut magnopere nos movere debeant. Nam 1. quoſdam fatemur duriuſculè loqui: nonnullos etiam forte lapſos eſſe non negamus. Neutiquam tamen concedimus eo ſenſu loquutos eſſe, quo ab adverſariis accipiuntur. 2. Quum paſſim Dei condonationem & miſericordiam, Iudicio, quæſtioni, pœnæ opponant: quum ſatisfactionem ad cautionem referant abſtinendi à peccatis in poſterum: quum pro omnibus expiandis peccatis unicum Chriſti ſacrificium agnoſcant, nullus certe ſatisfactionibus humanis relinquitur locus. Deinde vocarunt ſatisfactionem ut plurimum, non compenſationem, quæ Deo redderetur, ſed publicam teſtificationem excommunicatorum, quæ Eccleſiæ fiebat. 3. Quæ hic potiſſimum loca congerere ſolent, non ex veterum Patrum ſcriptis, ſed ex inſulſis monachorũ deliriis ſumta eſſe conſtat, quæ nos jure merito ut ſpuria recuſamus. c. 4. S. 38, 39.

51. Et hæc quidem de ſatisfactionis doctrina ſufficiant. Reſtant adhuc duo ejuſdem doctrinæ fœtus, Indulgentiæ & Purgatorium. His ſuffici vel ſuppleri nugantur, quæ ſatisfactionibus noſtris deſunt. c. 5. S. 1.

52. In-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

52. Indulgentias definiunt eſſe diſpenſationem meritorum Chriſti & martyrum, quam Papa ſuis bullis partitur. Fingunt enim Eccleſiam habere certum theſaurum, in quo repoſita ſint Chriſti & ſanctorum Apoſtolorum, atque martyrum merita. Hujus radicalem cuſtodiam traditam eſſe Epiſcopo Romano, penes quem ſit tantorum bonorum diſpenſatio, ut & ipſe per ſe elargiri poſſit & elargiendi jurisdictioné aliis delegare. Hinc nunc plenariæ indulgentiæ; nunc certorum annorum à Papa; à Cardinalibus centum dierum, ab Epiſcopis dierum quadraginta. c. 5. S. 1.2.

53. Alia porro addunt placita, quibus priora ſuperſtruunt. Martyres ſcilicet plus ſua morte Deo præſtitiſſe, ac meritos eſſe, quam ſibi opus eſſet, tantamque illis meritorum largitatem ſuperfuiſſe, quæ etiam in alios redundaret. Ne autem ſupervacaneum eſſet tantum bonum, commiſceri eorum ſanguinem ſanguini Chriſti, & ex utroque theſaurum Eccleſię confici, ad remiſſionem & ſatisfactionem peccatorum. c. 5. S. 3.

54. Ad hæc refutanda non opus eſt multis argumentis, cum ex quo aliquantulum orbis ſibi ſapere permiſit, paſſim frigeant Indulgentiæ, & paulatim conſeneſcant, donec plane evaneſcant. Quod autem tam diu ſalvæ conſtiterint in tam impotenti & furioſa laſcivia, id vero documento eſſe poteſt quam alta errorum nocte immerſi fuerint aliquot ſeculis homines. Si qui erant oculatiores, earum vanitatem & indignitatem, & Indulgentiariorum ſordes, impoſturas, furta, rapacitates, ſatis intelligebant & videbant, adorabant tamen indulgentias & redimebant; quidam pias eſſe fraudes exiſtimabant, quibus cum fructu aliquo falli poſſent, fontem ipſum impietatis non atten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

attendebant. Igitur operæ precium facturi ſumus, ſi hanc larvam detexerimus. c. 5. S. 1. 2.

55. Primo dicimus manifeſtam eſſe ſanguinis Chriſti profanationem, & Satanæ ludibrium, quo Chriſtianus populus à vita, quæ in Chriſto eſt, abducitur, & à vera ſalutis via avertitur. Quidquid enim Chriſto ejusque ſanguini & morti Scriptura proprium facit, hoc Apoſtolorum & Martyrum ſanguini cõmuniter tribuunt: contra aperta Scripturæ loca, Act. 10.43. 1 Ioh. 1.7. 2 Cor. 5.21. 1 Cor. 1.13. Act. 20.28. Hebr. 10.14. Apoc. 7.14. Certe nihil poteſt dici blaſphemius, quam Chriſti ſanguinem non ſufficere ad reconciliationem, ſatisfactionem, peccatorum remiſſionem, niſi defectus aliunde ſuppleatur. c. 5. S. 2.

56. II. Negamus ullius Martyris ſanguinem fuiſſe propitiationem pro peccatis noſtris. Recte dicebat Leo Papa, *accepere juſti, non dederunt coronas: de ipſorum fortitudine nata ſunt exempla patientiæ, non dona juſtitiæ: nullius debitum ſua morte perſolverunt. In ſolo Chriſto omnes crucifixi, mortui, ſepulti, reſuſcitati ſumus.* Nec minus appoſite Auguſtinus. *Etſi fratres pro fratribus morimur, nullius tamen ſanguis Martyris in remiſſionem peccatorum funditur, &c.* c. 5. S. 3.

57. III. Abſurdum eſt, demenſum aliquod gratiæ ex armario Papæ recluſum, plumbo, membranæ, aut loco etiam affigere, & à verbo Dei avellere. Sane Chriſtus gratiam ſuam verbo Euangelii diſpenſari voluit. Aut mendax hoc eſſe oportet, aut mendaces indulgentias. Euangelium nobis Chriſtum offert cum omni bonorum affluentia, 2 Cor. 5.18. 1 Cor. 1.17. Ad quid ergo bulla Papæ? c. 5. S. 5.

58. IV. Vnde autem hæc portenta indulgentiarum

tiarum fluxerunt, niſi ab opinione ſatisfactionis propriæ, quam ſupra plus ſatis refutavimus? Olim ſolebant quidem ſeveriores pœnitentibus ſatisfactiones imponi. Qui ſe ultra modum gravari ſentiebant, petebant ab Eccleſia relaxationem. Hanc indulgentiam vocabant. Poſt tranſlata eſt vox ad ſatisfactiones, ac dixerunt eſſe compenſationes, quibus ſe redimerent homines à Dei judicio, & expiatoria fecerunt remedia, quæ nos pœnis meritis liberarent. Has blaſphemias merito rejicimus. cap. 5. S. 5.

59. Nunc etiam audiamus, quænam objici ſoleant. I. Ajunt nõ eſſe conveniens, ut ſine fructu effuſus ſit ſanguis Martyrum. Ideo in commune Eccleſiæ bonum eſſe conferendum. Reſp. non ſequi. 1. quia præclariſſimus fructus eſt, quod Deum ſua morte glorificaverint: ſanguine ſuo veritati ſubſcripſerint: contemtu præſentis vitæ teſtificati ſint ſe meliorem vitam quærere: fidem Eccleſiæ ſua conſtantia confirmaverint: hoſtium pertinaciam fregerint. 11. Abſurdum eſt, nullum agnoſcere fructum, ſi ſolus Chriſtus ſit redemtio noſtra & ſacrificium pro peccatis. c. 5. S. 3.

60. Inſtant. Etiam ſi Paulus & Petrus in lectulis defuncti eſſent ſua morte, coronam victoriæ tamen adepti fuiſſent. Iam vero non quadrare juſtitiæ Dei, ut, quod ad ſanguinem uſque certarunt, id ſterile & infructuoſum maneat. Reſp. Imo fructuoſiſſimum fuit: 1. Ipſis Martyribus, quorum gloriam Deus pro donorum menſura novit augere. 2. Eccleſiæ, quæ illorum triumphis accenditur ad pugnandi zelum. c. 5. S. 3.

61. II. Objiciunt locum Pauli Coloſſ. 1. 24. ſuppleo in corpore meo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia. Reſp. 1.

Paulus

Paulus non agit de noſtræ redemtionis opere, ſed de afflictionibus, quibus Chriſti membra in hac vita exercentur. Et hoc dicit reſtare paſſionum Chriſti, quod in ſemetipſo ſemel paſſus, quotidie in membris ſuis patitur. Eo nempe honore noſtras dignatur afflictiones, ut ſuas eſſe reputet. II. Quod addit, *pro Eccleſia*, non eſſe intelligendum de reconciliatione aut ſatisfactione Eccleſiæ, ſed pro ædificatione & profectu. Et hoc ſenſu alibi dicit, ſe ſuſtinere omnia propter electos, proque eorum conſolatione & ſalute, 2 Tim. 2. 10. 2 Cor. 1. 6. Et ne quis hæc ad redemtionem referat, de Miniſterio & diſpenſatione ſibi commiſſa docet accipi debere. Ibid. Nec aliter Auguſtinus in Pſal. 16. Et in Iohan. tract. 47. Fratres pro fratribus patiuntur, ad ædificandam pacem, ad fidem aſſerendam. III. Ne in mentem quidem venit Paulo, ut putaverit deeſſe aliquid paſſionibus Chriſti, quantum ad omnem juſtitiæ, ſalutis & vitæ plenitudinem attinet, multo minus, ut illis addere quidpiam voluerit, quum adeo luculenter exuberantem Chriſti gratiam prædicet, quæ omnem quoque peccati vim ſupergreſſa fuerit, Rom. 5. 15. IV. Hac deniq; Chriſti gratia omnes ſancti ſalvi facti ſunt, non vitæ aut mortis ſuæ merito, Actor. 15. 11. Hæc cogitare debuerant, qui in Chriſtum contumelioſi, nil niſi nomen ipſi relinquunt, cæterum vulgarem aliquem ſanctulum faciunt, qui in turba Redemtorum vix dignoſcatur. cap. 5. S. 3. 4.

62. Porro nobis de Purgatorio dicendum eſt. De quo ſic nonnullis videtur, nonnihil hac in parte eſſe diſſimulandum, & Purgutorii mentionem omittendam, ex qua (ut ajunt) acres pugnę oriuntur, minimum ædificationis referri poteſt. Quibus aſſen-

aſſentiremur, niſi ſeria ſecum duceret. Quod ſine Dei verbo excogitatum, Satanæ revelationibus confictis ſuperſtructum, detortis Scripturæ locis confirmatum, forſan ad tempus tolerari potuit. Quamquam audaciam illam Deus non fert, & ſeverè prohibet ſciſcitari à mortuis veritatem, nec verbum ſuum tam irreligiosè contaminari permittit. Sed cum ex multis blaſphemiis Purgatorium ſit conſtructum, & novis quotidie ſacrilegiis fulciatur, multasque & graves offenſiones in religione pariat, periculoſiſſimum hic eſſet ſilentium. c. 5. S. 6.

63. Purgatorium vocant ſatisfactionem pro peccatis, quæ poſt mortem à defunctorum animis pendatur. At ſupra demonſtratum eſt, Chriſti ſanguinem unicam eſſe pro fidelium peccatis ſatisfactionem, expiationem, purgationem. Proinde alibi nulla eſt quærenda. Iam vero ſatisfaciendi opinione diruta, ipſum quoq; purgatorium everſum eſt: quod revera non eſt niſi horribilis in Chriſtum blaſphemia, & exitiale Satanæ commentum, quo Chriſti crux evacuatur, Dei miſericordiæ non ferenda contumelia irrogatur, fides noſtra labefactatur & evertitur. c. 5. S. 6.

64. Objiciunt: I. ex Matth. 12. 32. peccatum in Spiritum nec in hoc nec in futuro ſeculo remitti. Vnde inferunt, quorundam eſſe in futuro ſeculo peccatorum remiſſionem. Reſp. 1. Chriſtum ibi de peccati culpa loqui. Quid hoc ad Purgatorium, ubi ex eorum opinione, pœna luenda ſit, non culpa, quæ in præſenti vita remittitur? 11. Perperam accipiunt phraſin Chriſti, qua aliud nihil indicatur, quam nunquam tale peccatum remiſſum iri. Quod ut magis amplificaret, uſus eſt partitione judicii divini, quod partim ſentit in hac

vita

vita uniuscujusque conſcientia, partim in reſurrectione palam feretur. Senſus eſt, nec in hac vita, quæ peccatoribus ad converſionem data eſt, veniam conſequetur, nec etiam in ultimo judicii die. cap. 5. Sect. 7.

65. II. Ex Mat. 5. 25. proferunt parabolam, qua jubemur cum adverſario habere cõcordiam, ne is nos judici tradat, hic lictori, lictor carceri, unde non ſit exitus, niſi ultimum quadrantẽ perſolverimus. Reſp. I. Quomodo probabunt carcerem hic ſignificare Purgatorium? II. Conſtat Chriſtum oſtendere, quot malis ac periculis ſe objiciant, qui ſummum jus obſtinatè pertentare malunt, quam ex æquo & bono agere. c. 5. S. 7.

66. III. Petunt argumentum ex dicto Pauli, Phil. 2. 10. Vbi cœleſtium, terreſtrium & infernorum genua Chriſto flecti affirmat. Iam per infernos ajunt non poſſe intelligi, qui æternæ damnationi addicti ſunt. Eſſe ergo animas in Purgatorio laborantes. Reſp. I. Gratis eos ſumere, per geniculationem deſignari verum pietatis cultum, cum potius dominationem ſignificet, qua univerſæ creaturæ Chriſto ſubjugandæ ſint. II. Nihil obſtat, quo minus per infernos intelligamus Diabolos, qui ſanè ad Domini tribunal ſiſtentur, Iudicem ſuum agnituri cum terrore & trepidatione. Et ſic eandem Prophetiam Paulus interpretatur, Rom. 14. 10. c. 5. S. 8.

67. Inſtant ex Apocal. 5. 13. Omnem creaturam, &c. dixiſſe, Agno ſit benedictio, honor, &c. Hunc locum, inquiunt, ſic interpretari non licet. Reſp. Fatemur. Creaturas enim recenſet omnes, etiam ratione carentes & inanimatas, quæ omnes à ſummo cœlorum vertice uſque ad terræ centrum ſuo modo creatoris gloriam enarrent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

rent. Quomodo hinc efficiunt Purgatorium? cap. 5. Sect. 8.

68. IV. Solent etiam proferre locum ex 2 Machab. c. 12. 43. Reſp. I. Librum hunc non eſſe Canonicum. Nec obſtat quod talis Auguſtino viſus ſit. Apparet enim hac in re non ſemper eum ſibi conſtare. Tum vero repugnat judicium Hieronymi & Cypriani. Denique author ipſius libri, cum veniam deprecatur, c. 15. 36. ſatis oſtendit, quantum huic ſcripto deferendum ſit. II. Scriptor hiſtoriæ non alio nomine factum Iudæ laudat, niſi quod ſpem firmam de ultima reſurrectione habuerit. Neque illud ad pretium redemptionis trahit, ſed quod putaret conſortes eſſe vitæ æternæ cum reliquis fidelibus, qui pro patria & religione occubuerant. Quæ quidem ſententia vera eſt, etſi alioquin factum ipſum, ſiquidem ex mente ſcriptoris intelligatur, ſuperſtitione & præpoſtero zelo non careat. III. Dicimus, utcumque ſe res habeat, fatuos eſſe, qui ſacrificium legale ad nos uſque trahunt, quando ſcimus adventu Chriſti ceſſare, quæ tunc in uſu fuerunt. c. 5. S. 8.

69. V. Invictum putant ſe habere argumentum ex 1 Cor. 3. 12. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe tamen ſalvus erit, ſed quaſi per ignem. At hic ignis non poteſt eſſe niſi purgatorius. Reſp. I. Si pleriſque Veterum credimus, non eſt alius hic ignis, quam tribulationis & crucis, per quem Deus ſuos examinat & purgat. Idque multo probabilius eſt, quam ut purgatorium confingamus. II. Quærimus, an putent etiam Apoſtolis & ſanctis omnibus per hunc ignem eſſe transeundum. Negabunt certe. Et abſonum foret, eos velle purgari, quorũ merita ſomniant ad univerſa Eccleſiæ membra redundare. Atqui Paulus

non

non quorundam ſed omnium opus probatum iri confirmat. Quo argumento Auguſtinus priorem interpretationem confutat. III. Non dicit Paulus quosvis & propter quęlibet opera tranſituros, ſed qui Eccleſiam fideliter ædificarint, mercedem recepturos eſſe, poſtquam opus eorum igne fuerit examinatum. IV. Videndum ergo quis iſte ignis ſit. Principio liquet Apoſtolum metaphora uti, ex vocibus, ligni, fœni, ſtipulæ, quibus doctrinæ humanæ ſignificantur. cujus metaphorę ratio prompta eſt, quod velut illa igni admota conſumuntur & pereunt, ſic nec iſtæ perdurare poſſint, ſi eas examinari contigerit. Porro ejuſmodi examen à Spiritu Dei proficiſcitur. Itaque metaphoram continuans, ignem appellavit examen Spiritus S. Nam ſicut aurum & argentum, quo propius ad ignem admoventur, eo certius probantur, ita Domini veritas, quo exactius ſpirituali examine expenditur, eo magis etiam confirmatur. Contra ſicut fœnum, lignum & ſtipula, igni admota, comburuntur, ſic hominum inventa Spiritus S. examen ferre nequeunt, ſed protinus concidunt & diſpereunt. Illud enim extra dubium ponimus, commentitias doctrinas non confici nec profligari niſi à Domini Spiritu. Vnde ſequitur Spiritum vel examen Spiritus S. eſſe ignem illum, à quo probantur. Quam probationem Paulus vocat *Diem Domini,* quia tum Deus præſentiam ſuam hominibus manifeſtat. V. Si quæritur, quomodo per ignem ſalvi fiunt, qui operis jacturam patiuntur, reſpondemus, Apoſtolum loqui de Eccleſiæ architectis, qui retento fundamento, hoc eſt, non deflectentes à pręcipuis & neceſſariis fidei capitibus, in minoribus non ita periculoſis hallucinantur & commenta ſua Dei verbo admiſcent. His commentis

abolitis,

abolitis, operis fit jactura, ipſi tamen ſalvi fiunt, ſed quaſi per ignem, hoc eſt, Spiritus S. gratia & virtute repurgati. Cæteroquin eorum ignorantia & hallucinatio nunquam Deo probatur. Vnde ſequitur, ſui quoque operis jacturam facere, qui divini verbi puritatem iſto purgatorii ſtercore inficiunt. cap. 5. Sect. 9.

70. VI. Vrgent denique vetuſtiſſimam hanc fuiſſe Eccleſiæ conſuetudinem. Reſp. I. Quando Paulus denuntiat omnes jacturam facere operis ſui, qui aliquid minus conſentaneum fundamento ſuperſtruxerint, & ſuam quoque ætatem in hac ſententia comprehendit, facile ſolvitur argumentum, quod ſine Dei verbo & exemplo probo prætenditur, etiamſi longo uſu receptũ ſit. II. Quæ adferuntur ſanctorum exempla, de luctu & officio ſepulturæ, multas & longas habẽt narrationes: de precibus pro defunctis, ne minimum quidem apicem. III. Ipſi veteres, qui preces fundebant pro mortuis, mandato Dei & legitimo exemplo deſtitui ſe videbant. Iam vero ſine certa conſcientia fieri nihil debet, præſertim in oratione, Rom. 14. ℣. 23. Itaque in eo aliquid humani paſſi ſunt veteres, quod ad imitationem trahi non debet. Cæterum ut hoc auderent facere, duplici ratione impulſi videntur. 1. Quod ſolatium quærerent, quo ſublevarent ſuum mærorem: partim etiam inhumanum putarent, non edere coram Deo aliquod ſuæ erga mortuos dilectionis teſtimonium. 2. Scimus apud gentiles juſta fuiſſe ſoluta mortuis & luſtratas fuiſſe ipſorum animas. Moris hujus occaſio ſumta videtur ex recto principio, mortem non eſſe interitum, ſed tranſitum in alteram vitam. Ita convictas tenuit gentes ipſa ſuperſtitio, quod vitæ futuræ curam neglexerint. Iam ne profanis homi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nibus deteriores viderentur Chriſtiani, puduit illos nullum mortuis officium præſtare, ac ſi penitus extincti eſſent. Ex perverſa ergo æmulatione hæc conſuetudo fluxit. Solatium vero ſolidius nullum eſt, quam quod Scriptura ſuppeditat, *beatos eſſe mortuos, qui in Domino moriuntur, eo quod requieſcant à laboribus ſuis.* Amori porro ſuo non eo uſque iudulgere debuerant, ut perverſum orandi morem in Eccleſia erigerent. 3. Hinc facile etiam colligitur, quidquid hac de re legitur apud veteres, publico mori & vulgi imperitiæ datum fuiſſe: ipſos quoque inconſiderata credulitate abreptos in errorem. Adde quod tam dubitanter & frigide de hac re diſputent, ut eo ipſo nos ſecuros reddant. Auguſtinus matris ſuæ Monicæ votum probatum aliis voluit, non ex Scriptura, ſed pro naturæ ſuæ affectu. Liber ejus, de cura pro mortuis agenda, non niſi hæſitationes & frigidas veriſimilitudines continet, eo tandem redit, quia invaluit conſuetudo, non eſſe ſpernendum hoc officium. His veram & immotam regulam opponimus, vota & preces noſtras Dei verbo eſſe ſubjiciendas. Proinde nihil hic adferendum eſſe proprium, ſed petenda quæ Deus à ſe peti velit: Denique profanationem eſſe invocationis Dei, tentare plus quam nobis præcipiat. 4. Sed ne glorientur adverſarii, dicimus magnum eſſe diſcrimen inter veteres illos & recentiores Purgatorii architectos. Illi parce & in communione S. Cœnę mortuos Deo commendabant, idque ne viderentur omnem ipſorum curam abjeciſſe: ſimul tamen fatebantur ſe dubitare de ipſorum ſtatu; & de Purgatorio nihil certi aſſerebant. At Papiſtæ negotium hoc novis incrementis auxerunt. De Purgatorio quidquid ſomniarunt, pro fidei dogmate haberi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

haberi volunt, mortuorum curam paſſim & aſſidue urgent, adeo ut omnibus charitatis officiis præferatur, præcipua denique Papatus ſanctitas ſit mortuis laborantibus opem adferre. Adde craſſiores ſuperſtitiones, quibus ſimplicium animos faſcinarunt, & turpiſſimas nundinationes, quibus apud veteres ſimile nihil reperitur. 5. Ipſi Veteres nonnunquam ejuſmodi argumenta proferunt, quę totas illas pro mortuis preces, manifeſte evertunt; quale eſt illud Auguſtini, Reſurrectionem carnis & æternam gloriam exſpectari ab omnibus, requiem vero, quæ poſt mortem ſequitur, tunc unumquemque accipere, ſi dignus eſt, quum moritur. Itaque pios omnes, non minus quam ſanctos, ſtatim à morte beata quiete frui teſtatur. cap. 5. S. 10.

DISPUTATIO IV,

De Vita hominis Chriſtiani.

Ex lib. 3. cap. 6, 7, 8, 9, 10.

1. HActenus de fide & vera reſipiſcentia egimus. Hanc ſequitur vitæ novitas, qua imago Dei in nobis inſtauratur. Hunc enim diximus ſcopum eſſe noſtræ regenerationis, ut in fidelium vita inter Dei juſtitiam & eorum obſequium conſenſus appareat: qua ratione adoptioné noſtram ratam facimus. Et hanc quidem vitæ novitatem Lex in ſeſe continet. Quia tamen tarditas noſtra multis tam ſtimulis quam adminiculis indiget, proderit ex variis Scripturæ locis rationem vitæ formandæ colligere, ne pii in ſtudio ſuo aberrent. Argumentum ſane varium eſt & copioſum. Nobis animus eſt, nõ ſingulas proſequi virtutes & in exhortationes exſpatiari, ſed rei ſummam quanta

licebit

licebit brevitate perſtringere. Qui plura deſiderat, conſulat Veterum Doctorum parenæſes. c. 6. S. 1.

2. Habent in hac materia ſuam quoque methodum Philoſophi, dum certos recti & honeſti fines aſſignant, unde particularia officia, totumq; virtutum chorum deducunt. Sed, ut erant ambitioſi, exquiſitam diſpoſitionem plus nimium affectant. Scriptura nec affectate, nec ita exacte, nec perpetuo, methodicam rationem obſervavit: pulcherrimam tamen œconomiam alicubi tenet. Quo ipſo ſatis innuit non eſſe à nobis negligendam. cap. 6. S. 1.

3. Duabus porro partibus conſiſtit. Prior eſt, ut juſtitiæ amor, ad quem natura minime propenſi ſumus, animis noſtris inſtilletur. Altera ut nobis norma præſcripta ſit, quæ nos in juſtitiæ ſtudio aberrare non ſinat. c. 6. S. 2.

4. Ad primam partem, nempe juſtitiæ commendationem faciunt hæc argumenta. I. Nos ſanctificari oportere, quia Deus noſter ſanctus eſt, Levitic. 19. 1. 1 Petr. 1. 16. Ab hoc fundamento recte exordium ſumimus. Deus enim nos ſibi univit, quum diſperſi & diſſipati eſſemus. Hujus conjunctionis copulam voluit eſſe ſanctitatem: non noſtro ſanctitatis merito, quam ipſius beneficio conſequimur, ſed quoniam ad ejus gloriam pertinet, non eſſe illi conſortium cum immundicia. Deinde huc etiam ſpectat vocationis noſtrę finis, cui nos reſpondere oportet. Quorſum enim nos à mundi pollutione attinebat erui, ſi nobis permittimus tota vita in illis volutari? Tertio quum ſanctam ſibi civitatem Ieruſalem conſecrarit, nefas eſt illam impuritate incolarum profanari, Pſ. 15. & 24. Certe ſanctuarium eſt, non ſtabulum, quod ſordibus poſſit eſſe refertum. c. 6. S. 2.

5. II. Al-

5. II. Alterum argumentum adhuc eſt efficacius, à noſtra cum Deo reconciliatione petitum. Nihil tale reperias apud Philoſophos in tota ipſorum Philoſophia morali. Nam quum ad virtutem egregie volunt adhortari, nihil aliud aſſerũt, quam ut naturæ convenienter vivamus. Itaque in commendatione virtutis nunquam ſupra hominis naturalem dignitatem conſcendunt. At Scriptura à vero fonte deducit exhortationem, quando nos ad Deum vitæ noſtrę authorem, & Chriſtum Servatorem revocat. Tota quidem vita noſtra Deo creátori obſtricta eſt. Sed poſtquam degeneravimus à creationis noſtræ origine ac lege, neceſſe eſt nos Chriſti formam in vita noſtra exprimere, per quem in gratiam cum Deo redimus, & qui nobis ſanctioris vitæ propoſitum eſt exemplar. Quo argumento nihil eſt efficacius. Hac etenim conditione adoptati ſumus in filios, ut Chriſtum vita noſtra repræſentet. Proinde qui ſe juſtitiæ non addicunt, 1. A Creatore ſuo peſſima deficiunt perfidia. 2. Ipſum quoque Servatorem ejurant. cap. 6. Sect. 3.

6. III. Scriptura ab omnibus Dei beneficiis ac ſingulis ſalutis noſtræ partibus ſumit exhortandi materiam. 1. Deus ſe nobis Patrem exhibuit, Malach. 1.6. Ergo ingrati erimus, niſi viciſſim nos illi filios exhibeamus. 2. Chriſtus nos ſanguinis ſui lavacro purificavit, idque per baptiſmum nobis communicavit, Eph. 5.2.25.26. Heb. 10.10. 1 Cor. 6.11. 1 Pet. 1.18.19. Ergo non decet, ut novis ſordibus inquinemur. 3. Chriſtus nos corpori ſuo tanquam membra inſeruit, 1 Cor. 6.15. Eph. 5.23. Ergo cavendum ne nobis maculam ullam aſpergamus. 4. Chriſtus caput noſtrum aſcendit in cœlum, Coloſſ. 3.1. Ergo depoſito terræ

affectu illuc toto pectore eſt aſpirandum. 5. Spiritus S. nos velut templa Deo dedicavit, 1 Cor. 3. 16, 17. & 6. 19. 2 Cor. 6. 16. Ergo danda opera, ut Dei gloria per nos illuſtretur: Item, non eſt committendum, ut peccati ſpurcitia profanemur. 6. Anima noſtra & corpus cœleſti incorruptioni & immarceſſibili coronæ ſunt deſtinata, 1 Theſſ. 5. 23. Ergo ſtrenue enitendum eſt, ut pura & incorrupta in diem Domini conſerventur. Hæc auſpicatiſſima ſunt bene conſtituendæ vitæ fundamenta. cap. 6. Sect. 3.

7. Proinde merito redarguendi ſunt, qui nihil habentes Chriſti præter titulum, Chriſtiani tamen nominari volunt: quæ ſumma eſt impudentia. I. Quia nihil commercii habent cum Chriſto, nec Chriſtum recte didicerunt, niſi abjecto veteri homine Chriſtum induant. II. Quamvis diſerte & volubiliter de Euangelio garriant, falſo tamen Chriſti cognitionem obtendunt. 1. Quia non linguæ eſt doctrina ſed vitæ. 2. Quia non intellectu aut memoria duntaxat apprehenditur, ſed tum recipitur, ubi animam totam poſſidet. 3. Doctrinæ quidem damus priores partes, ut quæ ſalutem noſtram inchoat: ſed ut fructuoſa ſit, in pectus transfundatur & in mores tranſeat oportet, adeoque ut nos in ſe transformet. 4. Philoſophos videmus excandeſcere & à grege ſuo abigere eos, qui quum profiteantur artem, quæ magiſtra vitæ eſſe debet, eam in Sophiſticam loquacitatem convertunt. Quanto meliori jure nugaces iſtos homines deteſtabimur, qui Euangelium, cujus efficacia omnes Philoſophorum parænеſes ſuperat, in intimos affectus cordis non tranſmittunt, ſed in ſummis labris tantum volutant. c. 6. S. 4,

8. Quæri poſſet, an ita ſevere Euangelicam per-

perfectionem requiramus, ut non ſimus agnituri pro Chriſtiano, qui ad eam nondum pertigerit. Reſp. Optandum, & conari debemus, ut mores Chriſtiani hominis abſolutum Euangelium ſpirét. Sed quando nemo reperitur qui non longo intervallo iſthinc diſtet, multi parum adhuc progreſſi ſint, immerito omnes ab Eccleſia excluderentur. Proinde hæ regulæ ſerventur. I. Vt ad illum perfectionis ſcopum tantum omne ſtudium dirigamus, ad illam metam unice cõtendamus. II. Cordis integritatem tanquam præcipuam cultus divini partem ſectemur: cui cor duplex opponitur. Eſt enim recte vivendi principium plane ſpirituale, ubi interior animi affectus ſine fictione ad ſanctitatem & juſtitiam colendam Deo addicitur. III. Sed quia nec feſtinamus pro debito, ſæpius ex imbecillitate claudicamus, humi etiam reptando modice promovemus, eamus ergo quisque pro facultatulæ ſuæ modo, & cœptum iter proſequamur. Non infœliciter incedet, qui aliquantum ſaltem viæ quotidie emenſus fuerit. IV. In hoc progreſſu ne ſucceſſus tenuitatem deſperemus. Vtcunque enim voto non reſpondeat, non peribit opera, ubi hodiernus dies heſternum vicerit. V. In hoc incumbendum, ut perpetuo conatu meliores nobis ipſis evadamus, donec in plenum divinæ bonitatis conſortium recepti erimus. c. 6. S. 5.

9. Iam ſecundo loco nobis diſpiciendum eſt, quæ norma vitæ noſtræ inſtituendæ ſequenda ſit. Ejus quidé optimam & aptiſſime diſpoſitam methodum habet Lex Domini. Sed viſum eſt cœleſti Magiſtro accuratiore etiamnum ratione ad illam ipſam regulam ſuos formare. Hujus rationis hic primus gradus & principium eſt, ut homo diſcedat à ſeipſo, quo totam ingenii vim applicet ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Dei obſequium, quod non tantum in verbi obedientia poſitum eſt, ſed quo præterea mens hominis, proprio carnis ſenſu vacua, ſe ad ſpiritus Dei nutum tota convertit. Hoc fidelium officium deſcribit Apoſtolus Rom. 12. 1. 2. quando eos docet præbere Deo corpora ſua hoſtiam viventem, ſanctam, acceptam Deo: atque in eo ſitum eſſe legitimum ejus cultum. Vnde hortandi argumentum ſumit, ne cõfigurentur huic ſæculo, ſed transformentur renovatione mentis ſuæ, ut probent quæ ſit voluntas Dei. Hinc ſequitur nos eſſe Deo conſecratos, ne quid poſthac cogitemus, loquamur, agamus, niſi in ejus gloriam. Non ſumus noſtri. Ergo. 1. Ne ratio noſtra vel voluntas in conſiliis noſtris factisque dominetur. 2. Ne hunc finem nobis ſtatuamus, ut quæramus, quod nobis ſecundum carnem expedit. 3. Ergo, quoad licet, obliviſcamur noſmet ipſos, & noſtra omnia. Rurſum, Dei ſumus: Ergo. 1. Illi vivamus & moriamur. 2. Ejus ſapientia & voluntas cunctis noſtris actionibus præſideat. 3. Ad illum, tanquam ſolum legitimum finem, omnes vitæ noſtræ partes contendant. Hæc transformatio ſive renovatio, qua regimen & dominium noſtri propriæ rationi abrogamus, quo Deo aſſeramus, primus eſt ad vitam ingreſſus, quia homo Spiritui S. ſubjectus non jam ipſe vivit, ſed Chriſtum in ſe fert viventem & regnantem, nec jam per ſeipſum ſapit aut vult, ſed Dominum præeuntem duntaxat ſequitur. Atque hic unicus eſt ſalutis portus. Hanc Philoſophiam omnes Philoſophi ignorarunt, dum ſolam rationem homini moderatricem præficiunt, quæ ad perdendos homines efficaciſſima eſt peſtis. cap. 7. S. 1.

10. Ex hoc principio alterum illud conſequitur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Vt ne quæramus, quæ noſtra ſunt, ſed quæ ex Domini ſint voluntate & faciant ad ejus gloriam promovendam. Ita fiet ut homo ſui pœne oblitus, ſaltem poſthabita ſui ratione, Deo ejusque mandatis ſtudium omne impendere conetur. Neque enim non poteſt ab omni vana cogitatione animum avertere, qui ſolum Deum in omni re agenda intueri didicit, qui omnia ſua ad ejus arbitrium revocare conſuevit. Hoc enim ſemper ſecum reputabit, ſibi in tota vita negotium cum Deo eſſe. Et hæc eſt illa noſtri abnegatio, quam tanta diligentia Chriſtus diſcipulis ſuis inculcavit. Hæc ubi ſemel in animo obtinuit, nullus faſtui, potentiæ affectationi, gratiæ & gloriæ humanæ deſiderio, nullus avaritiæ, libidini, luxuriæ aut aliis ſecretioribus peſtibus, quæ ex amore noſtri generantur, locus reliquus eſt. Contra ubicunque non regnat, illic vel ſpurciſſima vitia ſine pudore pervagantur, aut ſi qua eſt virtutis ſpecies, prava gloriæ cupiditate vitiatur. Alii laudis & popularis ſaltem auræ gratia virtutem ſequuntur. Et hi in mundo ſuam accipiunt mercedem. Alii, ut plærique Philoſophi, non ob aliud videntur expetiiſſe virtutem, niſi ut ſuperbiendi haberent materiam. At Chriſtus his meretrices & publicanos regno cœlorum facit propiores. cap. 7. Sect. 2.

11. Huc etiam pertinet locus ad Titum c. 2. 11. ubi Paulus diſtinctius ſingulas vitæ bene compoſitæ partes exequitur. Primum ad nos animandos gratiam Dei proponit. Deinde ut viam nobis ſternat ad Deum recte colendum, duo tollit maxima obſtacula, impietatem ſcilicet & mundanas cupiditates. Sub illa non tantum ſuperſtitiones, ſed etiam quidquid pugnat cum ſerio timore Dei cõprehendit. Per has intelligit carnis affectus. Ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

jubemur exuto proprio ingenio, quoad utramque Legis tabulam, abnegare, quidquid noſtra ratio & voluntas dictat. Porro omnes vitæ actiones ad tria membra reſtringit, ſobrietatem, juſtitiam & pietatem. Sobrietas tam caſtitatem & temperantiam, quam purum & frugalem temporalium bonorum uſum & inopiæ tolerantiam denotat. Iuſtitia omnia erga homines æquitatis officia complectitur. Pietas nos vera ſanctitate cum Deo conjungit. Hæc inter ſe connexa ſolidam efficiunt perfectionem. Denique revocat nos Paulus ad ſpem beatæ immortalitatis & glorioſam apparitionem Ieſu Chriſti. Sciebat nihil eſſe difficilius quam renuntiare ſibi & mundo, totumque ſe Deo addicere. Proinde monet, nos non fruſtra certare, quia Chriſtus in ultimo ſuo adventu fructum ſalutis à ſe partæ oſtendet. cap. 7. Sect. 3.

12. Hinc rurſus patet ad vitam bene inſtituendam opus eſſe abnegatione noſtri, eamque partim in homines, partim (idq; præcipue) in Deum reſpicere. c. 7. S. 4.

13. Abnegatio noſtri reſpectu hominum duabus partibus conſtat. 1. Vt illos honore nobis anteferamus, Rom. 12. 10. Phil. 2. 3. 2. Vt eorum commodis nos totos bona fide impendamus, 1 Cor. 13. 4. 5. Prius illud quam ſit difficile cæcus noſtri amor plus ſatis evincit, quo fit ut quisque ſibi videatur juſtam habere cauſam ſe efferendi, alios autem præ ſe omnes contemnendi. Sic enim ſe res habet. 1. Si quas virtutes in nobis conſpicimus, non tantum intumeſcimus, ſed pene rumpimur ſuperbia. 2. Vitia, quibus abundamus, tum occultamus ſedulo apud alios, tum levia & minuta eſſe fingimus, imo interdum pro virtutibus oſculamur. 3. Dotes, quas in nobis admiramur, ſi in

ſi in aliis apparent vel etiam majores, noſtra malignitate carpimus. 4. Si qua in illis ſunt vitia, ſevera animadverſione odioſe amplificamus. Si ad contentionem ventum fuerit, nullus modeſtiæ tenor ſervatur. Cedunt nonnunquam minores majoribus: ſinguli tamen regnum quoddam gerunt in pectore, etiam pauperes, plebei, ſervi, indocti. Hæc pernitioſiſſima τῆς φιλονεικίας & φιλαυτίας peſtis ex imis viſceribus eſt revellenda. Remedium Scriptura proponit. I. Vt quas Deus nobis largitus eſt dotes, meminerimus gratuita eſſe Dei dona. Proinde non eſſe in illis ſuperbiendum, niſi ingrati eſſe velimus, 1 Cor. 4. 7. II. Vt aſſidua vitiorum noſtrorum recognitione ad humilitatem nos revocemus. III. Vt quæcunque in aliis reſpicimus Dei dona, ſic revereamur, ut etiam eos honoremus, quos Deus ſuo honore dignatus eſt. IV. Vt ad vitia eorum conniveamus, non ut adulemur, ſed ne eorum cauſa inſultemus iis, quos benevolentia fovere convenit. V. Vt cum quocunque nobis negotium ſit, non tantum moderate nos & modeſte, ſed comiter etiam & amice geramus. cap. 7. Sect. 4.

14. Alterum vero in quærenda proximi utilitate officium, non minus habet difficultatis. Quis opera charitatis exhibeat, de quibus Paulus, 1 Corinth. 13. 4, 5, 6, 7. niſi à ſui conſideratione diſcedat, ut aliis ſe totum addicat? Primum ſi illud exigatur, *Ne quæramus quæ noſtra ſunt*, annon vis inferenda eſt naturæ? Hæc enim nos ad noſtri dilectionem inclinat, ut non facile noſtro jure velimus cedere, quod alteri reſignemus. At hic occurrit Scriptura. Et I. Docet, quidquid gratiarum à Domino obtinemus, hac lege nobis eſſe concreditum, ut in commune proximorum &

Eccleſiæ bonum conferatur: Ideoque legitimum earum uſum eſſe, liberalem ac benignam cum aliis communicationem. II. Porro gratias has facultatibus comparat, quibus prædita ſunt humani corporis membra. Horum nullum ſibi quidquam habet, nec in privatum uſum applicat, ſed ad ſocia membra transfundit, nec ullam inde utilitatem capit, niſi ex communi totius corporis commoditate. Sic vir pius ad communem Eccleſiæ ædificationem omnia refert. III. Monet nos eſſe œconomos bonorum Dei, & ad reddendam diſpenſationis rationem aſtringi: Eam vero demum eſſe rectam diſpenſationem, quæ ad dilectionis exigitur regulam. Proinde curam propriæ utilitatis alieni commodi ſtudio non cõjungendam tantum, ſed ſubjiciendam eſſe. IV. Hoc olim Deus in primitiis frugum expreſſit, quas ſibi offerri mandaverat. Sic enim teſtabatur populus, nefas ſibi eſſe aliquem percipere fructum ex bonis, non ante Deo conſecratis. Impurus ergo abuſus eſt donorum Dei, niſi authori ſuo manu noſtra dedicentur. Ad Deum vero benignitas noſtra pertingere nequit, Pſ. 16, 3. In ſanctos ergo, qui in terra ſunt, exercenda eſt. Et propter hanc convenientiam eleemoſynæ ſacris oblationibus comparantur, Heb. 13. 16. cap. 7. Sect. 5.

15. II. Alterum addit Apoſtolus, *Patientem eſſe Charitatem, nec irritari*. Nempe ne benefaciendo fatiſcamus. Præcipit enim Dominus, ut omnibus in univerſum benefaciamus. At magna pars indigniſſimi ſunt, ſi proprio merito æſtimentur. Hic optima methodo ſubvenit Scriptura, & docet non reſpiciendum eſſe, quid ex ſe ipſis mereantur homines, ſed imaginem Dei in cunctis eſſe conſiderandam, cui nihil non honoris & di-

lectionis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

lectionis debemus: in domeſticis autem maxime, in quibus imago Dei eſt renovata. Ergo omnibus officia noſtra debemus. Noli dicere, 1. Extraneus eſt. Nam notam illi familiarem Deus impreſſit: Et caro tua eſt: quam deſpicere non debes, Eſ. 58.7. 2. Contemtibilis & indignus eſt, cujus cauſa laborem. Nam Deus eum imaginis ſuæ decore dignatus eſt. Tum vero imago Dei digna eſt, qua tibi commendetur. 3. Nullis ejus officiis ſum obœratus. Nam Deus ipſum in vicem ſuam ſubſtituit, cui omnia debes. 4. Nihil boni de me promeritus eſt, etiam injuriis & maleficiis provocavit. Sed quid tu meritus es apud Deum? Quid apud te meritus eſt ipſe Deus? ſibi certe imputat, quod non remittis, quod proximum non amplecteris. Hac una via ſuperamus, quod naturæ adverſum, nedum difficile eſt, ut diligamus eos qui nos odio habent, beneficiis mala penſemus, probris benedictiones referamus, ſi non ad homines ſed ad Deum reſpiciamus. c. 7. S. 6.'

16. Tertium etiam innuit Apoſtolus, ut ex ſincero amoris affectu charitatis defungatur officiis, qui vere mortificationi ſtudet. Poteſt enim fieri, ut quidam exolvant, quod debent, omnibus, quo ad externa officia. Alii non niſi cum exprobratione & cõtumelia liberales ſunt. Quod in eleemoſynis hodie maxime experimur. Quæ pravitas vix inter Ethnicos eſſet tolerabilis, nedum Chriſtianos. Hic. 1. cogitemus, perſonam ejus, qui noſtra ope indiget, ſuſcipiendam, & fortunam ejus non aliter ſentiendam eſſe, atque ſi noſtra eſſet. 11. Sic animati nulla vel arrogantia vel exprobratione officia noſtra contaminabimus, opis noſtræ egenum nõ deſpiciemus, aut tanquam nobis obligatum ſubjugabimus. Quo nos revocat membro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

rum cum toto corpore conſociatio. Sane ægro membro non inſultamus. Nec corpus reliquis mẽbris ſpecialiter obligatum eſt, quia plus operæ ad ſe traxerit, quam repẽderit. Nihil enim hic gratuitum eſt, ſed quod naturæ lege debetur. 111. Vt in hoc officii genere perſeveremus, ne putemus nos uno officii genere defunctos eſſe. Semper proximi ſumus debitores. Nec alius beneficentiæ ſtatuendus eſt finis, niſi quum facultates deficiunt. Horum omnium charitas regula & norma eſt. cap. 7. Sect. 7.

17. Altera noſtri abnegationis pars in Deum ſpectat. De qua ſuperius multa dicta ſunt. Hic ſufficiet ea tractare, quæ ad æquanimitatem tolerantiamque nos formant. Principio, æquanimitatem ſervabimus, ſi in quærenda vitæ præſentis vel commoditate vel tranquillitate, nos noſtraq; omnia Domini arbitrio reſignantes, cordis noſtri affectus domandos ſubjugandosque illi tradamus. Nam furioſa eſt noſtra libido, & infinita cupiditas in opibus & honoribus expetendis. Rurſum paupertatis, humilitatis, ignobilitatis mirus eſt timor & odium: ad quæ amolienda modis omnibus ſtimulamur. Vtriusque hæc ſola cauſa, quod vitam homines proprio conſilio componere ſtudent. Optimum hic erit remedium, non aliunde proſperandi rationem appetere vel ſperare, quam ex Dei benedictione, & in eam ſe tuto & confidenter rejicere. Hæc ſola Dei benedictio per omnia impedimenta viam reperit, ut non ſolum in lætum fauſtumque exitum omnia ſuccedant, ſed ut etiam ipſam fœlicitatem guſtemus. Sine hac benedictione, miſeriæ & calamitatis omne genus eos manet, qui propria vel ingenii dexteritate vel ſedulitate freti, vel hominum favore ſubnixi, vel

inani

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

inani fortunæ imaginatione confiſi, ad opes honoreſque cupide contendunt. Qui vero ſemper in Dominum reſpiciunt, & in ſola ejus benedictione omnem proſperi ſucceſſus rationem credunt eſſe poſitam, ad quamcunque ille providerit ſortem, deduci ſe patientur. Ita fiet. I. Vt innocentiæ ſtudeant, nihil vero per nefas aut malis artibus cum proximorum injuria captent, quia norunt inter artes nequitiæ nullam ſpem eſſe poſſe divinæ benedictionis. II. Sic quoque injectum erit frœnum, ne avaritia aut ambitione abripiantur. Sciunt enim non adjuvari à Deo, qui contra ejus verbum aliquid deſiderant. III. Ita quoque ab impatientia ſe cohibebunt, ubi pro voto ac ſpe omnia non ſuccedunt, quia ſciunt hoc eſſe murmurare contra Deum, cujus arbitrio cuncta diſpenſantur. Denique ſive quid proſpere accidat, non ſibi, ſed Deo acceptum referent: ſive parum promoveant, ſumma tamen animi æquitate ſuam tenuitatem ferent: quia ut ſaluti ſuæ conducit, ita res ſuas reputabunt à Domino ordinari. Qualem affectum in Davide videmus, Pſ. 131. 1. c. 7. S. 8, 9.

18. Hæc eadem animi tranquillitas ad omnium caſuum hujus vitæ tolerantiam extendi debet. Nemo ſe rite abnegat, qui non omnes vitæ ſuæ partes ejus arbitrio committit. Sic animatus nec miſerum ſe reputabit, nec de Deo conqueretur, quidquid tandem accidat. Quam autem neceſſaria ſit hæc animi affectio, liquido conſtat, ſi conſideres accidentia, quibus & quam variis ſubjecti ſumus. Alias infeſtant morbi, alias peſtis graſſatur, vexant nos bella, angunt ſterilitas, incendia, mors eorum qui nobis chari ſunt, &c. ob has res ſæpius homines ſibi & Deo maledicunt. Fidelis non expoſtulat cum Deo, non obloquitur, non deſpon-

deſpondet animum, non ad impatientiam prorumpit, ſed in quocunque caſu ad Dei clementiam & paternam indulgentiam ſe convertit, de ipſius gratia, favore, tutela certus, ad tolerantiam ſe componit, & quidquid evenit, placido gratoque animo ſuſcipit, quia Domini manu ſcit eſſe ordinatum, cujus in poteſtate ſe ſuaque omnia ſemel permiſit. c. 7. S. 10.

19. Porro cavenda hic ſtulta & miſerrima Ethnicorum conſolatio, qui ut animum confirmarent, fortunæ res adverſas imputabant, quæ cæcis oculis merentes ſimul & immerentes temerarie vulneraret, adverſus quam indignari ſtultum eſſe putabant. Sed pietatis regula nos ad Deum deducit, cujus manus utriusque fortunæ eſt moderatrix, non ruens inconſiderato impetu, ſed ordinatiſſima juſtitia nobis bona ſimul ac mala diſpenſans. c. 7. S. 10.

20. Sed altius etiamnum in tolerantiæ virtute conſcendere piam mentem decet, ut ſuam unusquisque crucem tollat, Matth. 16. 24. Quoscunque enim Dominus ad ſe vocat & inter ſuos cooptat, ad duram, laborioſam, inquietam, & plurimis malis refertam vitam pręparare ſeſe debent. Sic etenim cœleſtis Pater certum de ſuis experimentum capere voluit. Rationes autem, cur in eum modum nos exerceat, variæ ſunt. c. 8. S. 1.

21. I. Quando Chriſtus primogenitus & dilectus Dei Filius, quamdiu in terris vixit, perpetua veluti cruce exercitatus fuit, mirum videri non debet, ſi erga filios ſuos omnes eundem ordinem proſequatur. Cur hanc conditionem Chriſtum caput noſtrum ſubire oportuerit, docet Paulus Heb. 5. 8. quod obedientiam debuerit diſcere ex iis quæ paſſus eſt. Nulla ergo cauſa eſt, cur nos ab eadem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eadem conditione eximamus, cum ejus ſimus membra: Et Chriſtus ideo hæc noſtra cauſa ſubire voluerit, ut nobis in ſeipſo patientiæ exempla præberet. Iam vero ad hunc quoque finem deſtinati ſumus, ut ipſi conformes ſimus, Rom.8.29. Quo magis ergo rebus adverſis affligamur, eo certius confirmatur noſtra cum Chriſto ſocietas. Per eandem viam tribulationum in gloriam cœleſtem ingredimur, Act. 14. 22. Et communione atque conformitate afflictionum & mortis ejus, ad glorioſæ reſurrectionis conſortium prçparamur. Denique ſic & paſſiones ipſæ nobis fiunt benedictæ, & ad promovendam ſalutem noſtram magnopere conducunt. Qua in re non exigua tantum noſtra exiſtit dignitas, ſed ſumma etiam in rebus adverſis conſolatio. c. 8. S. 1.

22. II. Cogitandum nobis eſt, quam crux ſit neceſſaria. Chriſtus quidem crucem ferendam ſuſcepit, ſed non niſi ad teſtandam & approbandam Patri ſuam obedientiam. Nobis ob alias cauſas neceſſe eſt ſub aſſidua cruce vitam degere. Natura nimium propenſi ſumus ad ſtolidam & inanem carnis confidentiam, qua freti contumaciter ſuperbimus in Deum ipſum, & virtutem noſtram ſupra juſtum modum æſtimamus. Quin etiam ſanctiſſimi de ſua conſtantia plus juſto nonnunquam ſecuri ſunt. Cujus rei exemplum in Davide videmus Pſal. 30. 7. Quod ſi tanto Prophetæ accidit, quis noſtrum non timeat, ut ſibi caveat? Hanc arrogantiam non melius retundere Deus poteſt, quam ut nos in penitiorem noſtri notitiam adducat, & experimento comprobet, quanta non modo imbecillitate, ſed etiam fragilitate, ſed hypocriſi laboremus. Hac de cauſa variis nos calamitatibus affligit, quibus ſuſtinẽdis longe impares,

humi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

humiliati & imbecillitatis noſtræ conſcii diſcimus invocare ejus virtutem, ad ipſius gratiam & divinæ virtutis præſentiam confugere, in hac conſiſtere, in ea ad ultimum perſeverare, in qua ſatis ſuperque præſidii experimur. c. 8. S. 2, 3.

23. III. Hinc alius non exiguus exiſtit fructus, quem Paulus aſſignat Rom. 5. 3. tribulationibus generari patientiam, ex hac probationem, ex probatione ſpem. Nam dum patienter ſubſiſtunt ſancti, ſentiunt ſe manu Dei fulciri, & experimentum capiunt promiſſionis & opis divinæ, quam pollicitus eſt, atque reipſa, dum opus eſt, exhibet. Vnde ſpes eorum confirmatur, ut in poſterum exſpectent, quam jam experti ſunt, conſtantem & firmam Dei veritatem. c. 8. S. 2.

24. IV. Alium quoque finem habet Deus affligendi ſuos, ut ipſorum patientiam exploret, & ad obedientiam eos erudiat. Patientiam explorare dicitur, quando tolerandi virtutem atque conſtantiam, qua ſervos ſuos inſtruxit, in apertum profert. Sic Deus dicitur tentaſſe Abrahamum, & ex filii immolatione pietatem ejus cõpertam habuiſſe, Gen. 22. 1. 12. Eodemque ſenſu Petrus docet fidem noſtram probari tribulationibus, ſicut aurum in fornace ignis, 1 Pet. 1. 7. Sane expedit, ut quas fidelibus ſuis virtutes & gratias Deus contulit, non lateant in obſcuro, non inutiles ſint & depereant. Iure ergo facit, quando illis excitandis materiam ſuppeditat, & in uſum producit. Alioquin nunquam pro merito æſtimarentur: Et ſine afflictionibus nulla foret ſanctorum patientia. cap. 8. Sect. 4.

25. V. Adhæc ad obediendum quoque cruce dicimus nos erudiri. Sic enim non ex proprio voto ſed ad Dei arbitrium vivere docemur. Tanta eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eſt carnis noſtræ laſcivia, ut jugum Dei facile excutiat, ubi nos mollius & indulgentius tractat. Et ſimiles ſumus equis ſaginatis ac refractariis, qui ſeſſorem non agnoſcunt. Quales fuerunt Iſraëlitæ, de quibus conqueritur Deus, Deut. 32. 15. Debebat certe nos Dei beneficentia ad deamandam ejus bonitatem allicere. Sed quando noſtra malignitate indulgentia ejus potius corrumpimur, opus eſt nos aliqua diſciplina contineri, ne in talem petulantiam exultemus. Alioquin neſciremus, quid ſit Deum ſequi. Tum autem vere ſequimur, quum Patri cœleſti nos per omnia obſequentes eſſe probamus, & jugum ejus libenter ſubimus. Novit Dominus, quam facile opibus, honoribus, reliquis animæ vel corporis bonis inflati inſoleſcamus. Idcirco, prout providet expedire, occurrit, variisque modis carnis noſtrę ferociam crucis remedio ſubigit & refrœnat. Neque enim omnes iiſdem morbis per æque graviter laboramus, aut perinde difficili curatione indigemus. Proinde alios alio crucis genere exercet. Neminem tamen prętermittit immunem, quia omnes ad unum novit eſſe morbidos. cap. 8. S. 4, 5.

26. VI. Nec illud quoque omittendum eſt, quod præterita delicta ſæpius corrigenda ſunt, ut nos clementiſſimus Pater in legitima erga ſe obedientia contineat. Proinde quoties affligimur, ſubire protinus in mentem debet anteactæ vitæ recordatio. ſic ſtatim reperiemus, nos aliquid admiſiſſe, quod dignum ſit ejuſmodi caſtigatione. Ne tamen à peccati agnitione pręcipue nos ad patientiam animemus, meliorem conſiderationé monſtrat Scriptura, quando docet. 1. Nos à Domino corripi, ne cum mundo damnemur, 1 Cor. 11. 32. Affligit enim non ut perdat, ſed potius ut ſalvet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Et hanc ſalutem etiam afflictione noſtra promovet. II. Hac ratione Patris ferulam eſſe agnoſcendam, quam dociles filii ferre debeant, dum ſalutem noſtram procurat, niſi extra diſciplinam & ſpurii eſſe velimus, Prov. 3. 11. Heb. 12. 8. III. Hoc intereſſe diſcrimen inter fideles & incredulos, quod hi velut nequiſſima mancipia deteriores & obſtinatiores fiant, illi magis ingenui ad pœnitentiam proficiant, quibus accenſeri ſatius eſt, quam improbis. cap. 8. Sect. 6.

27. VII. Eſt illa porro ſingularis conſolatio, ubi pro juſtitia perſecutionem patimur. Patiuntur autem pro juſtitia, non tantum, qui pro Euangelii defenſione adverſus Satanæ mendacia, ſed qui pro quolibet juſtitiæ patrocinio in ſuſcipienda bonorum atque innocentium contra improborum injurias tutela laborant. Vnde ſæpius in mundi odia, & vitæ, fortunarum, honoriſque pericula incurrunt. Hic. I. Succurrere debet, quanto nos honore dignetur Deus, quod ita nos peculiari militiæ ſuæ nota inſignit. II. Etſi paupertas, exilium, contemptus, carcer, ignominia, mors denique, ſi in ſe æſtimentur, totidem ſint miſeriæ ſpecies. aſpirante tamen Dei favore, nihil eſſe iſtorum, quod non in fœlicitatem nobis cedat: Ideo tales Chriſtus ore ſuo beatos pronuntiavit, Mat. 5. 10. Hoc teſtimonium majus eſt, quam quævis falſa carnis æſtimatio. III. Hanc crucis ſpeciem fidelium maxime propriam eſſe, qua vult Chriſtus in nobis glorificari, 1 Petr. 4. 14. 16. Ioh. 21. 19. IV. Cum nihil ſit ingenuis naturis acerbius, cogitandum non modo perſecutiones nos manere, ſed etiam probra, quia ſperamus in Deum vivum 1 Tim. 4. 10. 2 Cor. 6. 8. cap. 8. S. 7, 8.

28. Proinde ingrati erimus, niſi calamitates illas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

illas libenter hilariterque ſuſcipimus, niſi Apoſtolorum exemplo gaudemus, quod Deus nos dignos reputet, qui pro ſuo nomine contumeliam patiamur. cap. 8. Sect. 7. 8.

29. Neque vero ea hilaritas à nobis requiritur, quæ omnem acerbitatis dolorisque ſenſum tollat. Nam I. in cruce nulla eſſet ſanctorum patientia, nulla fortitudo, ſi nulla eſſet in calamitatibus aſperitas, cruciatus, horror. Sed quum graviter tentati fortiter reſiſtendo eluctamur, acriter exſtimulati omnem intemperiem timore Dei refrænamus, triſtitia vulnerati in Dei conſolatione acquieſcimus, tum in lucem venit fidelis hominis fortitudo, patientia & alacritas. II. Quem conflictum adverſus doloris naturalem ſenſum ſuſtineant fideles, eleganter deſcribitur, 2 Cor. 4. 8. In omnibus premimur, at non anxii reddimur: laboramus, non deſtituimur: perſecutionem patimur, at non deſerimur: dejicimur, at non perimus. Ergo patienter ferre crucem non eſt omni doloris ſenſu privari. Stoica hæc eſt & ferrea Philoſophia, quæ exuta omni humanitate homines in lapides convertit: Et quæ ſimulachrum patientiæ depingit, quod inter homines nec repertum eſt, nec exſtare poteſt. Quos quidam novi inter Chriſtianos Stoici infeliciter imitantur, quibus gemere, flere, triſtari, ſollicitum eſſe, vitioſum fuit. Sic otioſi homines ſpeculando non agendo ſe exercentes paradoxa nobis pariunt. III. Chriſtus hanc ſtultam Philoſophiam non verbo tantum ſed etiam ſuo exemplo damnavit. Ipſe ſuis & aliorum malis illachrimavit, Luc. 19. 41. Ipſe diſcipulis dixit, vos lugebitis & flebitis, Ioh. 16. 20. Ipſe beatos pronuntiavit, qui lugent, Matth. 5. 4. Ex ipſius corpore ſanguineæ lachrymæ diſtillarunt.

runt. Ipſe ad mortem cohorruit, Luc.22. 44. Si quælibet formido & triſtitia infidelitatem arguit, quo loco habebimus ipſumDominum Chriſtum? cap. 8. Sect. 8, 9.

30. Sed dicat aliquis, quomodo patientiæ ſtudium cum naturali doloris affectu conſiſtit, quem pii exuere non poſſunt? Reſp. I. Hunc Stoicorum eſſe errorem, qui ex patientia ſtuporem, ex homine forti ſtipitem faciunt. Sanctis aliam patientiæ laudem defert Scriptura, quod dum affliguntur, punguntur, premuntur malis, non franguntur tamen nec concidunt, ſed ſimul perfunduntur ſpirituali gaudio & Dei conſolatione exhilarantur. II. Nec hæc repugnantia nobis mira videri debet, ut cor naturæ ſenſu adverſa horreat, pietatis vero affectus ad obedientiamDei ſe componat. Sic enim Petro dicitur Iohan. 21. 18. Quum ſenueris, præcinget te alius, & ducet, quo non voles. Sane non invitus aut reſtitans per mortem Deum glorificavit, ſed quia humanitatem non exuerat, cruentam mortem naturæ ſenſu exhorreſcit: Et rurſum libenter ac hilariter eam ſubiit, quod ſciret ſe huc imperio Dei vocari. Hoc ergo ſtudendum, ut tanta ſit Dei obedientia, quæ contrarias omnes affectiones Deo ſubjugare poſſit. III. Atque hujus rei præſens eſt remedium, ſi inter ipſas punctiones, gemitus, & lachrymas hæc interveniat cogitatio, Dominus ita voluit: Ergo ejus voluntatem ſequamur. c. 8. S. 10.

31. Hoc melius eluceſcet, ſi paucis definierimus, quid inter Philoſophicam & Chriſtianam patientiam interſit. Pauci ex Philoſophis agnoſcunt nos manu Dei exerceri, proinde obtemperandum eſſe. Sed illi ipſi non aliam afferunt rationem, niſi quia ita neceſſe ſit, quia fruſtra obluctari

con-

contendas. At I. miſera hæc eſt ratio, quæ conſolationem veram non habet, & qua ratione poſita parere deſinas, ſi evadere liceat. II. Scriptura longe aliud in voluntate Dei conſiderare jubet, nempe juſtitiam primum & æquitatem: deinde ſalutis noſtræ curam. Primo, quidquid nos cruciabit, cogitabimus non accidere niſi providentia Dei: porro ipſum nihil niſi juſtiſſimo ordine agere: Suis ergo ferulis innumera & quotidiana noſtra delicta ſeverius caſtigare. Adhæc æquiſſimum eſſe, carnem domari, ne pro ſuo ingenio ferociat. Vtraque & juſtitia & æquitas meretur, cur obtemperemus, non ideo quia neceſſe eſt, ſed quia reſiſtere nefas eſt, quia ſine iniquitate obmurmurare, & obluctari non poſſumus, quia denique impatientia adverſus Dei juſtitiam eſt contumacia. Secundo alterum illud non poteſt nō eſſe amabile, quod mala omnia ſaluti nobis eſſe ſcimus: Cur ergo non grato & placido animo ſuſciperemus? Quocirca etſi contrahuntur animi noſtri in cruce naturali acerbitatis ſenſu, at ſpirituali lætitia tanto magis diffunduntur. Hinc gratiarum actio, quæ nulla ſine gaudio eſſe poteſt. Ergo conſequens eſt, piis crucis amaritudinem ſpirituali gaudio temperandam. c. 8. S. 11.

32. VIII. Sed præſentiſſimum adverſus quodvis crucis genus hoc eſt remedium, ut aſſueſcamus ad præſentis vitæ contemtum, indeque ad futuræ vitæ meditationem excitemur. Vtriusque ſumma & neceſſitas eſt & utilitas. Neceſſitas quidem. I. quia novit Deus quantopere in belluinum mundi hujus amorem propenſi ſimus. Nemo quidem videri vult non aſpirare ad cœleſtem immortalitatem, quia pudet nos nulla re antecellere brutas pecudes. Sed ſi conſilia, ſtudia, facta

cujus-

cujusque examines, nihil aliud videbis quam terram. Mens inani fulgore mundi perſtricta non cernit longius: Cor vitiis degravatum non aſſurgit altius: Tota anima carnis illecebris irretita fœlicitatem ſuam in terris quærit. Et habet præſens vita plurimas blanditias, multamque amœnitatis, gratiæ, & ſuavitatis speciem, qua nos demulcet & faſcinat. Itaque magnopere noſtra refert, nos identidem hinc avocari. Siquidem nihil inter iſta duo eſt medium: aut vileſcat nobis terra oportet, aut intemperato amore ſui detineat. II. Quando tam multis malorum ſtimulis & documentis convicti, ne ſic quidem deſinimus prava ſtultaque terreſtris conditionis admiratione obſtupeſcere, ac ſi ultimam bonorum metam in ſe contineret, quis non videt, quid nobis futurum ſit, ſi perpetuo bonorum curſu hic frueremur? III. Omnes non eruditi modo ſed vulgus etiam fatentur vitam humanam fumi vel umbræ inſtar eſſe, adeo ut in proverbium abierit. Sed nulla res eſt quam negligentius expendimus vel minus meminimus. Egregie, ſi funus effertur, aut inter ſepulchra deambulantes, de vitæ hujus vanitate philoſophamur. Sed nec ſemper hoc facimus, nec ſerio affectu. Momentanea tantum eſt philoſophia, quæ facile evaneſcit. Non mortis duntaxat, ſed ipſius quoque mortalitatis obliti in ſupinam terrenæ immortalitatis ſecuritatem revolvimur. Proinde neceſſe eſt ut malis his compedibus nos explicemus, ſi æternitatis curam habere velimus. cap. 9. Sect. 1, 2.

33. Hinc intelligimus, quam neceſſe habeat Deus non verbis tantum, ſed etiam cruce nos erudire de præſentis vitæ vanitate. Alias bellis, tumultibus, vel aliis injuriis infeſtari nos permittit.

Alias

Alias exilio, ſterilitate terræ, incendio vel aliis modis ad inopiam nos redigit: Alias uxorum improbitate, mala progenie, aut orbitate affligit: Alias morbis & periculis inſtabilitatem rerum omnium & mortalitatem ob oculos ponit: Nempe, ut ſecuros expergefaciat, ut avaros ſuis contentos eſſe doceat, ut in mediocritate nos contineat, ut à deliciis conjugii avocet, ut ſtultam gloriam & confidentiam refrœnet. Idcirco vitam hanc, inquietam, turbulentam, omnimodo miſeram, nulla ex parte plane beatam eſſe demonſtrat: Contra, quæcunque ejus æſtimantur bona, incerta, fluida, vana, multisque admixta malis vitioſa eſſe. Nihil ergo hic exſpectandum, quam certamen. Proinde oculos attollendos in cœlum, ubi de corona cogitamus. Ita ad ſerium futuræ vitæ deſiderium ac meditationem multum profecerimus. Atque hic noſtri eſt officii, Deo vocanti auſcultare. c. 9. S. 1.

34. Sed enim expendere convenit, qualis præſentis vitæ contemtus eſſe debeat, qui ſcilicet neque ejus odium generet, neque adverſus Deum ingratitudinem. Primo cogitandum eſt hanc vitam, quibuscunq; miſeriis referta ſit, cenſendam tamen inter non aſpernandas Dei benedictiones: quod nos in lucem protulit, ejus uſuram nobis concedit, omnia ad eam conſervandam neceſſaria præſidia largitur. Hoc beneficium niſi agnoſcimus, jam rei ſumus non parvæ in Deum ingratitudinis. Cujus, præter Scripturam, ipſa quoque natura nos convincit. Deinde ſciendum fidelibus eſſe teſtimonium divinæ benevolentiæ, ad quorum ſalutem promovendam hæc vita tota eſt deſtinata. Nam 1. his minoribus documentis Patrem ſe nobis declarat, & iiſdem beneficiis divinæ ſuæ benignitatis ſuavitatem delibare jubet. 2. Sic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

etiam nos ad gloriam regni cœleſtis quodammodo præparat, ut ſpes ac deſiderium noſtrum acuatur ad plenam ejus revelationem expetendam. 3. Etiam in terris certamina prius nos ſubire voluit, quia non ſumus coronandi in cœlo, niſi ſuperatis difficultatibus. Ergo non poſſumus odiſſe vitam hanc, per quam potius ad gratias Deo agendas incitamur. cap. 9. Sect. 3.

35. Hoc ubi conſtitutum fuerit, tum opportune deſcendemus ad conſiderandam terrenæ vitę miſerrimam conditionem, quo extricemur à nimia ejus cupiditate. Quidquid enim huic detrahitur, melioris vitæ deſiderio accedit. Nam in hac meditatione ille nobis ſcopus ſemper eſſe debet, ut alacriores ſimus ad futuram & æternam vitam expetendam. Qua in parte errarunt, quibus viſum fuit optimum, nõ naſci: proximum, quam citiſſime aboleri. Porro Schytę putabant ſe non ſine ratione natales ſuorum mœrore ac lachrymis, funera ſolenni gaudio proſequi. Quæ illi ex ſenſu carnis bene ſentire videbantur, quum nihil in hac vita cernerent, niſi infauſtum ac tetrum. Nempe quia rectæ fidei lumine & doctrina deſtituti non videbant, quomodo piis in bonum cedat, quod per ſe nec beatum, nec deſiderabile eſt. Itaque judicium ſuum deſperatione terminabant. Fideles ita præſentis & futuræ vitæ collationẽ inſtituunt, ut non modo illam ſecure negligant, ſed præ hac penitus contemnant & faſtidiant. Cœlum norunt patriam ſuam eſſe: proinde terram eſſe exilium. migrationem è mundo eſſe ingreſſum in vitam: mundum & in mundo manere nihil aliud eſſe, quam ſepulchrum & mortem: corpus eſſe carcerem: liberari à corpore, eſſe aſſertionem in ſolidam libertatem: denique frui præſentia Dei, ſupremam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mam eſſe fœlicitatis ſummam: ea carere, ſummam eſſe miſeriam, quia donec è mundo evaſerimus, à Domino peregrinamur. cap. 9. Sect. 3, 4.

36. Quocirca vita hæc odio nunquam eſt habenda, niſi quatenus nos peccato tenet obnoxios. Et ne tum quidem hoc in illam ipſam vitam eſt convertendum. Quin potius parati ſemper eſſe debemus, ut ad Domini arbitrium in ea maneamus. I. quia ſtatio noſtra eſt, in qua permanendum ſine omni murmure & impatientia, quoad ille revocarit. 2. quia æquum eſt nos Domino vivere & mori, prout ad ipſius gloriam maxime expedit. 3. Exemplum habemus in Paulo, qui ſortem quidem ſuam deflet Rom. 7.24. & à corporis vinculis diſſolvi ardenter deſiderat, ut cum Chriſto ſit, tamen ſimul ad utrumque ſe paratum eſſe profitetur, modo Deum glorificet, Phil. 1.23. Proinde Dei arbitrio relinquamus mortis & vitæ noſtræ terminum, ſed ita ut mortis ſtudio flagremus, eamque perpetuo meditemur, vitam hanc præ futura immortalitate contemnamus, & ob peccati ſervitutem ei renuntiare, cum Domino placuerit, optemus. c. 9. S. 4.

37. Hinc apparet, quam graviter peccent, qui quum ſe Chriſtianos jactitent, tanta mortis formidine tenentur, ut ad quamvis ejus mentionem contremiſcant. Naturali ſenſu noſtri diſſolutionem exhorreſcere nihil mirum eſt. At illud in Chriſtiano pectore non ferendum, quod pietatis lumine timorem illum non ſuperent. I. quia fides expetit, quod natura reformidat, quia ſcit hoc putre, corruptibile, vitioſum tabernaculum ideo diſſolvi, vt in cœleſtem & perfectam gloriam inſtauretur. II. Quia hoc facit magnopere ad noſtri ſolatium, quod certi ſumus nos morte ab

exilio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

exilio revocari in cœleſtem patriam. Nec obſtat, quod quidquid eſt, permanere appetit. Nam ideo ad futuram immortalitatem cõtendimus, ut ſtata nobis conditio obtingat, quæ nuſquam in terris apparet. Neque enim tam exui, quam ſuperindui optamus, 2 Cor. 5. 2. III. Quando creaturæ omnes in ultimũ reſurrectionis diem intentæ ſunt, ut cum filiis Dei à vanitate eximantur, an fieri poteſt, ut nos ingenii luce præditi, & porro Dei Spiritu illuminati, non attollamus animos ultra hanc terræ putredinem? IV. Cogitanda ſerio redemtio futura & adventus Chriſti. Vtramq; enim & mortẽ & ultimam reſurrectionis diem paſſim Scriptura conjungit. Atque hinc materiam lætitiæ Chriſtus præſcribit, Luc. 21. 28. Cui qui non credit, fruſtra de ipſo magiſtro gloriatur. Itaque votis & ſuſpiriis adventus Domini tanquam res omnium fauſtiſſima expetenda eſt, qui ſuos hic quidem in cruce ſibi conformes facit, illic in beatam ſuam vitam & gloriam transportabit. c. 9. S. 5.

39. Atque hæc unica ſpes nobis ſupereſt, cum affligimur. Nam quamdiu hic vivimus, oves ſumus mactationi deſtinatæ, ut Chriſto capiti conformemur. Sed hæc unica conſolatio firma & immota manet, fidem noſtram reſurrectionis noſtræ, & adventus glorioſi Servatoris Chriſti, noſtram eſſe victoriam. Itaque ſive floreant impii & abundent opibus, honoribus, pace, luxu & deliciis, ſive per faſtum, avaritiam, potentiam, libidinem impugnent Eccleſiam, duo hæc argumenta fideles in quovis caſu ſuſtentant. I. Venturum aliquando diem, quo Dominus ſuos felicitatis ſuæ participatione dignabitur, Eſ. 25. 18. Apoc. 7. 17. II. Impiis cruciatus rependet, quos merentur, 2 Theſſ. 1. 6. Niſi hæc conſolatio eſſet, aut neceſſe

ceſſe foret deſpondere animum, aut vanis mundi ſolatiis perire. Sane Propheta vacillaſſe ſibi pedes profitetur, niſi in ſanctuarium ingreſſus, in noviſſimum tum piorum, tum impiorum finem oculos convertiſſet. Concludimus, tum demum nos de omnibus hoſtibus & afflictionibus triumphare, quando ad reſurrectionis potentiam reſpicimus. cap. 9. Sect. 6.

39. Ex his quoque probe docemur, quis rectus ſit bonorum terreſtium uſus. Quod ipſum non parum confert ad vitam recte inſtituendam. Nam ſi vivendum eſt, utendum quoque neceſſariis vitæ adminiculis: nec fugienda omnino, quæ videntur oblectationi inſervire. Sed modum hic tenere oportet. Eum nobis Deus verbo ſuo præſcribit, quando, 1. docet, vitam præſentem quandam piis eſſe peregrinationẽ, qua in cœleſte regnum contendunt. Sic ergo bonis mundi utendum, ut curſum noſtrum juvent potius, quam morentur. 2. ſuadet Paulus 1 Cor. 7. 30, 31. hoc mundo ita eſſe utendum, quaſi non utamur, eodemque animo emendas eſſe poſſeſſiones, quo venduntur. cap. 10. Sect. 1.

40. Sed extrema duo hic fugienda, Nimia ſcilicet auſteritas & licentia. Nonnulli etenim, viri alioquin boni & ſancti, ut intemperiem & luxuriam ſeverius coërcerent, pio quodã conſilio non permiſerunt uti bonis corporeis, niſi quatenus neceſſitatis intereſſet. Neceſſitas vero illis eſt, ab omnibus abſtinere, quibus carere poſſis. Atqui ſic ad panem cibarium & aquam vix addere quidquam licebit. Et quod valde periculoſum eſt, arctiores laqueos inducunt conſcientiis, quam quibus verbo Domini obſtringuntur. Crateris porro Thebani nimia fuit auſteritas, qui opes ſuas in

mare projecit, quod eas, quam ſe, perire mallet. Alii prætextum quærunt, quo carnis intemperiem excuſent, & laſcivienti carni viam ſternant. Itaque pro confeſſo aſſumunt, nulla modificatione aſtringendam eſſe hanc libertatem, ſed cujusque conſcientiæ permittendum, ut uſurpet, quantum ſibi licere videat. At enim hoc illis non concedimus. Et quamvis fateamur non poſſe conſcientias præciſis legibus hic alligari, tamen quum Scriptura generales legitimi uſus leges tradat, ſecundum illas limitandum eſſe dicimus. c. 10. S. 1.

41. Contra auſteros illos diligenter nobis intuendus eſt finis, ad quem referri debent illa dona, quæ Deus ipſe creavit & uſui noſtro deſtinavit. Sic enim non aberrabimus. Neque enim negari poteſt, quin in bonum noſtrum creaverit, non in perniciem. Iam vero reperiemus Deum non neceſſitati modo ſed & oblectamento quoq; noſtro voluiſſe conſulere. Sane in veſtibus, præter neceſſitatem, finis ei fuit decorum & honeſtas. In herbis, arboribus, & frugibus, præter uſus varios, aſpectus gratia & jucunditas odoris. Vinum lætificat cor hominis, & oleum ſplendidam ejus faciem reddit, Pſ. 104. 15. Ipſæ naturales rerum dotes ſe commendant. Florum pulchritudo in oculos incurrit, eorundem ſuavitas in olfactum influit. An his non liceat affici? Colores ſic diſtinxit Deus, ut alios aliis fecerit gratiores. Auro & argento, nec non ebori & marmori præ aliis metallis & lapidibus gratiam pretioſiorem attribuit. Denique res multas citra neceſſarium uſum commendabiles nobis reddidit. Hæc ſcriptura & natura laudat ad commendandam Dei benignitatem. c. 10. S. 2.

42. Faceſſat ergo inhumana illa philoſophia, quæ

quæ nullum niſi neceſſarium uſum concedit ex creaturis. 1. quia maligne nos privat licito beneficentiæ divinæ fructu. 2. quia hominem cunctis ſenſibus ſpoliatũ in ſtipitem redigit. c.10.S.3.

43. Laſciviofis illis, qui ſine modo in carnis libidinem exundant, ſuademus, I. Vt cogitent omnia nobis eſſe condita, ut Deum cognoſcamus authorem, & ejus erga nos indulgentiam gratiarum actione proſequamur. Hæc nulla eſſe poteſt in gula, ebrietate, fœda carnis libidine & mentis impuritate, in ſumtuoſo ornatu & ſplendore ad ſuperbiam & impudicitiam comparato, in noſtri admiratione & aliorum faſtidio. Alii mentem deliciis obruunt: alii marmore, auro, picturis ſic delectantur, ut ſimiles ſint marmori & pictis figuris. Alios nidor culinæ vel odorum ſuavitas obſtupefacit, ut nihil ſpirituale olfaciant. His omnibus verbulo edicit Paulus, ne carnis curam agant ad ejus concupiſcentias, Rom. 13.14. c.10. S.3.

44. II. Nulla certior aut expeditior via eſt, quam ut diſcant vitam præſentem contemnere & cœleſtem immortalitatem meditari. Vnde duæ conſequuntur regulæ. Prima, ut qui utuntur hoc mundo, perinde affecti ſint, ac ſi non utantur: qui uxores ducunt, ac ſi non ducerent: qui emunt, ac ſi non emerent, 1 Cor. 7. 29, 30, 31. Qui hæc præſcribit, non intemperiem tantum, nimiamque mollitiem, item ambitionem, ſuperbiam, faſtum, moroſitatem, ſed omnem curam atque affectionem exſcindit, quæ vel abducat vel impediat à cæleſtis vitæ cogitatione & excolendæ animę ſtudio. Nam qui multum in corporis cura occupati ſunt, fere animæ ſuæ ſunt negligẽtes. Hæc lex ergo maneat, quamvis ad certam regulam fidelium libertas exigenda non ſit, ne tamen vel minimum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſibi indulgeant, ſed inſtent ſibi ipſis ad reſcindendum omnem ſupervacuæ copiæ apparatum, & ad coërcendam luxuriam: denique ne ex adjumentis ſibi faciant impedimenta. cap. 10. Sect. 4.

45. Altera regula eſt, ut non minus placide ac patienter penuriam, quam moderate abundantiam ferre noverint. Quibus ergo res anguſtæ ſunt & tenues, patienter iis careant, nec immodica earum cupiditate ſollicitentur. Sic. 1. non mediocriter in ſchola Chriſti profecerint. 2. Sic etiam ſe genuinos eſſe Chriſti diſcipulos probabunt. 3. Cogitent quam multa vitia rerum terrenarum appetentiam comitentur. 4. Quam difficile ſit, ſi impatienter feras penuriam, non contrarium intemperantiæ & ſuperbiæ morbum in abundantia prodere. Proinde diſcant omnes, exemplo Apoſtoli, eſurire & ſatiari, abundare & penuriam pati, Phil. 4. 12. cap. 10. S. 3, 4.

46. Habet adhæc ſcriptura tertiam regulam, qua rerum terrenarum uſum modificat. Statuit enim, omnes illas ſic eſſe datas nobis Dei benignitate, & in commodum noſtrum deſtinatas, ut ſint velut depoſita, quorum reddenda ſit olim ratio. Non poteſt autem non magnopere commoveri, qui ſecum expenderit, quis ille ſit, qui hanc rationem exiget, nempe ſupremus ille judex, qui 1. ſobrietatem, frugalitatem, modeſtiam tantopere commendavit. 2. qui luxum, ſuperbiam, oſtentationem, vanitatem omnem ore ſuo condemnavit. 3. cui non alia bonorum diſpenſatio approbatur, quam quæ ſit cum charitate conjuncta. cap. 10. Sect. 5.

47. Poſtremo ad vitam recte inſtituendam illud obſervatu præcipue eſt neceſſarium, ut in cunctis vitæ actionibus quisque in ſuam vocationem intueatur.

tueatur. Placuit enim Deo ſua cuique officia diſtinctis vitæ generibus ordinare. Quo nomine vocationes appellantur. Nec ſine cauſa ſic Deo viſum eſt. Nam I. novit quanta ſit inquietudo humani ingenii, quanta ejus ſit levitas, quanta cupiditas & ambitio. Huic vitio occurrendum fuit, ne omnia ſtulte & temere, ſurſum deorſum moverentur. Ideo ſuum ſingulis vivendi genus quaſi ſtationem attribuit. II. Neceſſaria fuit hæc diſtinctio, quod inde actiones omnes noſtræ coram Deo æſtimentur. Philoſophi præclarum putant, patriam tyrannide liberare. At Dei voce damnatur, qui privatus manum tyranno intulerit. Quocirca ad Dei vocationem, tanquam ad unicum ſcopum, & in omni re bene agendi principium & fundamentum pius vitam ſuam referet & componet. Secus nunquam rectam in officiis viam tenebit. Et quamvis laudabile videatur in conſpectu hominum, quod agunt, tamen apud Dei thronum reſpuetur. Tum vero in vitæ partibus nulla erit ſymmetria. cap. 10. Sect. 6.

48. Hujus doctrinæ utilitas maxima eſt. Nam, I. Hac ratione diſcimus non plus tentare, quam ferat vocatio noſtra; nec gradum deſerere, in quo divinitus locati ſumus. II. Conſolatio hinc exurgit duplex. 1. Quum perſuaſi ſimus, ſuum cuique onus à Deo impoſitum, ipſum vero nobis in omnibus eſſe ducem, libentius quiſque in ſuo vitæ genere labores, curas, moleſtias, tœdia, perferet ac devorabit. 2. Certi erimus nullum tam ſordidum eſſe ac vile opus, modo vocationi noſtræ pareamus, quod non coram Deo pretioſiſſimum habeatur. cap. 10. Sect. 6.

DISPVTATIO V,
De Iuſtificatione.

Ex lib. 3. cap. 11, 12, 13.

1. QVid fides ſit, & quos fructus edat, ſatis fuit hactenus expoſitum. Summa huc redit, nos participatione Chriſti, quem per fidem apprehendimus & poſſidemus, duplicem recipere gratiam, Iuſtificationis & Regenerationis. Illa eſt, qua Deo reconciliamur, facitque ut pro judice Patrem propitium habeamus in cœlis. Hæc, qua Spiritu ejus ſanctificati innocentiam puritatemque vitę meditamur. De hac ſecunda regenerationis gratia dictum eſt, quantum ſufficere videbatur, ut intelligeremus, tum quam non ſit otioſa à bonis operibus fides, tum qualia ſint ſanctorum opera. Nunc prima Iuſtificationis gratia penitius eſt diſcutienda, quia in hoc cardine potiſſimum religio verſatur, ut teneamus, quo loco ſimus apud Deum, & & quod illius de nobis ſit judicium. Et ſicut non eſt aliud ſtabiliendæ ſalutis fundamentum, ſic nec erigendæ in Deum pietatis. cap. 11. Sect. 1.

2. Iuſtificari coram Deo dicitur, qui judicio Dei cenſetur juſtus, nec loco peccatoris ſed juſti habetur, eoque nomine coram tribunali Dei conſiſtit, ubi omnes peccatores neceſſe eſt corruere, quatenus tales ſunt, & quamdiu tales eſſe cenſentur: ſicut juſtificatus apud judicem dicitur reus aliquis, ſecundum cujus innocentiam judicatum fuerit. cap. 11. S. 2.

3. Iuſtificari porro operibus dicitur, in cujus vita reperitur ea puritas & ſanctitas, quæ teſtimonium Iuſtitiæ apud Dei thronum mereatur. Contra juſtificatur fide, qui operum ſuorum juſtitia exclu-

excluſus, Chriſti Iuſtitiam fide apprehendit, qua veſtitus in Dei conſpectu, non ut peccator, ſed tanquam juſtus, apparet. cap. 11. S. 2.

4. Nos hîc juſtificationem ſimpliciter interpretamur, Acceptionem, qua Deus nos in gratiam receptos pro juſtis habet: Eamque in peccatorum remiſſione ac juſtitiæ Chriſti imputatione poſitam eſſe dicimus. c. 11. S. 2.

5. Hanc ſententiam noſtram probamus. I. Ex illis Scripturæ locis, quæ oſtendunt in genere hanc eſſe uſitatam vocis *Iuſtificandi* ſignificationem. Homines dicuntur juſtificare Deum & ſapientiam ejus, Luc. 7. 21. 37. Atqui juſtitia ſemper manet integra apud Deum, & ſalutis doctrina per ſe hoc habet, quod ſit juſta. Non ergo ſignificat illic conferre juſtitiam, ſed laudem Deo ejusque doctrinæ tribuere, quam merentur. Sic Phariſæi ſe ipſos juſtificant, Luc. 16. 15. non acquirendo juſtitiam recte agendo, ſed ambitioſe captando juſtitiæ famam, qua vacui ſunt. Cui affine eſt, quod Hebræis ſceleſti vocantur, non modo, qui ſibi ſceleris conſcii ſunt, ſed etiam, qui aliorum judicio inter damnatos numerantur. Nec Latinè vox hæc aliter niſi relative poteſt accipi, non autem ut qualitatem aliquam denotet. II. Ex locis, quæ ad præſentem cauſam ſpectant. Iuſtificat Deus gentes ex fide, quia non ex operibus, ſed ex fide juſtitiam imputat, Gal. 3. 8. Item juſtificat impium ex fide Chriſti, quia beneficio fidei à damnatione liberat, Rom. 4. 5. Item, vox juſtificandi opponitur vocabulis Accuſandi & Condemnandi, Rom. 8. 33. quia ſolvitur à reatu, approbata innocentia, qui reus agebatur, & in Chriſto habetur pro juſto, qui in ſe non eſt juſtus. Hinc toties per & propter Chriſtum dicimur juſtificari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Locus inſignis eſt Actor. 13. 38. ubi juſtificatio pro remiſſione peccatorum & abſolutione ſumitur: Eaque operibus adimitur, ut Chriſti merum maneat beneficium, quod duntaxat fide percipitur. Sic publicanus dicitur juſtificatus, Luc. 18. 14. non operum merito vel approbatione, ſed gratuita Dei abſolutione pro juſto habitus coram Deo. III. Ex phraſibus ſimilibus, quæ rem ipſam explicant. Deus nos gratia ſua acceptos habet, Eph. 1. ℣. 5. hoc eſt, gratuito juſtificat, Rom. 3. 24. Iuſtificatio in juſtitiæ imputatione & peccatorum remiſſione ponitur, Rom. 4. ℣. 6. ex definitione Davidis, Pſ. 32. 2. Vnde apparet juſtitiam hîc ſimpliciter reatui opponi. Rurſus ſumma legationis Euangelicæ eſt, ut reconciliemur Deo. Hoc autem fit, quando Deus non imputat peccatum, idque propter Chriſtum, qui pro nobis factus eſt peccatum, 2 Cor. 5. 18. Ex modo recõciliationis oſtenditur, non aliud voce reconciliandi poſſe intelligi, quam juſtificari. Denique cum Chriſti obedientia juſti dicimur conſtitui, Rom. 5. 19. id ſtare non poteſt, niſi quod in Chriſto & extra nos juſti reputamur coram Deo. cap. 11. S. 3, 4.

6. Sed antequam ad alias probationes tranſimus, primum ſententia Oſiandri nobis eſt refellenda. Is homo monſtrum aliquod eſſentialis juſtitiæ invexit. Videtur autem concepiſſe quiddam affine Manichæis, ut eſſentiam Dei in homines transfundere appeteret. Hinc aliud ejus commentum, Adamum fuiſſe formatum ad imaginẽ Dei, quia Chriſtus jam ante lapſum deſtinatus erat exemplar humanæ naturæ. Ex eodem fonte videtur hauſiſſe dogma de eſſentiali Dei juſtitia in nobis, qua ſubſtantialiter in Deo juſti ſimus, tam eſſentia quam qualitate infuſa. Quo fine urget nos unum

eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eſſe cum Chriſto, nec ſolum Chriſtum, ſed Patrem & Spiritum S. in nobis habitare, Chriſtum nobis eſſe juſtitiam, quia eſt Deus æternus, fons juſtitiæ, ipſaque Dei juſtitia. Porro in tota hac diſputatione nomen juſtitiæ & verbum juſtificandi ad duas partes extendit, ut juſtificari ſit non ſolum reconciliari Deo gratuita venia, ſed etiam juſtos effici: Iuſtitia ipſi non eſt gratuita imputatio, non illa juſtitia, quæ nobis obedientia & ſacrificio mortis Chriſti parta eſt, ſed ſanctitas & integritas, quam Dei eſſentia in nobis reſidens inſpirat. Atqui hæc ſpeculatio 1. meræ eſt & jejunæ curioſitatis. 2. Pernitioſa eſt, quia veram Chriſti juſtitiam eripit, quæ ſola de ſalute gloriandi fiduciam nobis adfert. 3. Specie ambiguitatis decipit, & falſum petit. Chriſtus eſt unum nobiſcum & nos cum ipſo, quia virtute Spiritus S. coaleſcimus cum Chriſto, ut nobis caput ſit, & nos ejus membra. Hoc Oſiander fere pro nihilo ducit, niſi ejus eſſentia nobis miſceatur. Habitat in Chriſto & in nobis Pater & Spiritus S. Sed ſicut in Chriſto inhabitat plenitudo Deitatis, ita nos etiam in ipſo poſſidemus totum Deum, nec tamen per ſubſtantialem mixtionem. Porro, quod ſeorſim de Patre & Spiritu multis urget, non alio tendit, quam ut ſimplices à Chriſto abſtrahat. In eo ergo verſatur rei ſumma, nos juſtificari non ſola Mediatoris gratia, nec in ejus perſona juſtitiam ſimpliciter vel ſolide nobis offerri, ſed nos fieri Iuſtitiæ divinæ cōſortes, dum eſſentialiter nobis unitur Deus. Itaque duo ſunt hujus diſputationis mēbra. I. Deum non tantum ignoſcendo ſed regenerando juſtificare. II. Chriſtum nō eſſe juſtitiam noſtram, quatenus ſacerdos eſt, & peccata expiando Patrem nobis placavit, ſed ut eſt Deus æternus & vita. c. 11. S. 5, 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

7. Prius membrum ſic probat. Nam I. quærit, an quos Deus juſtificat, relinquat, quales erant natura, nihil ex vitiis mutando. Ait autem impoſſibile eſſe, ut Deus pro juſtis habeat, qui non ſunt. Igitur non juſtificari hominē ſola imputatione. R. Oſiandrum abſurde confundere duplicem gratiam Iuſtificationis & Sanctificationis, quaſi unum idēque ſint. Nam 1. etſi duo hæc beneficia ſint inſeparabilia, quæque conjunctim in Chriſto percipimus, tamen cum in Scriptura diſtincte enumerentur, 1 Cor. 1. 30. donum regenerationis cum gratuita acceptatione miſceri non debet. 2. Quoties à ſalute nobis parta, à Dei amore, à Chriſti Iuſtitia, Scriptura concludit, nos ad ſanctitatem vocatos eſſe, aperte indicat, aliud eſſe juſtificari, quam fieri novas creaturas. 3. Sicut ſolis claritas non poteſt à calore ſeparari, nec tamen propter mutuam connexionem dicimus, luce calefieri terram, & calore illuſtrari; ſic nec hîc licebit, quod unius doni peculiare eſt, ad alterum transferre. cap. 11. S. 6. 12.

8. II. Totidem Scripturæ corrumpit locos, quot citat. Totum caput quartum ad Romanos, & phraſes, quibus reputari dicitur fides ad Iuſtitiam, & antitheſin illam, Rom. 8. 33. depravat, ac ſi nihil aliud ſignificarent, quam habitualiter juſtum efficere, cum palam ſit, locis illis de imputatione Iuſtitiæ, de reatu item & abſolutione ſimpliciter agi. c. 11. S. 6.

9. III. Nihilo rectius de nomine Iuſtitiæ diſſerit. Etenim cenſet Abrahæ fidem imputatam fuiſſe in Iuſtitiam, poſtquam amplexus Chriſtum (qui Dei eſt Iuſtitia & Deus ipſe) eximiis virtutibus excelluerat. Reſp. Iuſtitiam, cujus illic fit mentio, non poſſe referri ad totum vocationis

Abra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Abrahami curſum. Nam Paulus diſerte negat Abrahamum propter eximiam virtutum præſtantiam fuiſſe juſtificatum, ſed tantum quia gratiam in promiſſione oblatam fide receperit. Vnde conſequenter infert, nullum in Iuſtificatione operibus eſſe locum. cap. 11. S. 6.

10. IV. Objicit, vim juſtificandi non ineſſe fidei ex ſe ipſa, ſed quatenus Chriſtum recipit. Vnde videtur colligere, nos Chriſto detrahere vim juſtificandi, dum prius eum fide recipi docemus, quam illius Iuſtitiam. Reſp. Antecedens admittimus, quia fides per ſe & intrinſeca virtute non juſtificat. Eſt enim ſemper debilis & imperfecta. proinde manca eſſet Iuſtitia, quam conferret. Sed negamus cõſequens. Nam proprie loquendo Deus ſolus juſtificat. Idem tamen Chriſto tribuimus, quia datus nobis eſt in Iuſtitiam. Fidem vero vaſi conferimus. Neque enim capaces ſumus Chriſti; niſi plane exinaniti ad expetendam Chriſti gratiam aperto animæ ore accedamus. c. 11. S. 7, 10.

11. V. Illud vero prorſus ſtultum eſt, quod dicit, fidem eſſe Chriſtum: quaſi dicas, ollam fictilem, quia pecuniis referta hominem locupletat, eſſe ipſum theſaurum. Sic fides nullius per ſe dignitatis vel pretii, juſtificat Chriſtum offerendo. Ipſa tamen, quæ eſt inſtrumentum percipiendæ juſtitiæ, non eſt miſcenda cum Chriſto, qui materialis eſt cauſa & tanti beneficii author atque miniſter. Vnde etiam patet, quomodo vocabulum fidei intelligi debeat, ubi de Iuſtificatione agitur. c. 11. S. 7.

12. In ſecundo membro longius provehitur Oſiander, quando agitur de receptione Chriſti. Ait verbi externi miniſterio internum verbum recipi, nempe ut nos à ſacerdotio Chriſti & Mediatoris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

diatoris perſona ad æternam ejus Deitatem traducat. Reſp. Non poteſt Chriſtus dividi. Idem, qui in carne ſua nos Patri reconcilians Iuſtitia donavit, eſt æternus Dei ſermo, nec aliter Mediatoris partes implere potuit & Iuſtitiam acquirere, niſi eſſet Deus æternus. cap. 11. S. 8.

13. Sed hoc ipſi non ſatis placet. Etenim cum Chriſtus ſit Deus & homo, vult, ipſum factum nobis eſſe Iuſtitiam, nón humanæ ſed divinæ naturæ reſpectu. Reſp. 1. Ita commune hoc ipſi foret cum Patre & Spir. S. quando nõ alia eſt unius, quam alterius perſonæ Iuſtitia. 2. Quod naturaliter ab æterno fuit, non dicitur congruenter in tempore factum eſſe. 3. Multo minus conveniet, quod additur, factum eſſe à Deo. Ergo proprie hoc in Divinitatem non competit, ſed peculiare eſt Mediatoris perſonæ, qua à Patre & Spiritu diſcernitur. c. 11. S. 8.

14. Objicit I. Locum Ierem. 23.6. & 33.14. ubi promittit Iehovam fore noſtram Iuſtitiam. Reſp. 1. Loquitur de Iehova, qui factus eſt germen Davidis, qui eſt Deus manifeſtatus in carne. Hunc dicit fore piorum juſtitiam. Sane hæc diſcerpi aut confundi non debent. 2. Quando Paulus dicit Act. 20.28. Deum acquiſiviſſe Eccleſiam ſuo ſanguine, an ſine fœdo errore inferri poteſt ſanguinem hunc eſſe divinum aut divinæ naturæ? 3. Quomodo Chriſtus ſit noſtra Iuſtitia, docet Eſa. 53. ℣. 11. Cognitione ſui juſtificabit multos ſervus meus juſtus. Hîc Pater loquitur. Filio partes juſtificandi tribuuntur. Cauſa aſſignatur, quod juſtus ſit. Modus ponitur in doctrina, qua Chriſtus cognoſcitur. Ergo factus eſt Iuſtitia, quando ſervi ſpeciem induit. Deinde juſtificat nos, quatenus obſequentem ſe Patri præbuit. Hoc ſeorſim

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ad divinam naturam referri non poteſt. cap. 11. Sect. 8.

15. II. Objicit: Solum Deum eſſe fontem Iuſtitiæ: nec aliter, quam ejus participatione nos eſſe juſtos. Reſp. Quoniam à Dei Iuſtitia ſumus alienati diſſidio infelici, neceſſe eſt deſcendere ad hoc remedium, ut Chriſtus mortis & reſurrectionis ſuæ virtute nos juſtificet. c. 11. S. 8.

16. III. Objicit: Opus Iuſtificationis ſua præſtantia ſuperare naturam hominis, ideoque non poſſe niſi divinæ naturæ adſcribi. Reſp. Prius cõcedimus. In ſecundo inſcite hallucinatur. Sane animas ſanguine ſuo purgare, Patrem ſacrificio ſuo placare, à reatu abſolvere, munus ſacerdotis plene peragere, non poterat Chriſtus, niſi verus fuiſſet Deus. Et tamen his omnibus perfunctus eſt ſecundum naturam humanam. Probamus 1. Ex Roman. 5. 19. ubi dicimur juſtificari obedientia Chriſti. At non aliter obedivit, quam aſſumta ſervi figura. 2. Ex 2 Cor. 5. 21. Eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut Iuſtitia Dei eſſemus in illo: Iuſtitia nempe, quæ in Dei judicio probatur, & mortis Chriſti piaculo nititur. Etſi enim alibi Iuſtitia Dei dicitur, cujus ipſe author eſt & dator: hoc tamen loco nihil aliud indicatur, quam nos juſtificari in Chriſto, quatenus pro nobis factus eſt expiatrix victima: quod à natura ejus divina abhorret. 3. Ex Ioh. 6. 51. Vbi ſe vocat panem vivificum, ſed modum explicans adjungit, carnem ſuam eſſe vere cibum, & ſanguinem ſuum eſſe potum. Atque ita Iuſtitiæ & ſalutis pignus in carne ſua proponit. 4. Idem colligimus ex Sacramentis: quæ etſi fidem noſtram ad totum Chriſtum dirigunt, ſimul tamen juſtitiæ & ſalutis materiam in ejus carne reſidere docent, non quod

merus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

merus homo à ſe ipſo juſtificet, ſed quia ſcaturigo Iuſtitiæ in Mediatoris perſona ad nos emergit. His poſitis fatemur, Chriſtum, ut eſt Deus & homo, nos juſtificare, & commune eſſe hoc opus Patris & Spir. S. denique Iuſtitiam, cujus nos conſortes facit Chriſtus, æternam eſſe Dei æterni Iuſtitiam. cap. 11. S. 9.

17. IV. Vrget potiſſimum Oſiander noſtram cum Chriſto conjunctionem, nos unum eſſe cum ipſo, adeoque ipſum habitare in nobis. Hinc eſſentialem Iuſtitiam, & eſſentialem in nobis Chriſti habitationem importune exigit. Reſp. 1. Nos myſticam & ſpiritualem illam unionem in ſummo gradu habemus. Neque Chriſtum procul extra nos ſpeculamur, ut nobis imputetur ipſius Iuſtitia, ſed quia nos ſibi inſitos unum ſecum efficere dignatus eſt, ideo Iuſtitiæ ſocietatem nobis cum eo eſſe gloriamur. Sed quomodo hinc inferre poterit craſſam illam Chriſti mixturam cum fidelibus, qua ſe Deus in nos transfundit, aut eſſentialem Iuſtitiam, quam nobis inſpiret Deus, quaque realiter cum ipſo juſti ſimus? Negamus igitur conſequentiam. Atquè hinc facile refellitur Oſiandri calumnia, qui hoc nomine odioſe noſtras Eccleſias perſtringit, quod eſſentialem Iuſtitiam & carnalem in Cœna Chriſti manducationem cum ipſo non ſtatuimus. c. 11. S. 10.

18. V. Argumentatur ex loco 2 Pet. 1. 4. Nos conſortes effici divinæ naturæ. Reſp. Hunc locum perperam à cœleſti vita ad præſentem ſtatum detorqueri. Tunc enim Deum videbimus, ſicut eſt, & ſimiles ei erimus, 1 Ioh. 3. 2. c. 11. S. 10.

19. VI. Pugnat etiam hac ratione. Chriſtus factus eſt nobis in ſapientiam. Hoc non convenit niſi æterno ſermoni. Ergo nec Chriſtus homo ſa-

pientia

pientia eſt. Reſp. Diverſo modo nomen ſapientiæ Chriſto attribui. 1. quatenus eſt æterna Dei ſapientia. 2. Quia in Chriſto Mediatore reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ. Dictum Pauli non ad eſſentiam Filii Dei, ſed ad noſtrum uſum referri debet, & humanæ Chriſti naturæ recte aptatur. Lux enim quæ in tenebris lucebat, antequam homo fieret, erat abſcondita, donec Chriſtus in carne prodiit, verus ſol Iuſtitiæ, eamque manifeſtavit. Quo nomine ſe lucem mundi appellat. cap. 11. S. 12.

20. VII. Objicit præterea, juſtificandi virtutem tam angelis quam hominibus eſſe ſuperioré. Reſp. Hoc non ex creaturæ cujusquam dignitate, ſed ex Dei ordinatione pendere. Angeli ſatisfacere Deo non poſſunt, quia ad hoc non ſunt deſtinati. Homini Chriſto fuit hoc ſingulare, qui legi ſubjectus eſt, ut nos à maledictione legis liberaret. c. 11. S. 12.

21. VIII. Calumniatur, nos relinquere unam tantum partem Chriſto, adeoq; duos facere Deos, quia etſi fateamur Deum habitare in nobis, negemus tamen nos eſſe juſtos Iuſtitia Dei. Reſp. Non fraudamus Chriſtum, Deum manifeſtatum in carne, ſuo honore, ſed tantum diſtinguimus, quomodo ad nos perveniat juſtitia Dei, ut ea fruamur. Non etiam negamus, quod nobis in Chriſto eſt exhibitum, ab arcana Dei gratia & virtute manare. Nec de eo pugnamus, quin Iuſtitia, quam Chriſtus confert, ſit Iuſtitia Dei, quæ ab ipſo proficiſcitur, ſed hoc conſtanter tenemus, nobis Iuſtitiam & vitam eſſe in morte & reſurrectione Chriſti. c. 11. S. 12.

22. IX. Congerit multa Scripturæ loca, quibus Iuſtitiæ Dei fit mentio, ut cum David Iuſti-

tiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tiam ad ferendas ſibi ſuppetias implorat. Atque iſtis locis vult intelligi hanc ſuam eſſentialē. Reſp. Eſſe meram locorum iſtorum corruptelam, quæ ad hoc negotium non pertinent. cap. 11. S. 12.

23. X. Objectat, Iuſtitiam proprie dici, qua ad recte agendum movemur: Solum vero Deum in nobis operari velle & perficere. Reſp. 1. Confundi Iuſtificationē cum Sanctificatione. 2. Quamvis reformet nos Deus Spiritu ſuo in vitæ Sanctitatem & Iuſtitiam, facit hoc tamen non immediate, ſed per manū Filii ſui, penes quem omnem Spiritus ſui plenitudinem depoſuit. 3. Prodit quidem ex occulto divinitatis fonte ad nos Iuſtitia, nec tamen ſequitur, Chriſtum, qui in carne ſe propter nos ſanctificavit, ſecundum divinam naturam nobis eſſe Iuſtitiam. c. 11. S. 12.

24. XI. Objicit, Chriſtum ipſum divina Iuſtitia fuiſſe juſtum. Reſp. 1. Hæc non tollit Iuſtitiam Mediatoris, quæ Dei judicio ex voluntate Patris ſatisfecit, ex qua etiam fluunt omnia Chriſti merita. 2. Non eſt conſequens, quia fons Iuſtitiæ noſtræ Chriſtus eſt, ideo nos eſſentialiter eſſe juſtos, & eſſentiam Dei in nobis habitare. cap. 11. Sect. 12.

25. Inſtat: Deum induiſſe Iuſtitiam ſuam quaſi loricam in redimenda Eccleſia, Eſa. 59. 7. Reſp. 1. Non ideo Chriſtum armis ſuis ſpoliari, ne ſit perfectus redemptor. 2. Phraſis nihil aliud indicat, quam Deum extra ſe non fuiſſe aliunde adjutum ad nos redimendos. 3. Sic Paulus dicit Deum ſalutem nobis dediſſe in oſtenſionem ſuæ Iuſtitiæ, Rom. 3. 25. Eo ipſo tamen noluit evertere, quod docet Rom. 5. 19. Nos unius hominis obedientia juſtos eſſe. c. 11. S. 12.

26. Hactenus argumenta Oſiandri retulimus, ex

ex quibus liquet ejus ſententiam nullo niti fundamento: Nos illam non jejunam tantum & vanam ſed impiam eſſe aſſerimus, utpote quæ 1. humanæ Chriſti naturæ juſtificãdi officium adimit. 2. Animis dubitationem injicit, & certam ſalutis fiduciam labefactat. 3. Liberam & intrepidam invocationem turbat. 4. Tranquillitate conſcientiæ & ſpirituali gaudio privat. 5. Cum argumentis noſtris ſupra allatis de gratuita Iuſtificatione manifeſte pugnat. cap. 11. S. 11, 12.

27. Ridet nos Oſiander, quod verbum juſtificari dicamus eſſe verbum forenſe, Quia oporteat nos eſſe reipſa juſtos. Reſp. Atqui Paulus ſic explicat 2 Cor. 5. 21. per vocem reconciliandi & non imputandi peccata. 2. Ex antitheſi juſtificationis & accuſationis Rom. 8. ℣. 33, 34. patet ſumtam eſſe loquendi formam à forenſi uſu. 3. Idem fatentur omnes mediocriter in lingua Hebraica verſati. c. 11. S. 12.

28. Sed quia prętextu duplicis Iuſtitię tantopere gloriatur Oſiander, dicat, quid reſponſurus ſit ad locum Rom. 4. 7. ubi ex Davide Pſal. 32. 1. Iuſtitia deſcribitur. Non eſt dubium quin plenam ejus det definitionem. Atqui totam Iuſtitiam noſtram in gratuita remiſſione, in non imputatione peccati, in imputatione Iuſtitiæ includit. Non eſt ergo noſtra Iuſtitia in judicio Dei duplex ſed unica. c. 11. S. 12.

29. Excipit Oſiander, contumelioſum eſſe Deo & naturæ ejus contrarium, ſi juſtificet eos, qui reipſa manent impii. Reſp. Nos non ſeparamus juſtificandi gratiam à regeneratione, ſed tamen dicimus eſſe res diſtinctas. Idque probamus. 1. Ex eo quod longe aliter juſtificamur, aliter reformamur in vitæ novitatẽ. Nam cum ſemper maneant

in

in juſtis peccati reliquiæ, ſic regenerationem Deus in electis inchoat, ut paulatim ac interdum lente in ea progrediatur, nec eam abſolvat uſq; ad mortem, quo ſemper judicio ejus obnoxii ſimus. Iuſtificat autem non ex parte, ſed in ſolidum, ſic ut ſine exceptione juſti ſimus coram ipſo. Et talem eſſe juſtificationem convenit, ut pacatas conſcientias habeamus, & libere ad Deum accedere audeamus, eumque quietis animis invocare. Hoc aliqua tantum Iuſtitiæ portio non præſtaret. Ideo Paulus arguit hæreditatem non eſſe ex lege, Gal. 3. ℣. 18. Quia alioquin fides exinanita eſſet, quando ne ſanctiſſimi quidem in operibus ſuis reperiunt, in quo confidant. 2. Idem diſcrimen Paulus pulchre exprimit, Rom. 7. 24. & Rom. 8. 33. Nam de reali Iuſtitia ſua loquens, flebiliter exclamat, Miſer ego, quis me liberabit? Ad Iuſtitiam vero Dei confugiens, quæ in ſola Dei miſericordia fundata eſt, magnifice omnibus rebus inſultat, & Iuſtitiam ſibi eſſe clare prædicat, quæ ſola adverſus omnem accuſationem & condemnationem ſufficit coram Deo. cap. 11. S. 11.

30. Inſtat adhuc Oſiander, diſſentaneum hoc eſſe à natura Dei. Reſp. 1. Hoc in ipſum recidit. Etſi enim duplicem Iuſtitiam fingit, tamen fateri cogitur, ſine peccatorum remiſſione neminem placere Deo. Ergo ſecundum aliquam certe partem imputationis juſti erunt, qui reipſa non ſunt. Quotam autem hanc partem faciet peccator & quousque eam extendet? Quantumcunque ſumpſerit, ambiguus manebit, quia nunquam tantum Iuſtitiæ ſe offeret, quantum ad fiduciam erit neceſſarium. 11. Quum peccatores Deus gratis abſolvat, magnæ eſt arrogantiæ damnare ſuum judicem, qui Moſis interceſſione rogatus, ut omnibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

bus parceret, reſpondit, Miſerebor cujuscunque miſertus fuero, Exod. 33. 19. III. Dicimus Deum ſepelire peccata eorum quos juſtificat, ut Chriſti Iuſtitia tecti, non exhorreant judicium quo digni ſunt, & dum ſeipſos damnant, juſti extra ſe cenſeantur. Quæ mirabilis eſt juſtificandi ratio, nec quicquam habet abſurdi. Concludimus: Quisquis duplicem Iuſtitiam involvit, ne quieſcant miſeræ animæ in mera unica Dei miſericordia, Chriſtum implexis ſpinis per ludibrium coronat. cap. 11. Sect. 11. 12.

31. Cæterum antequam progredimur, quum plærique hominum Iuſtitiam ex fide & operibus conflatam comminiſcantur, illud quoque præmonſtrandum erit, ſic inter ſe differre fidei operumq; Iuſtitiam, ut ſimul ſtare non poſſint. Hanc Phil. 3. 8. Apoſtolus Iuſtitiam quæ ex lege eſt, & illam quæ eſt ex fide Ieſu Chriſti, ut contraria inter ſeſe comparat, ut propriam Iuſtitiam pro derelicto habendam eſſe aſſerat, ſi quis Chriſti Iuſtitiam velit obtinere. Sic Roman. 10. 3. docet ſtabiliendo propriam Iuſtitiam, Dei Iuſtitiam everti. Ergo ut hanc conſequamur, oportet illam aboleri. Ad Romanos 3. 27. ſupponit in negotio juſtificationis omnem gloriationẽ eſſe excludendam. Hoc autem non fieri per legem, ſed per fidẽ. Ergo Iuſtitia fidei cum Iuſtitia operum ſociari nullo pacto poteſt. Deniq; caput quartum ad Roman. nullum tergiverſationi locũ relinquit. Contendit Paulus, Abrahamum fide juſtificatũ eſſe, non ex operibus. Probat: 1. Quia ſi ex operibus, tum gloriam haberet apud Deum. Iam vero nullã habet. 2. Quia operibus rependitur merces ex debito, nõ ex gratia; At fidei tribuitur Iuſtitia ſecundum gratiam. Hac ergo ſtante, illam everti neceſſe eſt. c. 11. S. 13.

32. Ex-

32. Excipiunt ſophiſtæ, loca illa loqui tantum de operibus quæ nondum regeniti extra Chriſti gratiam faciunt, ſolo liberi arbitrii conatu: Proinde non ſpectare ad opera ſpiritualia. Paulū enim non alia de cauſa ſic loqui, niſi quod Iudæos viribus ſuis fretos Iuſtitiam ſibi arrogantes vellet redarguere. Quum autem ſolus Chriſti ſpiritus eam conferat, recte dici fide & operibus juſtificari hominem, modo intelligantur opera, non quæ ex proprio naturæ motu fluunt, ſed quæ Chriſti dona ſunt. Reſp. I. Repugnare antitheſin legalis & Euangelicæ Iuſtitiæ. Illam ex definitione Pauli eſſe, quæ præſtat quod lex jubet. Hanc quæ credit Chriſtum mortuum eſſe & reſurrexiſſe, Gal. 3. 11, 12. Sequitur, excludi quælibet opera, quocunq; ornentur titulo. II. Conſtat Sanctificationem & Iuſtificationem diverſa eſſe Chriſti beneficia. Ergo ne ſpiritualia quidem opera in calculum veniunt, ubi vis juſtificandi fidei adſcribitur. III. Paulus negat, Abrahamum, quamvis fere angelica fuerit vita, operibus juſtum fuiſſe, aut habuiſſe quidquam, cur gloriaretur apud Deum. Quocirca non poſſunt illa loca ad externam virtutum ſpeciem, aut liberi arbitrii conatum reſtringi. c. 11. S. 14.

33. Sorboniſtæ craſſius adhuc errant, dum ſuas præparationes admiſcēt. Interim pravo etiam dogmate ſub prætextu Spiritus & gratiæ miſericordiam Dei obſcurant. Reſp. I. Fatemur, legis obſervatores juſtificari apud Deum. Sed quia omnes à legis obſervatione longe abſumus, opera legis ad Iuſtitiam nihil juvant. II. Dupliciter hic ſcholaſtici falluntur. 1. Quod fidem volunt eſſe certitudinem in expectanda à Deo pro ſuis meritis mercede. 2. Quod per gratiam intelligunt non gratuitam Iuſtitiæ imputationem, ſed ſpiritum, qui

qui ad ſtudium ſanctitatis adjuvet. Sic enim Lombardus ait, nos morte Chriſti juſtificari, partim quod excitet in nobis charitatem, qua juſti efficimur, partim quod per eam exſtincto peccato, jam Diabolus nō habeat, unde nos damnet. c. 11. S. 15.

34. Objiciunt nobis locum Hebr. 11. 6. itemque Auguſtinum. Reſp. I. Errare ipſos, quod non attendunt quis ſit Deum quærendi modus: qua de re poſtea. II. Auguſtini opinionem obſcurant & corrumpunt. Tum vero ad quendam Pelagianiſmum præcipites abeunt. Deinde nec Auguſtini ſententiam per omnia recipimus. Etſi enim hominem omni laude Iuſtitiæ acriter paſſim ſpoliat, male tamen gratiam ad ſanctificationem refert. cap. 11. S. 15.

35. Certe alio nos ducit ſcriptura, quum de fidei Iuſtitia loquitur: Nempe ut ab intuitu operum noſtrorum averſi, in Dei miſericordiam & perfectam Chriſti ſanctitaté tantum reſpiciamus. Ideo hunc juſtificationis ordinem docet. I. Quod Deus in homine peccatore nihil, quo ad miſericordiam moveatur, invenit, niſi miſeriam. Quocirca cauſam, cur illi bene faciat, non petit, niſi à ſeipſo, & mera atque gratuita ſua bonitate. Hujus bonitatis ſenſu afficit peccatorem, dans fidem, per quam homo, diffiſus de propriis operibus, totam ſalutis ſuæ ſummam in ſumma Dei miſericordia reponit. Hanc fidem concipit ex doctrina Euangelii, ex qua intelligit, ſe Deo reconciliatum, & intercedente Chriſti juſtitia, impetrata peccatorum remiſſione, eſſe juſtificatum. Ita venit in poſſeſſionem ſuæ ſalutis. Et quanquam ſpiritu Dei regeneratus bonis operibus incumbat, non in illis tamen, ſed in ſola Chriſti Iuſtitia repoſitam ſibi perpetuam Iuſtitiam certo credit. c. 11. S. 16.

36. Hæc

36. Hæc ita ſe habere, conſtat ex relatione, quam diximus eſſe inter fidem & Euangelium, in quo oblatam juſtitiam fides amplectitur. Qua ratione omnis operũ conſideratio excluditur. Quod Paulus duobus locis clariſſime demonſtrat. 1. ad Rom. c. 10. 5. &c. Hoc enim legis & Euangelii diſcrimen ponit; Quod illa ſcilicet operibus Iuſtitiam tribuit; Euangelium, citra ſubſidium operũ, gratuitam Iuſtitiam largitur. Manet ergo Iuſtitia Euangelii legis conditionibus ſoluta. Quo ſpectat toties repetita legis & Euangelii oppoſitio, Gal. 3. ℣. 18. Habet quidem lex ſuas promiſſiones: habet & Euangelium ſuas: ſed ut apta ſit collatio, neceſſe eſt diſtinctum aliquid utrimque & diverſum eſſe. Nempe quod promiſſiones Euangelicæ gratuitæ ſint, ſola Dei miſericordia ſuffultæ: Legis promiſſiones ab operum conditione pendeant. cap. 11. Sect. 17.

37. Fruſtra vero excipitur, his locis tantum eam Iuſtitiam repudiari, quam homines ex libero arbitrio volunt obtrudere Deo. Nam Paulus ſine exceptione docet legem jubendo nihil prodeſſe, quia nemo eſt qui eam impleat, ne quidem ex perfectiſſimis quibusque. Certe dilectio præcipuum eſt caput legis, nec tamen nobis Iuſtitiæ cauſa, quoniam in ſanctis mutila eſt, ideoque per ſe pretii nihil meretur. c. 11. S. 17.

38. II. Idem probatur ex altero Pauli loco ad Galat. 3. 11, 12. Fidem facit à lege diverſam, ex hac cauſa, quod ad legis Iuſtitiam opera requiruntur. Ergo ad fidei Iuſtitiam ſequitur non requiri: Alioquin argumentum Pauli non conſtaret. Vnde colligimus citra imo extra operum meritum juſtificari omnes, qui fide juſtificantur. Eodemque reſpectu Euangelium legi opponitur, quod non in

ope-

operibus ſed in ſola Dei miſericordia Iuſtitiam collocat. Similis locus eſt Rom. 4. 2, 3. ubi contendit Abrahamum non habere gloriandi materiam, quoniam ex fide juſtus fuerit. Tum vero fidei Iuſtitiæ locum eſſe, ubi nulla ſunt opera: His enim debitum præmium rependi: quod datur fidei, eſſe gratuitum. Hinc ỳ. 16. addit, ex fide eſſe hæreditatem, ut ſit per gratiam, nempe quia fides ſine operum adminiculo tota in Dei miſericordiam recumbit. Eodemq; ſenſu Rom. 3. 21. aſſerit Iuſtitiam Dei absque lege eſſe manifeſtatam, quoniam non operando, ſed vacui eam conſequamur. cap. 11. S. 18.

39. Ex his etiam illud apparet, recte à nobis dici, Hominem *Sola* fide juſtificari. Cavillantur quidem Sophiſtæ hanc particulam nuſquam exprimi, ſed immerito. Nam ex oppoſitione fidei & operum excluſiva illa neceſſario ſequitur. Docet Paulus non eſſe ex fide Iuſtitiam, niſi ſit gratuita. Atqui gratuito cum operibus non convenit, Rom. 4. 4, 5. Ait idem Iuſtitiam in Euangelio manifeſtari, certe plenam & abſolutam, Rom. 1. ỳ. 17. Ergo lex in ea locum non habet. Affirmat Apoſtolus; ſine lege manifeſtatam eſſe Iuſtitiam. Item juſtificari gratis hominem, non ex operibus legis, Rom. 3. 21, 24. Dum operibus omnia adimit, ſane fidei ſoli eadem tribuit. c. 11. S. 19.

40. Solent excipere, non moralia ſed ceremonialia legis opera excludi. Reſp. Ineptiſſimam eſſe gloſſam. Loca enim aperte de lege morali loquuntur. Vt ſententiam ſuam Paulus probet, adducit hos locos: Qui fecerit ea, vivet. Maledictus qui non manſerit in omnibus legis mandatis, Gal. 3. ỳ. 10, 12. Vrget rurſus, per legem eſſe cognitionem peccati, Rom. 3. 20. Legem iram efficere,

non

non juſtitiam, Roman. 4. 15. Legem non poſſe certam reddere conſcientiam, proinde non conferre juſtitiam. Fidem imputari in juſtitiam, non operis mercedem. Ex fide nos juſtificari, ut ceſſet omnis gloriatio. Non eſſe datam legem quæ poſſit juſtificare, ſed omnes eſſe concluſos ſub peccato, ut promiſſio detur credentibus, Galat. 3. 21. Hæc in ceremonias tantum, non in mores competere, nemo niſi ridicule dixerit. Ergo de tota lege Apoſtolus loquitur, & à juſtificandi poteſtate moralia quoque opera excludit. cap. 11. S. 19.

41. Atque hic operæ pretium eſt expendere, cur Apoſtolus non contentus opera ſimpliciter nominaſſe, *legis* adjectione uſus ſit, nempe quia de illis ſolis controverſia moveri poterat. Quod enim opera Iuſtitiæ titulo & mercede digna cenſentur, totum illud à Dei approbatione habent & beneficentia. Ex quo fundamento Paulus cupiens probare Abrahamum non eſſe juſtificatũ ex operibus, allegat legem quadringentis annis poſt initum fœdus gratiæ latam fuiſſe, Galat. 3. 17. Hinc pro confeſſo ſumit, opera non habuiſſe vim juſtificandi ante legem, quia noverat operibus non niſi ex Dei teſtimonio ac dignatione tantum ineſſe momenti. Interdum tamen idem Apoſtolus ſine adjectione quælibet opera excludit, ut Rom. 4. 6. *ſine operibus imputat Iuſtitiam.* Vnde generalem excluſivam invitis adverſariis obtinemus. cap. 11. Sect. 20.

42. Subtilitatem, ſed frivolam, captant, cum ajunt, nos juſtificari fide quæ per dilectionem operatur, ſcilicet ut charitate nitatur Iuſtitia. Reſp. 1. Non alia fides juſtificat, quam quæ charitate ſit efficax. At vero hinc vim juſtificandi non ſumit, ſed ex eo tantum quod nos Iuſtitiæ Chriſti faci

par-

participes. II. Sin minus, corrueret tota Apoſtoli diſſertatio Rom. 4. 4. Non operantem, ſed credentem juſtificari, quia non ex debito, ſed ex gratia imputetur Iuſtitia. Nulla ergo eſt fidei Iuſtitia, niſi ubi nulla ſunt opera, quibus debeatur merces. cap. II. S. 20.

43. Hactenus Oſiandri & Scholaſticorum commentis occurrimus. Diximus ſupra in noſtra juſtificationis finitione, Iuſtitiam fidei eſſe reconciliationem cum Deo, quæ ſola paccatorum remiſſione conſtet. Illud ergo primum memineri- mus, hominem eſſe inimicum Deo, donec in gratiam per Chriſtum reſtituitur, Rom. 5. 8. Nam peccata noſtra diviſionem faciunt inter nos & Deum, Eſa. 59. 7. Etenim alienum eſt à Dei Iuſtitia quicquam commercii habere cum peccato. Quocirca univerſis incumbit ira Dei, & opus eſt reconciliatione. Deinde notandum, non poſſe Deum nos recipere in gratiam & ſibi adjungere, niſi ex peccatoribus juſtos faciat. Id fieri nequit, niſi per peccatorum remiſſionem. Nam ſi ex operibus æſtimentur, quos ſibi Dominus reconciliavit, reperientur adhuc peccatores. At in ſevero judicio Dei convenit eos eſſe puros & ſolutos ab omni peccato. Concludimus, Iuſtitiam uno verbo poſſe appellari remiſſionem peccatorum. c. II. Sect. 21.

44. Vtrumque horum liquet: I. ex 2 Cor. 5. 19. 21. ubi Iuſtitiam & reconciliationem promiſcue uſurpat: modum autem reconciliationis & aſſequendæ Iuſtitiæ in eo ponit, quod non imputentur delicta. II. ex Rom. 4. 6. Hîc beatitudo ponitur pro Iuſtitia. Illam vero aſſerit in peccatorum remiſſione conſiſtere. III. ex Luc. I. 77. Nam definiente Zacharia cognitio ſalutis in remiſ-

 ſione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſione peccatorum ſita eſt. IV. Eandem regulam ſequitur Paulus Act. 13.38. quo loco remiſſionem peccatorum connectit cum Iuſtitia, ut eandem prorſus eſſe oſtendat, & quidem gratuitam Iuſtitiam. V. Quibus etiam concinit Auguſtinus & Bernardus, hominis nempe Iuſtitiam in Dei indulgentia & peccatorum remiſſione eſſe poſitam. cap. 11. Sect. 22.

45. Hinc & illud conficitur, nos juſtificari coram Deo ſola Chriſti Iuſtitia. Proinde non in nobis juſti ſumus, ſed quia Chriſti Iuſtitia per imputationem nobis cõmunicatur. Ita evaneſcit commentum illud, nos ideo fide juſtificari, quia per illam recipimus Spiritum Dei, quo juſti reddimur. Nam cui Iuſtitia extra ſeipſum quærenda eſt, eum propria carere oportet. Ideo Paulus dicit, Chriſtum *factum eſſe peccatum pro nobis, ut nos fieremus Iuſtitia,* non in nobis, *ſed in ipſo,* quæ alio jure nobis non competit, quam quia Chriſti participes ſumus. cap. 11. S. 23.

46. Nec obſtat quod Roman. 8. 3. damnatum dicitur peccatum in carne, ut Iuſtitia legis in nobis compleatur. Nam I. non aliud complementum deſignat, quam quod imputatione conſequimur, & per communicationem Iuſtitiæ Chriſti. II. Eodem ſenſu Rom. 5.19. Chriſti Iuſtitia dicimur juſti, quia nobis accepta fertur, ac ſi noſtra eſſet. III. Quam rem elegantiſſimo paradigmate Iuſtitiæ exhibuit Ambroſius in benedictione Iacobi ſub veſtibus Eſavi, ſic enim & noſtra vitia bono Chriſti odore obteguntur & ſepeliuntur. cap. 11. S. 23.

47. Hactenus ſatis luculentis teſtimoniis ſententiam noſtram confirmavimus. Sed ut ſerio nobis gratuita juſtificatio perſuadeatur, tria porro

rerum

rerum momenta diligenter &accurate ſemper expendenda ſunt. Sic enim fiet ut tum neceſſitatem tum utilitatem hujus doctrinæ melius ſimus percepturi. Ac principio quidem mentes noſtras attollere oportet ad ſupremum Dei tribunal. Neque enim de humani fori juſtitia ſermo inſtitutus eſt, ſed de Dei Iuſtitia & ſupremo ejus judicio, ubi non exercetur ludicra λογομαχία ſed ſerio res noſtra agitur. Certe ſcriptura talem nobis judicem deſcribit, cujus fulgorem, robur, iram & majeſtatem nullæ creaturæ ferunt; cujus ſapientiæ, puritati, juſtitiæ nulli hominum adeoque ne Angeli quidem pares ſunt, qui nocentem non facit innocentem, cujus accenſa ſemel vindicta penetrat ad notiſſima uſque inferni. Hîc ſedet ad examinanda hominum facta, revelat occulta tenebrarum, & abſcondita cordium retegit, latitantem & reſtitantem conſcientiam omnia proferre cogit. Hîc urget Diabolus omnium flagitiorum noſtrorum, ad quæ nos impulerit, conſcius. Hîc juſtiſſimus judex ſententiam pronuntiat, non quidē ad amuſſim illius Iuſtitiæ ſuæ incomprehenſibilis, quæ omnes ſenſus exuperat, ad cujus examen ne is quidem qui legi ſatisfecerit ſtare poſſet, de qua in libro Iobi ſæpius agitur, ſed ad normam ſcriptæ legis, quæ tam horrendas maledictiones detonat, præſertim hanc, Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, Deut. 27.26. cap. 12. S. 1.4.

48. Ad hunc thronum quis ſecurus ſeſe ſiſtet? Rogat Propheta, Quis habitabit cum igne devorante, cum ardoribus ſempiternis? & ſubjicit, Qui ambulat in Iuſtitia, &c. Eſa. 33. 14. Sed prodeat ille quiſquis eſt. Contra terribilis vox inſonat, Si iniquitates obſervas Domine, quis ſuſtinebit?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Pſal. 130.3. Ne intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur ullus vivens coram te, Pſal. 143. 2. Non poterit homo juſtus eſſe cum Deo, ſi voluerit contendere, non poterit reſpondere unum pro mille, Iob. 9. 2. & 4. 17. Etiam in Angelis & cœlis non invenit puritatem, quanto minus in hominibus, qui quaſi aquam bibunt iniquitatem? Iob. 15. 15. Talis ergo Dei eſt Iuſtitia, cui nullis humanis operibus ſatisfiet: cui mille ſcelerum nos interroganti, unius purgatio adferri non poterit: coram quo Iobus etſi bene ſibi conſcius attonitus tamen obmuteſcit. Et Paulus quum profiteretur ſe nihil ſibi conſcium eſſe, negat tamen in hoc ſe juſtificari, 1 Cor. 4. 4. Nec alia mens fuit Auguſtini, qui in ſola Dei miſericordia Iuſtitias omnes ſuas concludit. c. 12. S. 1, 2, 3, 4.

49. Huc ergo referendæ mentes ſunt, ſi volumus de vera Iuſtitia cũ fructu inquirere. In quam partem mirum quantum temeritate & præſumtione peccetur. Certe nulli confidentius de operum Iuſtitia garriunt, quam qui gravioribus vitiis prodigioſe laborant. Id fit, I. quia non recte cogitant, quanta & quam perfecta ſit Dei Iuſtitia, cui nihil acceptum eſt, niſi omni ex parte integrum nullaque ſorde inquinatum. Tale in homine reperire unquam nec licuit nec licebit. Hujus rei ſi minimo ſenſu afficerentur, nunquam tanto ludibrio Dei juſtitiam haberent. II. Quia cum aliis hominibus ſeſe comparant, quibus ſe pares vel ſuperiores eſſe ducunt, ibique ſubſiſtunt. ſed hæc fiducia facile deperit, quando ad Deum aſſurgimus, ad cujus arbitrium hujus rei cognitio pertinet. ſi ne ſic quidem ferocia noſtra domari ſe patitur, audiamus ſane quid Chriſtus Phariſæis reſpondeat. Vos eſtis qui vos juſtificatis coram hominibus.

minibus. At quod hominibus altum eſt, abominabile eſt Deo. Sic nulla gloriandi de Iuſtitia noſtra coram hominibus cauſa manebit. III. Quia cæco amoris noſtri affectu nobis ipſis plus nimio indulgemus, quem omnibus hominibus naturaliter inhærere clamat ſcriptura. Cuique via ſua munda eſſe videtur, & ob externam Iuſtitiæ larvam quisque ſe demulcet, Prov. 21. 22. & 16. 2. Sed Deus ponderat corda, & latentem cordis impuritatem trutina ſua examinat. Nihil ergo proficitur ejusmodi blandimentis. Proinde excutiamus nos probe, & à Dei perfectionis contemplatione ad nos ipſos reſpiciendos deſcendamus, tum ad Dei tribunal conſcientiam revocemus, cujus luce quæ maxime profunde latent pravitatis involucra, tandem detegenda ſunt. Ita fiet, ut cum nos vermes eſſe & putredinem, abominabiles & vanos, iniquitates bibere velut aquas, ſcriptura dicat, Iob. 15. 16. & 14. 4. nemo ſe juſtificaturus ſit coram Deo, quin potius ſe ipſum ſit condemnaturus, exemplo Iobi c. 9. ℣. 20. Denique fatebimur, nos omnes erraſſe tanquam oves, unumquemque declinaſſe in viam ſuam, Eſa. 53. 6. Quæ omnium ſeculorum vox communis eſſe debet, quoniam ad omnes pertinet, ad quos perventura eſſet redemptionis gratia. cap. 12. S. 1, 2, 5.

50. Sic exercitata conſcientia, jam non exultare, ſed trepidare diſcet. Ceſſabit hypocriſis, non modo qua homines coram Deo male ſibi conſcii, apud homines ſe oſtentare affectant, ſed etiam, qua ſibi quisque imponit. Adhæc omnis Iuſtitiæ operum evaneſcet tum opinio tum confidentia, quia certò comperiemus, omnia noſtra opera, ſi ſua dignitate cenſeantur, nihil eſſe niſi ſordes. Denique examinis iſtius rigor in plenam conſterna-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tionem nos adducet, & gratiæ Chriſti capaces reddet, dejecta omni animi altitudine. c. 12. S. 4, 5.

51. Hæc vera humiliandi ratio eſt, qua toti inopes ac vacui miſericordiæ Dei locum damus. Nam qui jubent ſimul humiliter de ſeipſis ſentire, & tamen juſtitiam ſuam aliquo loco habere, pernitioſam docent hypocriſin. Si contra quam coram Deo fateris, reſiduum tibi quid eſſe putas, improbe mentiris. Sin, ut decet, ſentis, quicquid videtur glorioſum, pedibus eſt conterendum. Dejicienda eſt ſuperbia, & aſſumenda ſolida humilitas, cui ſoli parata eſt ſalus, Pſal. 18. 28. humilitas inquam, non quæ Domino de jure ſuo aliquid cedat, ſed non ſimulata animi ſubmiſſio, ſerio miſeriæ inopiæque ſuæ ſenſu conſternati. Sic enim ubique verbo Dei humiles deſcribuntur: Afflicti pauperes, Non exultantes, quibus nihil reliquum eſt, niſi ut in Domino ſperent, Soph. 3. 11. pauperculi, contriti ſpiritu, trementes ad ſermonem Dei, Eſai. 66. 2. & 57. 15. quorum in parabola Publicani legitima exprimitur imago, Luc. 18. 13. in geſtibus & verbis, non fictis modeſtiæ ſignis, ſed interioris animi exhibens affectum, indubitatis teſtimoniis Deo gratum. Cui ex adverſo opponitur Phariſæus, dono quidem Dei gloriabundus, ſed Iuſtitiæ opinione ac confidentia odioſus & à facie Dei rejectus. Vnde videre licet, quanta ſit humiliationis gratia apud Deum. Quo etiam pertinet, quod Chriſtus non eſt miſſus, niſi ad pauperes, contritos corde, captivos, clauſos, lugentes, &c. Eſa. 61. 1. quod etiam non niſi laborantes, oneratos, & peccatores ad ſe vocet, non autem juſtos, Matth. 11. 28. & 9. 1. cap. 12. S. 6. 7.

52. Denique duo vitia nobis cavenda ſunt, Securitas & Arrogantia. Illa etiam ſine operum perſuaſione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſuaſione eſſe poteſt. Multi enim vitiorum dulcedine obſtupefacti ad Dei miſericordiam non aſpirant. Talis torpor judicii Dei cogitatione excuti debet. Arrogantia ex ſtulta propriæ Iuſtitiæ perſuaſione naſcitur, ubi homo aliquid ſe habere putat, cujus merito apud Deum commendetur. Hic remedium aliud nullum ſupereſt, niſi ut vacui & jejuni, & nobis diffiſi ſolius Chriſti dona amplectamur. Hanc denique certam teneamus regulam, eum duntaxat ad participandos divinæ miſericordiæ fructus eſſe comparatum, qui ſe ipſum omni Iuſtitiæ proprię opinione exinaniverit. c. 12. S. 8.

53. Præter hæc quæ dicta ſunt, duo nobis porro in gratuita juſtificatione ſemper obſervanda. I. Vt Domino illibata conſtet ſua gloria. II. Et conſcientiis coram Dei judicio ſerena tranquillitas. De priori membro ſcriptura paſſim agit, quando nos hortatur ad reddendam ſoli Deo laudis confeſſionem ubi de Iuſtitia quæritur. Patet hoc I. ex Roman. 3. 25. Apoſtolus enim ibi hunc duplicem finem Domino fuiſſe teſtatur conferendæ nobis in Chriſto Iuſtitiæ. Primum, ut ipſe ſolus agnoſcatur juſtus & juſtificans eum qui eſt ex fide Chriſti. Deinde ut omne os obturetur, & obnoxius Deo fiat totus mundus, Rom. 3. ℣. 19. Ergo quam diu homo in ſuam defenſionem loquitur, Deo illud detrahit, & Dei Iuſtitiam non ſatis illuſtrat. II. Ex Ezech. 20. 42. Quo loco dicimur glorificare Deum, quando toto corde contriti agnoſcimus, ipſum nobis indignis benefacere tantum propter nomen ſuum. III. Ex Ierem. 9. 23. Vbi Propheta monet, ut qui gloriatur non in ſe ſed in Domino glorietur. Sin minus, tantundem de gloria Dei deperit. Atque his conformiter Paulus I Cor. I. 30. omnes ſalutis partes in Chriſto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

depoſitas eſſe tradit, ut non niſi in Domino glo-riemur. Imo tum demum redditur mundus ob-noxius Deo, quando quævis gloriandi materia hominibus adimitur, Rom. 3. 19. Vnde colligi-mus, nunquam vere in Deo, ſed adverſus Deum gloriari, quicunque in ſe gloriantur, aut tantillum de ſuo ſe habere putant. IV. Ex Eſai. 45. 24, 25. Vbi juſtificationem cum laude conjungit. Vtrius-que fundamentum in Deo eſſe, non ſimplici con-feſſione, ſed juramento confirmat. V. Eodem per-tinet quod Apoſtolus nos ait electos in Chriſto ad laudem glorioſæ gratiæ, per quam Dei dono ſer-vati ſumus, non ex operibus, ne quis glorietur, Epheſ. 1. ℣. 6. & 2. ℣. 8. 9. VI. Eodem ſenſu Pe-trus aſſerit nos vocatos eſſe, ut enarremus Dei vocantis laudem, 1 Petr. 2. 8. Sileat ergo carnis arrogantia, ſi in ore fidelium ſolæ Dei laudes per-ſonare debent. cap. 13. Sect. 1, 2.

54. Qui ſe gloriari negant, dum citra arrogan-tiam propriam Iuſtitiam recognoſcunt, falſum dicunt. Talis enim æſtimatio eſſe nequit, quin fi-duciam generet, nec fiducia, quin gloriam pariat. Concludimus, in tota Iuſtitiæ diſputatione finem hunc ſpectandum eſſe, ut illius laus penes Domi-num ſolida integraque maneat. Id fieri nequit, quam diu homo vel ullam Iuſtitię micam ſibi ven-dicat. cap. 13. S. 2.

55. Poſterius membrum de pace conſcientiæ non minus in hoc negotio eſt neceſſarium. Nihil enim proficitur de Iuſtitia diſſerendo, niſi tale quid ſtatuerimus, cujus ſtabilitate anima noſtra in Dei judicio fulciatur, ut intrepida coram Dei vultu appareat, & inconcuſſà ejus judicium exci-piat. Qua de cauſa juſtificati fide pacem dicuntur habere cum Deo, Rom. 5. 1. c. 13. S. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

56. Iam vero in nobis aut operibus noſtris tale quid nunquam reperiemus. Nam I. ſemper occurret illud Salomonis, Quis dicet, mundavi cor meum? purificatus ſum à peccato meo? Prov. 20. ℣. 9. Deſcendat in conſcientiam ſuam vel perfectiſſimus quisque, & facta ſua ad calculum revocet, certè infinita peccatorum colluvie obruetur, nec niſi damnationis materiam in ſe reſidere ſentiet, ſi ab operibus æſtimetur. Itaque non poteſt non diris tormentis lacerari. II. Evacuatur fides, ſi juſtitiæ promiſſio merita operum noſtrorum reſpicit aut ex legis obſervatione pendet, Rom. 4. 14. Nunquam enim futurum eſt, ut certo apud ſe quisquam ſtatuat ſe legi ſatisfeciſſe, quoniam nullus unquam per opera plene ſatisfacit. Cujus rei ſibi quisque teſtis eſſe poteſt. Blandiatur ſibi hypocriſis quantum velit; at fideles dum ſe ſincere excutiunt, longè alia ſollicitudo angit & excruciat. Etenim ſubducta ratione vident quanta debiti mole premantur, & quam longe diſtent ab impoſita ſibi conditione. Hinc ſubit animos hæſitatio, & demum deſperatio. Sic jam oppreſſa atque extincta jacet fides. At vero fidei eſt non fluctuari, hæſitare, vacillare, deſperare, ſed conſtanti certitudine, & ſolida ſecuritate animum obfirmare. III. Si ex lege eſt juſtitia, irrita & evanida fit promiſſio, quam promereri non poſſumus, ſi ejus complementum à noſtro merito dependet, Rom. 4. 14. Quin imo collapſa fide, nulla vis reſidua eſt promiſſionis, quia hæc non impletur, niſi illis qui fidem ipſi habuerint. Deniq; non ſunt firmæ Dei promiſſiones, niſi certa conſcientiæ fiducia arripiantur. Vbicunque eſt dubitatio aut incertitudo, irritas fieri neceſſe eſt. Ideo non ex operibus ſed ex fide eſt hæreditas, ut ſit ſecun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

dum gratiam, ad ſtabiliendam promiſſionem. Roman. 4. 16. cap. 13. Sect. 4.

57. Sola ergo ſupereſt Dei miſericordia, & gratuita Iuſtitia, quę Dei dono confertur. Sic enim primo abunde confirmatur promiſſio: quia perpetuo nexu conjunctæ ſunt inter ſe meſericordia & veritas. Vnde etiam David ſalutem ſibi ex Dei eloquio pollicens, cauſam ejus primum ſtatuit in ejus miſericordia, Pſalm. 119. 76. Nam ex mera miſericordia Deus ad promittendum inducitur. Ideo hic ſpem noſtram totam ſiſtere convenit, non reſpectare ad opera. Et eodem modo tum Auguſtinus tum Bernhardus loquitur. II. Sic etiam patet, cur ſola fides hic locum habeat, nempe quia uni promiſſioni intenta cogitationem avertit ab omni hominis vel dignitate vel merito. III. Sic optime intelligimus quomodo ex miſericordia ſequatur pax conſcientiæ. Neque enim vera pace fruuntur fideles, niſi poſt impetratam remiſſioné peccatorum. Vide Zachar. 3. 9. Vbi Propheta de regno Chriſti diſſerens, externas Dei benedictiones commemorat, ſed ſpiritualium bonorum figuras. Idcirco etiam Chriſtus rex pacis & pax noſtra vocatur, modus autem, quo Deum propitium nobis reddidit, in ſacrificio ejus ponitur, quia non alibi quam in redemptoris noſtri terroribus pax conſcientię nobis quęrenda eſt, Eſa. 9. 6. & Epheſ. 2. 14. Eodem argumento evidenter concludit Paulus nullam relinqui pacem conſcientiis, niſi ſtatutum ſit, nos juſtificari ſola fide. Ejusque rei certitudinem deducit ex amore Dei, qui diffuſus eſt in corda noſtra per Spiritum Sanctum, Roman. 5. 1. 2. IV. Ex eodem fundamento Paulus in omnium piorum perſona exclamat, Quis nos ſeparabit, &c. Rom. 8. 35. Nam tum ſecuri ſumus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mus etiam in caligine mortis, quando Deus ſe patrem & paſtorem oſtendit, Pſal. 23. 4. Contra ad minimam quoque auram trepidare neceſſe erit. cap. 13. Sect. 4, 5.

58. Hinc ſequitur, qui dicunt, nos ideo fide juſtificari, quia regeniti ſpiritualiter vivendo juſti ſumus, I. nunquam guſtaſſe gratię dulcedinem, ut Deum ſibi propitium fore confiderent. II. Rite orandi modum nihilo magis eos ſcire, quam Turcas aut profanas gentes; ſola enim fides ſuaviſſimum illud patris nomen ſuggerit, Gal. 4. 6. Ideo in Chriſto dicimur habere audaciam & aditum in fiducia per fidem ejus, Eph. 3. 16. Hoc dono regenerationis non contingit: quia ſemper mutilum eſt in hac carne, & multiplicem dubitandi materiam in ſe continet. cap. 13. S. 5.

59. Quare ad remedium illud venire neceſſe eſt, ut ſtatuant fideles non alio jure ſperandam ſibi eſſe hæreditatem regni cœleſtis, niſi quia inſiti in Chriſti corpus, juſti gratis reputantur. Nam quoad juſtificationem, res eſt mere paſſiva fides, nihil adferens noſtrũ ad conciliandam Dei gratiam, ſed à Chriſto recipiens quod nobis deeſt. c. 13. S. 5.

DISPVTATIO VI,

De Iuſtitia operum.

Ex lib. 3. cap. 14, 15, 16, 17, 18.

1. DEmonſtravimus abunde hominem non niſi fide Chriſti juſtificari. Vt autem res fiat dilucidior, videamus qualis poſſit eſſe toto decurſu vitæ hominis operum Iuſtitia: idque ſecundum quadruplicem ejus ſtatuam. Homines enim aut nulla Dei cognitione imbuti in Idololatria demerſi jacent: aut Sacramentis initiati Deum vita & factis abne-

abnegant: aut hypocritæ ſunt, qui cordis nequitiam inanibus fucis tegunt: aut Spiritu Dei regenerati veram ſanctimoniam meditantur. In ſingulis quæ Iuſtitia dari queat excutiamus. c. 14. S. 1.

2. In primis illis, quando naturalibus dotibus cenſendi ſunt, ne ſcintilla quidem boni reperitur. Probamus 1. Ex elogiis quibus in ſcriptura deſcribuntur: quod pravo ſint & præfracto corde, Ierem. 17. 9. quod omne figmentum cordis eorum malum ſit à primis annis, Gen. 8. 21. quod vanæ ſint eorum cogitationes, Pſal. 94. 11. quod timorem Domini prę oculis non habeant, & nemo eorum intelligat aut requirat Deum, Pſal. 14. 2. Breviter quod caro ſint, Gen. 6. 3. cujus fructus recenſentur à Paulo, Gal. 5. 19. Nullam ergo habent dignitatem cujus fiducia ſuperbire debeant. c. 14. S. 1.

3. Excipi ſolet, egregias tamen dotes & morum honeſtatem in incredulis apparere. Reſp. 1. Concedimus multum intereſſe, inter Titi, Trajani, Veſpaſiani virtutes, ac Caligulæ vel Neronis, vel Domitiani fœdiſſima vitia, adeoque magnum eſſe diſcrimen juſti & injuſti. Alioquin nihil ordinatum reſtaret in mundo. Et hanc diſtinctionem, non modo ſingulorum mentibus Dominus inſculpſit, ſed providentiæ quoque ſuæ diſpenſatione confirmat. In cujus rei teſtimonium multis præſentis vitæ benedictionibus proſequitur eos, qui inter homines virtutem colunt; non quod externa illa virtutis imago vel minimum beneficium mereatur, ſed ut conſtet quantum Deo cordi ſit vera Iuſtitia, quando externam quoque & ſimulatam temporali remuneratione carere non patitur. Addimus, illas ipſas qualescunque virtutes eſſe dona Dei, quia nihil eſt laudabile, quod à Deo non proficiſcatur. II. Etſi dotes illæ ſpeciem habeant

beant

beant ſanctitatis apud homines, ad Iuſtitiam tamen non valere apud Deum, qui non moratur externum ſplendorem. Inſpiciendum ergo eſt, ex quo affectu cordis iſta prodeant. Iam vero certum eſt, ab ipſa cordis impuritate, velut à ſua origine, corrupta eſſe: deinde non reſpicere ſcopum, quem ſapientia Dei præſcribit, ut ipſi recte ſerviatur. Ita fit ut pura Dei dona cordis pollutione, cum fide careat, contaminentur, & quia non referuntur ad debitum finem gloriæ divinæ, merito recti nomen amittant. Vnde recte concludit Auguſtinus, utcunq; ob virtutis opinionem laudabiles habeantur Catones, Scipiones, Fabritii, &c. & licet virtutes, quibus aliis præcelluerunt, multum ad conſervandam humanam ſocietatem profuerint, quia tamen opera Dei peſſime ſint exequuti, nec ſincero boni ſtudio, ſed vel ſola ambitione vel amore ſui, vel alio quovis obliquo affectu ſe à male agendo continuerint, non habuiſſe illos veram Iuſtitiam, nec ulla remuneratione, ſed magis punitione dignos fuiſſe. III. Si non eſt vita extra filium Dei, 1 Iohan. 5. 12. quicunque in Chriſto partem non habent, quales quales ſint & quidquid agant, in exitium toto curſu pergunt, & quo magis currunt extra viam, eo longius aberrant, & fiunt miſeriores. Ad hæc quando ſine Chriſti communicatione nulla eſt ſanctificatio, malas eſſe arbores oportet, quæ bonos fructus proferre nequeunt. Tum vero impoſſibile eſt ut quiſquam ſine fide Deo placeat, Heb. 11. 6. Hinc facile cernimus, nullius ad Iuſtitiam pretii, ſed certi ad damnationem eſſe meriti, quicquid cogitat, meditatur, perficit homo, antequam Deo per fidem Chriſti reconcilietur. IV. Id apertius erit, ſi naturali hominum conditioni gratia Dei è regione opponatur.

Clamat

Clamat ſcriptura, homines eſſe mortuos in peccatis, & Deum vocare ea quæ non ſunt, tanquam ſint, Ioh.5.25. Eph.2.4. Rom.4.17. Quid autem ad vitam poteſt mortuus? Si nihil ſumus, quid quæſo poſſumus? Sane prout corrupti ſumus natura, citius ex lapide oleum quam ex nobis bonum opus exprimetur. Ergo non eſt cur quis audeat ſibi reliquum aliquid facere. Ex adverſo Deus ibidem dicitur vivificáre mortuos, nempe dum ſui cognitione nos illuminans, à morte ſuſcitat & novas creaturas facit, idque ex magna ſua miſericordia, non ex operibus Iuſtitiæ quæ nos fecerimus, Eph. 2. 10. 2 Tim. 1. 9. Tit. 3. 4. Si ſumus Dei creaturæ, quis jactabit ſe ſua Iuſtitia Deum provocaſſe, quum prima noſtra ad bene agendum potentia ex regeneratione fluat? Non ergo nos Deum antevertimus, ſed ipſe nos prævenit gratuita ſua benignitate, Iob. 41. 2. Rom. 11. 33. v. Hinc conſequens eſt, hominẽ omni plane Iuſtitia ſpoliatũ eſſe, donec ſola miſericordia in ſpem vitæ regeneratus fuerit. Alioquin falſo dicemur gratiâ juſtificati, nec gratia jam erit gratia, ſi quid opera noſtra valeant. VI. Eodem ſpectat quod Chriſtus nõ venit vocare juſtos, ſed peccatores. Si enim ſoli peccatores admittũtur, quid eſt cur per fictitias Iuſtitias aditũ nobis quæramus? VII. Audiamus etiam dicentem Eſaiam, Deum ſalutem poſuiſſe in brachio ſuo, & ſua ſe Iuſtitia confirmaſſe, Eſa. 59. 15. Deſcripſerat univerſale generis humani exitium, mox ordinem reſtitutionis addit, quod neminem invenerit, qui in recuperanda noſtra ſalute Chriſto opituletur. Vbi jam ſunt noſtræ Iuſtitiæ? VIII. Itidem Oſeas cap. 2. 19. 23. agens de fœdere quo nos Deus ſibi deſpõſat, quod conſtat primam eſſe noſtri cum Deo conjunctionem,

nem, non noſtræ meminit Iuſtitiæ, ſed fundamentum ejus in Dei gratia & miſericordia ſtatuit. IX. Quærimus an ulla ſit Iuſtitia, niſi quæ Deo ſit accepta? Quid vero Deo gratum ab ejus inimicis prodeat, quos totos cum ſuis factis averſatur, donec juſtificati in amicitiam recipiantur? X. Si non nos Deum dileximus, ſed ipſe prior nos dilexit, & quidem ſpontanea dilectione, 1 Iohan. 4. 10. Oſe. 14. 5. ſequitur operibus noſtris Deum non inſtigari ad nos diligendos vel juſtificandos. c. 14. S. 1, 2, 3, 4, 5, 6.

4. Ex quibus videre eſt quam vana ſit diſtinctiuncula, qua rude vulgus autumat, neminem quidem promeritum eſſe, ut redemptionem noſtram Chriſtus perageret, noſtris tamen operibus nos adjuvari, ut redemptionis poſſeſſionem adeamus. Nam 1. redemptio Chriſti à patris vocatione non eſt ſeparanda, per quam in Chriſti communionem inſerimur, extra quam mortis hæredes & Dei inimici ſumus. 2. Non abluimur Chriſti ſanguine, niſi purgationem illam Spiritus in nobis efficiat, 1 Cor. 6. 11. 1 Petr. 1. 2. Ante hanc irrigationẽ nihil ſumus niſi peccatores. c. 14. S. 6.

5. Operoſius hanc materiam tractamus, non quod Dei miſericordia dubia vel obſcura ſit, ſed quia malignitas noſtra nunquam, niſi validiſſime depulſa, Deo concedit quod ſuum eſt. Maneat illud firmum, principium noſtræ ſalutis eſſe quandam velut à morte in vitam reſurrectionem. Proinde nihil Deum in homine reperire, quo ad benefaciendum illi incitetur: nec ullam eſſe operum Iuſtitiam, quæ noſtram juſtificationem præcedat. c. 14. S. 6.

6. Sub hac ratione comprehendimus etiam eos, quos in ſecunda & tertia claſſe ſupra poſuimus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mus. Nam 1. Conſcientiæ impuritas utrosque nondum eſſe Dei Spiritu regeneratos arguit. Carent ergo fide. Vnde liquet, nondum eſſe Deo reconciliatos, aut in ejus conſpectu juſtificatos. 2. Cum ſint peccatores à Deo alienati, nihil producere poſſunt niſi judicio illius execrabile. 3. Etſi Iuſtitiam ſibi arrogant nonnullam, ubi uno vel altero legis officio functi fuerint, pernicioſo tamen errore ſeipſos decipiunt, quia ſceleratæ mentis convicti, injuſtitiæ ſeipſos coarguunt. Quo ſpectant loca ſequentia. Hagg. 2. 13, 14, 15. docet, ſicut non ſanctificatur, ſi quis carnes ſanctificatas tulerit aut tetigerit, & qui immundus eſt, manet immundus, etſi illas tetigerit, ſic & gentem ipſam & eorum opera immunda eſſe coram Deo. Vnde conſequitur, nullam ex ſacrificiis acquiri ſanctificationem, niſi cor ſit purgatum. Tum vero contaminari cordis impuritate, quæcunque à peccatoribus prodeunt opera. Si dicant ſanctũ eſſe quod Dominus præceperit, reclamat Deus, quod ſanctificata lege Dei, immũdis manibus profanent. Eandem cauſam agit Eſaias cap. 1. 13. quo loco Deus introducitur nauſeans ad obſequium ſuæ legis, non ſane ejus quod ex germana legis obſervatione proficiſcitur, & cujus initium eſt timor Domini, ſed quod hoc timore ſublato, non niſi fœdas ſordes Deo offert. Imo tantum abeſt ut his operibus Deum demereantur, ut magis illum magisque irritent, Prov. 15. 18. Faceſſat ergo nomen Iuſtitiæ ab his operibus, quæ nondum vere ſanctificati edunt, quum ore Dei tanquam meræ pollutiones & peccata damnentur. 4. Veriſſime dicitur, non conciliari perſonam Deo propter opera, ſed tum demum opera placere Deo, ubi perſona gratiam invenerit. Atq; hunc ordinem demonſtrat Moſes,

dicens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

dicens Dominum reſpexiſſe ad Abel & opera ejus, Gen. 4. 4. Nec immerito; Deus enim veritatem & corda reſpicit, Ier. 5. 3. Act. 15. 8. Porro fides eſt qua corda purificantur, Act. 15. 9. Hac fide cum deſtituantur tum hypocritæ, tum qui vita flagitioſi ſunt, conſequens eſt eos à vera Iuſtitia longiſſime abeſſe. cap. 14, S. 7, 8.

7. Inſpiciamus nunc quid regeniti habeant Iuſtitiæ, quos in ordine quarto collocavimus. Primo fatemur, poſtquam Chriſti Iuſtitia Deo reconciliati & juſtificati ſumus, cum hac Dei gratia conjunctum eſſe alterum ſanctificationis beneficium, operatione Spiritus S. qui carnem noſtram mortificat, & corda in legis obſequium format. Sed addimus, dum S. Spiritus ductu in viis Domini ambulamus, manere in nobis imperfectionis reliquias, quæ ſemper humilitatis præbent argumentum, 1 Reg. 8. 46. Iam quæritur, qualem Iuſtitiam ex operibus ſuis renati obtineant. R. 1. Optimum quodvis ſanctorum opus aliqua ſemper fęec & impuritate reſperſum eſſe. Idque ſanctiſſimi toto vitę curſu, ſi ſingulas ejus partes recte revolvant, facile deprehendunt, quum nunquam ea ſit alacritas ad bene agendum quæ eſſe debet, & in curſu magna ſit debilitas. Et ut minutiſſimi ſint nævi, oculos tamen Dei offendent, coram quibus ne ſtellæ quidem puræ ſunt. Habemus, nec unum à ſanctis prodire opus, quod, ſi in ſe cenſeatur, non mereatur juſtam opprobrii mercedem. 11. Vt detur aliqua eſſe omnino pura & abſoluta opera, unum tamen peccatum ſatis eſſet, ad delendam omnem memoriam prioris Iuſtitiæ, Ezech. 18. 24. Tum vero reus omnium eſt, qui in uno offendit, Iacob. 2. 10. Atqui vita hæc mortalis nunquam à peccato pura eſt. Quicquid ergo Iuſtitiæ à nobis com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

comparatum erit, id ſequentibus peccatis corruptum & oppreſſum, non poterit in Dei conſpectum Iuſtitię nomine venire. Ideo nobis III.ubi de operum agitur Iuſtitia, obſervandum, non unum aut alterum opus legis eſſe proferendum, ſed ad totam legem reſpiciendum, quæ perpetuam & perfectam obedientiam poſtulat. Neque enim, quod ſtolide quidam opinantur, peccata Deus ſemel remittit, ut poſtea in lege Iuſtitiam quæramus. Sic namque vana ſpes nos falleret, quia legis perfectio nulli contingit, dum in carne verſatur: lex vero mortem denuntiat iis, qui non præſtiterint omnia: manebit ergo ſub damnatione & reatu legis miſer peccator niſi in aſſidua remiſſione peccatorum Dei miſericordia occurrat. cap. 14. Sect. 9, 10, 11.

8. Scholaſtici, præſertim ſaniores, de principio juſtificationis idem nobiſcum videntur dicere. Fatentur enim peccatorem gratuito Iuſtitiam obtinere per remiſſionem peccatorum. In eo diſſentiunt, quod ſub vocabulo juſtificationis renovationem comprehendunt. Deinde Iuſtitiam hominis regenerati ſic deſcribunt, quod homo per Chriſti fidem Deo ſemel reconciliatus, bonis operibus juſtus cenſeatur apud Deum, eorumque merito acceptus ſit. Contra docet ſcriptura, fideles non aliam Iuſtitiam habere ad finem uſque vitæ, quam Chriſti Iuſtitiam. Nam I. Abrahæ fides fuit imputata ad Iuſtitiam non ex operibus, etiam poſtquam multis annis vitæ ſanctitate excelluiſſet, ut illud ad principium vocationis ſuæ reſtringi nequeat, quo tempore adhuc idolis ſerviebat. II. Cum juſtus dicitur ex fide vivere, Hab. 2. 4. non ad impios & profanos quos Deus ad fidem convertendo juſtificet, ſed ad fideles ſermo dirigitur,

gitur, quibus vita promittitur ex fide. III. Paulus ex Pſal. 32. 1. beatos pronunciat, quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Atqui certum eſt Davidem non de impiis ſed de fidelibus loqui, in quorum numero ſeipſum recenſet. Proinde hanc beatitudinem non ſemel tantum ſed tota vita tenere nos oportet. IV. Apoſtolus legationem de gratuita reconciliatione cum Deo non in unum aut alterum diem promulgari, ſed perpetuam in eccleſia eſſe teſtatur, 2 Cor. 5. 18. V. Chriſtus non ſemel tantum ſed perpetuo manet mediator: & perpetua eſt mortis ejus ad remiſſionem peccatorum efficacia. VI. Paulus ad Epheſios non dicit nos initium tantum ſalutis habere ex gratia, ſed aſſerit, nos per gratiam ſalvatos eſſe, non ex operibus, ne quis glorietur, Epheſ. 2. 8. Quod ſane ad omnem vitæ noſtræ curſum pertinet. c. 14. S. 11.

9. Quæ hic ſcholaſtici quærunt ſubterfugia, eos non expediunt. Ajunt I. Bona opera non ſufficere ad Iuſtitiam ex intrinſeca dignitate, ſed ex acceptante gratia. II. Cum Iuſtitia operum ſemper ſit imperfecta, indigere nos, quam diu vivimus, remiſſione peccatorum, qua defectus operum ſuppleatur: delicta tamen commiſſa operibus ſupererogationis compenſari. c. 14. S. 12.

10. Reſpondemus ad prius membrum. I. Acceptantem gratiam non eſſe aliam, quam gratuitam patris bonitatem qua nos in Chriſto complectitur; nempe dum Chriſti Iuſtitiam nobis imputat, quæ, ut ſola perfecta eſt, ita ſola Dei conſpectum poteſt ſuſtinere. Et hac inſtructi aſſiduam peccatorum remiſſionem in fide obtinemus, donec extincto veteri homine in gloriam regni cœleſtis incorrupti transferamur. II. Supponit Scholaſticorum ſententia, in cenſum aliquem Iuſtitiæ,

opera

opera noſtra venire. At Scriptura non tantũ negat opera ex ſe Deo nos acceptos reddere, ſed etiam hoc affirmat, ne ipſa quidem placere, niſi quatenus perſona placet, quæ, Iuſtitia Chriſti operta, vitiorum remiſſionem obtinet, non imputatis imperfectionibus, quæ puritate Chriſti conteguntur, ne in judicium veniant. Lex enim non partialem requirit Iuſtitiam, ſed integram obſervationem, nec vitæ mercedem promittit, niſi ei qui manſerit in omnibus: ſecus facientibus maledictionem denunciat. cap. 14. S. 12, 13.

II. Reſpondemus deinde quoad poſterius membrum de compenſatione per opera ſupererogationis ſufficienda, nos ſatisfactiones ſupra potenter evertiſſe. Addimus tamen I. Impudenter eos pro confeſſo ſumere, quod nemo ſanus conceſſerit. Volunt, eum qui ex parte legem ſervat, eatenus juſtum haberi. At vero hinc jampridem ſunt excluſi. Deus nullam agnoſcit operum Iuſtitiam niſi in perfecta legis obſervatione. Quid ergo improbius, quam conari paucorum operum fruſtulis per ſatisfactiones redimere quod deeſt? II. Peccatum res eſt coram Deo maxime execrabilis. Hinc colligimus totam hominum Iuſtitiam vel peccati unius cõpenſationi parem eſſe non poſſe. Si unius Adæ delicto abdicati ſumus, & omnem recuperandæ ſalutis rationem amiſimus, nulla ſupereſt ex nobis ſatisfaciendi facultas. III. Nihil Deo gratum eſt, quod ab ejus inimicis eſt profectum. At inimici ſunt omnes quos Deus juſtificare inſtituit. Igitur remiſſa eſſe peccata jam ante oportet, quam ad ullum opus noſtrum Deus reſpiciat. IV. Si gratuita eſt remiſſio peccatorũ, blaſphemant qui ſatisfactiones ullas ingerunt. Ideo præſtat omnium oblviſci, & ad ea quæ ante ſunt contendere, &c. Phil.

Phil. 3. 13. v. Pugnant ſuperogationes cum dicto Chriſti, Luc. 17. 20. Vbi jubemur ſincere fateri nos ſervos eſſe inutiles, feciſſe quod debuimus. Sane Deo non proſumus, ſed cum ea facimus quæ præcepta ſunt, debitas operas reddimus. Quin imo tot obſequiis Deo obſtricti ſumus, quot & quibus defungi non poſſumus, etiamſi omnes cogitationes & omnia membra in legis officia verterentur. Ab hac meta & menſura longiſſime abſumus. Si quis excipiat, nihil obſtare, quo minus ultra officia neceſſaria procedat ejus ſtudium, qui à neceſſariis aliqua in parte ceſſat: Reſp. Falſum ſumi. Quicquid enim vel ad Dei cultum, vel ad dilectionem confert, id omne ſub lege Dei comprehenditur, & neceſſitate nos obligat ut nulla ſuperſit voluntaria liberalitas. VI. Opera ſupererogationis, quæ iſti venditant, meræ nugæ ſunt, quas Deus nunquam imperavit, neque approbat, neq; in judicio acceptas fert, Eſai. 1. 12. & 55. 2. De his ergo facile in umbra diſputatur & ſcholis: at defenſionis fiduciam ad Dei tribunal conferre nequeunt. cap. 14. S. 13, 14, 15.

12. Objici ſolet, Paulum inter Corinthios jure ſuo ceſſiſſe, quo licebat uti ſi libuiſſet, adeoque gratuitam operam ultra officii finem largitũ eſſe, 1 Cor. 9. 1. Reſp. 1. Paulum hoc feciſſe ne infirmis offendiculo foret, 1 Cor. 9. 12. Vtque obviaret fraudulentis doctoribus, qui hac arte favorem ſuis dogmatibus conciliare, Chriſti doctrinam in periculum accerſere ſatagebant. Atqui non eſt res indifferens, præſertim euangelii diſpenſatori, offendiculum incurrere, quo poſſis abſtinere. Fecit ergo, quod facere jure debuit. II. Dicimus, noſtra omnia conditionem eandem habere cum ſervorum peculiis, quæ omnia jure ipſo debentur hero.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

hero. Hinc Chriſtus negat ſervo haberi gratiam, ſi vel totũ diem laboribus impenderit, Luc. 17. 9. Et ut majori induſtria incubuerit ſervus, quam auſi fuiſſemus exigere, nihil tamen fecit, quod non ex conditione ſervitutis debebat. c. 14. S. 15.

13. Verum quo hæc doctrina fiat planior, duæ nobis ex animis abigendæ peſtes. 1. Ne quid fiduciæ. 2. Ne quid gloriæ operibus adſcribamus. Fiducia omni depellimúr, cum docet Scriptura Iuſtitias noſtras omnes fœtere in Dei conſpectu, & nihil poſſe quam irritare Dei ultionem, niſi Chriſti innocentia & Dei miſericordia ſuſtineantur. Ita nihil reliquum eſt, quam ut cum Davide judicem noſtrum deprecemur, Pſal. 143. 2. Itemque cum Iobo cap. 10. 15. fateamur nullam reſtare nobis Iuſtitiam, ubi ad judicium Dei veniendum eſt. Exacta fiducia neceſſe eſt faceſſere omnem gloriationem ex operibus. Eo denique veniendum, ut omne ſemen Iſrael, plantatio gloriæ Dei, tantum in Deo glorietur, Eſa. 46. 20. & 61. 3. c. 14. S. 16.

14. Sed quia ſtultus hic error multorum animos inflat, quod ſuæ ſalutis cauſam in operibus ſitam eſſe putent, inſpiciamus porro quatuor cauſarum genera ex quibus nullam reperiemus in conſtituenda ſalute convenire. Non efficientem, quæ eſt patris cœleſtis miſericordia, & gratuita dilectio. Non materialem. Nam hæc eſt Chriſtus cum ſua obedientia. Non formalem vel potius inſtrumentalem, quam dicimus eſſe fidem: quas tres cauſas ſimul complectitur, Ioh. 3. 16. Non etiam finalem, quæ eſt divinæ Iuſtitiæ demonſtratio & bonitatis laus, Rom. 3. 25. Eph. 1. 5, 6, 7. Quibus locis etiam tres priores commemorat. Ita videmus omnes ſalutis noſtræ particulas extra nos conſtare. Ergo nihil eſſe, cur operibus vel confidamus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

damus vel gloriemur. Ac de cauſa efficiente & finali forte controverſiam ſophiſtæ non movebunt. In materiali & formali fucum faciunt, quaſi dimidiatum cum fide juſtitiaq; Chriſti locum opera noſtra teneant. Sed reclamat ſcriptura, quæ Chriſtum datum nobis eſſe in Iuſtitiam & vitam ſimpliciter affirmat, hanc autem ſola fide poſſideri. cap. 14. Sect. 17.

15. Objicitur, ſanctos innocentiæ & integritatis ſuæ memoria ſeipſos confirmare & ſolari, nec omnino ab ea prædicanda interdum abſtinere, Gen. 24. 40. & 2 Reg. 20. 3. Vnde etiam in timore Domini firma dicitur eſſe ſecuritas, Proverb. 14.26. Reſp. Hoc fieri à piis bifariam: vel quando bonam ſuam cauſam cum impiorũ mala conferunt, atque inde ſecuritatem victoriæ concipiunt, non tam ſuæ Iuſtitiæ cõmendatione, quam juſta adverſariorum damnatione. Qua de re infra dicendum erit. Vel, quod etiam ſine aliena comparatione, dum ſe coram Deo recognoſcunt, nonnullam illis & conſolationem & fiduciam affert propriæ conſcientiæ puritas. Hæc cum ſententia noſtra ſuperiori non pugnant. Nam quoties ſic loquuntur ſancti, nihil ſuis meritis tribuunt, nihil de Dei bonitate aut Chriſti Iuſtitia derogatum volunt. Quin potius, ubi de fundanda ſalute & firmanda ſolide cõſcientia agitur, citra omnem operum reſpectum in ſolam Dei bonitatem Chriſtique Iuſtitiam oculos intendunt, in ea ſola conquieſcunt. Poſtquam ſic fundata eſt & ſtabilita conſcientia, tum vero etiam operum conſideratione ſeipſos erigunt, quatenus ſunt teſtimonia Dei habitantis in nobis & regnantis. Quæ operum fiducia non tam eſt contraria gratiæ, ut potius inde pendeat & ſine ea non ſubſiſtat. Nec valet hoc

argu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

argumentum, niſi quatenus à poſteriori ſumitur. Nam ſi vis argumenti à bonis operibus æſtimetur, nihil erit incertius & infirmius: quia & nullibi timor ille invenitur, qui ſecuritatem plenam firmare queat, & ſancti talis ſibi integritatis conſcii ſunt, cui multæ carnis reliquiæ permixtæ ſunt. Nec male Auguſtinus duas cauſas recenſet, cur opera ſua non auſit Deo venditare. 1. Quia ſi quid bonorum operum habet, illic videt nihil ſuum. 2. Quia id quoq; peccatorum multitudine obruitur. Vnde fit ut plus timoris conſcientia ſentiat quam ſecuritatis. Teſtatur quidem inchoata puritas Dei benevolentiam, ſed ſua imperfectione non minus Dei iram arguit. Præcedat ergo fides bonitatis Dei, quæ nulla alia quam promiſſionis certitudine obſignatur. Sequatur conſcientiæ innocentia, tanquam fructus vocationis & electionis noſtræ, unde liquet, cum in tanta re Deum patrem experiamur, fieri nō poſſe, ut dona ſua non agnoſcat, opus quod inchoavit non perficiat. Sic ex divinæ benevolentiæ ſignis, inter quæ non minimum locum obtinet bonorum operum gratia, fides fulcitur, nec mediocriter ad expectandum Dei auxilium exultans confirmatur. Hoc ordine Paulus quoque beneficia Dei prædicat, ut tamen in gratuito Dei favore ſubſiſtere jubeat, in quo nempe omnia ſunt, Eph. 3. 18, 19. & Rom. 8. 37. cap. 14. Sect. 18, 19, 20.

16. Etiam illud objiciat quiſpiam, quod bona fidelium opera ſcriptura dicit cauſas eſſe, cur illis dominus benefaciat. Reſp. 1. Modo firmum maneat, quod de cauſa efficiente, materiali, formali & finali ſupra aſſeruimus, non repugnamus, quin tanquam cauſæ inferiores conſiderentur. Quos enim Deus ad vitam ex miſericordia deſtinavit,

per

per bona opera in ejus poſſeſſionem inducit. Non quod operibus vita æterna accepta referenda ſit. Quoties enim vera cauſa debet aſſignari, non ad opera ſed ad ſolam Dei miſericordiam confugiendum eſt. Sed quia quos elegit & juſtificat & ſanctificat, poſt etiam glorificat, priorem gratiam, quæ in ordine diſpenſationis præcedit, poſterioris cauſam quodammodo nominat. Atque huc pertinet antitheſis Pauli inter peccatum & mortem, itemque gratiam & vitam æternam, Rom. 5. 23. Quæ alioquin rite non conſtaret niſi intellexiſſet meritis hominum deberi mortem, vitam non niſi in ſola Dei miſericordia eſſe repoſitam. 11. Aſſerimus iſtis locutionibus non tam cauſam quam rerum ſeriem notari: quia Deus gratias gratiis cumulando, ex prioribus cauſam ſumit addendi ſecundas, ne quid ad liberalitatẽ ejus deſit. Interim ad gratuitam electionem, quæ donorum illorum fons eſt, reſpicere nos ſemper convenit. Dona quidem ſua Deus amat, ſola tamen gratuita acceptatio fulcire animas noſtras poteſt. Noſtrum vero eſt dona Spiritus Sancti ita ſubnectere primæ gratiæ, ut ei nihil derogent. cap. 14. S. 21.

17. Hactenus quod precipuum eſt in hac cauſa expedivimus, nempe Iuſtitiam noſtram non fulciri operibus: 1. Quia neceſſe eſſet corruere, quod ſcriptura aſſerit, eam ſola Dei miſericordia, ſola Chriſti communione, ideoque ſola fide contineri. 2. Etſi admittamus, bona opera apud Deum eſſe alicujus pretii, nondum tamen evicta eſt operum juſtificatio. Hæc enim in perfecta & abſoluta legis obſervatione conſiſtit, quæ nullius ne minimæ quidem transgreſſionis argui queat. Cæterum hinc detruſi tamen de meritis operum coram Deo quæſtionem movent Scholaſtici, & utcunque ſatis

 demon-

demonſtratum fuerit non ſufficere opera ad hominem juſtificandum, acriter tamen contendunt apud Deum gratiam promereri. Hanc ergo quæſtionem ſeparatim tractemus. cap. 15. S. 1.

18. Primum de meriti nomine dicimus, male illud operibus humanis ad Dei judicium comparatis aptari; 1. quia eſt vocabulum extraneum à ſcripturis, quod multum parit offendiculi, fructus minimum. 2. quia eſt vox faſtuoſa, nec niſi obſcurare Dei gratiam & homines prava ſuperbia imbuere poteſt. 3. quia precium bonorum operum ſignificanter alio nomine citra offendiculum explicari poteſt. Fatemur quidem vetuſtos autores hac voce uſos eſſe, ſed addimus 1. alio ſenſu quam poſteri fecerunt, qui hujus voculæ abuſu erroris materiam ſumſerunt. 2. ſic uſi ſunt, ut tamen veritati præjudicare noluerint: quemadmodum conſtat ex variis Auguſtini, Chryſoſtomi, Bernhardi locis, quibus non tantum merita gratię opponunt, ſed illa ipſa quoque homini adimunt, ut ſolam Dei miſericordiam ſtabiliant. c. 15. S. 2.

19. Rem ipſam quod attinet, merita operum bonorum proprie dicta nulla agnoſcimus. I. Quia Scriptura docet, illa perpetuo aſperſa eſſe multis ſordibus, quibus merito Deus offenditur, tantum abeſt, ut vel conciliare nobis illum queant, vel ejus erga nos beneficentiam provocare. II. Quia licet pura eſſent, nihil tamen promererentur, eo quod debita ſint. Nam cum omnia fecerimus, quæ præcepta ſunt, nihil gratuitum Domino impendimus, ſed debitis officiis functi ſumus, quibus non eſt habenda gratia, Luc. 17. 10. III. Quia quicquid in operibus eſt, quod laudem meretur, mera Dei gratia eſt. Neq; enim bonorum operum laus inter Deum & hominem partienda, ſed tota & illi-

illibata Deo eſt ſervanda. Quod bona ſunt, à Deo habent, qui in nos illa contulit. Quod Deo accepta ſunt eique placent, ex eo eſt, quod pro ſua indulgentia, non jure ſummo ea examinat. Quod ampliſſima beneficia remunerationis loco referunt, non inde fit quod ita mereantur, ſed quia divina benignitas hoc illis ex ſe ipſa pretium ſtatuit. Si quid hominis quæris, illud invenies probrum, quod ea ipſa, quæ bona ſunt, ſua impuritate polluit. cap. 15. S. 3, 4.

20. Eſt ergo magna malignitas & ſacrilega ambitio, operum meritis velle rependi, quod totum eſt divinæ munificentiæ. Si uſufructuarius proprietatis titulum ſibi vendicare audeat, aut manumiſſus pro ingenuo ſe venditet, ingratiſſimi & pœna digni cenſebuntur. Noſtrum eſt nec plus nobis arrogare quam datum eſt, nec boni autorem ſua laude fraudare. Hæc ſi erga homines præſtanda ſunt, multo magis Deo debentur. c. 15. S. 3.

21. Adhæc, quid opus nobis eſt noſtris meritis, cum Chriſti merita ſufficiant? Certe aliud fundamentum poni non poteſt quam Ieſus Chriſtus, 1 Cor. 3. 11. Iam vero Paulus, qualiter Chriſtus fundamentum ſit, ante docuerat, cum ait ipſum datum eſſe in Iuſtitiam, 1 Corinth. 1. 30. Proinde non merita noſtra, ſed Chriſtus noſtra eſt Iuſtitia, cujus participatione omnia illius noſtra ſunt, ſic ut qui in nobis nihil habemus, in ipſo omnia poſſideamus, ſapientiam, Iuſtitiam, puritatem, redemptionem, vires & poteſtatem contra Sathanam portasque inferorum, denique ipſam vitam. In ipſo electi, liberati, adoptati, reconciliati, ſervati, extra omne periculum poſiti, & in regnum Dei per ſpem ingreſſi, 1 Cor. 1. 30. & Eph. 1. 4. Coloſſ. 1. 14. & 20. Errant ergo qui

moralia quædam opera bona comminiſcuntur, quibus gratioſi Deo reddantur homines antequam Chriſto inſeruntur. Nam Scriptura teſtatur, omnes eſſe in morte qui filium non poſſident. Item peccatum eſſe quidquid fit extra fidem. Denique arboris malę non poſſe extare bonos fructus, 1 Iohan. 5. 12. Rom. 14. 23. Non poſſumus ergo vitæ materiam generare. cap. 15. S. 5, 6.

22. Adverſus hæc ſophiſtæ primum contendunt nomen meriti in ſcripturis reperiri, & citant loca, Eccl. 16. 14. Hebr. 13. 2. ex vulgata verſione. R. Vtrunque locum corruptiſſime citari. In Eccleſiaſtico dicitur unumquemq; inventurum ſecundum opera ſua. Ad Hebræos nihil habetur aliud quam tales hoſtias placere Deo. Nulla hic meriti mentio. cap. 15. S. 4.

23. Argumenta noſtra diſtinctiunculis illudere conantur. I. Quidam ajunt bona opera meritoria eſſe gratiarum, quæ nobis in hac vita conferuntur: ſolius fidei præmium eſſe æternam ſalutem. Reſp. Nos hanc diſtinctionem non recipimus. 1. quia merces laborum & certaminis corona fere ſemper in cœlo à Domino ſolet collocari. 2. quia operum merito ſic tribuere ut gratiæ adimatur quod aliis ſuper alias gratiis à Deo cumulamur, eſt contra ſcripturam. c. 15. S. 4.

24. Objiciunt quod dicitur, Habenti dabitur. Item, Servus qui in parvis ſe fidelem geſſerit, ſuper multa conſtituetur, Matth. 25. 21. 29. Reſp. Vtrumque verum eſſe. Nempe tum ſalutis adminicula & incrementa gratiæ, tum ipſam beatitudinem eſſe meram Dei beneficentiam, Eſa. 55. 1. Et tamen & in hac & in illis Deum habere operũ rationẽ; quia non nos tantum, ſed etiam quæ nobis largitus eſt dona, tali honore dignatur. c. 15. S. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

25. II. Ne Chriſto videantur derogare, ajunt Chriſtum nobis meruiſſe primam gratiam, hoc eſt, occaſionem merendi: noſtrum eſſe occaſioni oblatæ non deeſſe. Vel initium ſalutis eſſe à Chriſto, complementum à nobis ſequi. Reſp. Hoc eſt Chriſtum virtute ſua impie denudare. Qui credunt, dicuntur juſtificati, jam habere vitam, tranſiiſſe à morte in vitam, hæredes facti eſſe vitæ æternæ, habere filium in ſe manentem, cum ipſo ſedere in cœleſtibus, traducti eſſe in regnū Dei, & ſalutem conſecuti, 1 Iohan. 5. 12. Ioh. 5. 24. Rom. 3. 24. 1 Ioh 3. 23. Eph. 2. 6. Coloſſ. 1. 13. Falſum proinde, aut comparandæ Iuſtitiæ aut ſalutis tantum acquirendæ viam vel facultatē Chriſti fide contingere, cum utrumque nobis donetur, & per fidem non merendi duntaxat opportunitatem, ſed omnia Chriſti merita conſequamur. cap. 15. Sect. 6.

26. III. Ne meritis operum fidem ſuſtuliſſe videantur, ſic juſtificationem, quæ fit per fidem, interpretantur, ut à fide habeant bona opera quod ad Iuſtitiam valeant. Sed ſupra demonſtratum fuit fidē ſolam juſtificare ſine operibus. Hinc ſequitur eos reipſa negare quod verbo fatentur. c. 15. S. 7.

27. IV. Quia vident bona opera non poſſe merita proprie vocari, ſi divinę gratiæ fructus cenſeantur, ex vi liberi arbitrii conantur merita elicere: & quidem principalem cauſam in gratia eſſe non negant, tamen contendunt non excludi liberum arbitrium, per quod ſit omne meritum. R. 1, Hoc eſt ſuffurari Deo laudem ſuam, ut ad hominem transferatur. 2. Aliter docuit Auguſtinus & poſt eum ſibi contradicens Lombardus. 3. Sufficit unicus Pauli locus, Eph. 2. 10. quo Chriſtianis interdicit omni gloriatione & rationem adfert,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quia Dei factura ſumus, creati in Chriſto ad bona opera. Nihil ergo boni à nobis prodit, niſi quatenus ſumus regenerati. Atqui regeneratio tota citra exceptionem Dei opus. Proinde noſtrum nihil relinquitur. Qui plura deſiderat, inſpiciat ſuperiorem diſputationem de libero arbitrio. c. 15. S. 7.

28. Denique ad omnem meriti exploſionem vel illud ſatis eſſe poteſt, quod dum adverſarii bona opera inculcant, ſic interim conſcientias inſtituunt, ut confidere nunquam auſint ſe Deum propitium operibus ſuis habere. Ex adverſo noſtra doctrina vera conſolatione fidelium animos erigit, quando ſciunt, ſe Deo in operibus ſuis placere, nullum vero opus ſine fide aggredi debere. Quo fundamento poſito, ſapientes architecti facile ſuperædificabunt, tum doctrinam & exhortationẽ, tum firmam conſolationem. Hortationem rite inſtituent ad omnia officia pietatis & ſanctitatis à fine adventus Chriſti, 1 Ioh. 3. 8. ab electione & vocatione noſtra, 2 Tim. 2. 20. 1 Pet. 4. 3. Luc. 3. ℣. 23. & à Chriſti exemplo. Porro mirificam conſolationem adverſus crucem & afflictiones præbebunt promiſſiones perpetui auxilii divini, & quod Chriſto configuramur non tantum in cruce, ſed etiam in futura vita & gloria, 2 Timot. 2. 11. Phil. 3. 20. Rom. 8. 29. 39. c. 15. S. 7, 8.

29. Concludimus, non juſtificari hominem ex operibus coram Deo, ſed omnes qui ex Deo ſunt, regenerari & novam creaturam fieri, ut ex regno peccati tranſeant in regnum Iuſtitiæ, atque hoc teſtimonio certam facere vocationem ſuam & tanquam arbores à fructibus judicari. c. 15. S. 8.

30. Hoc uno verbo facile refutantur impiæ quorundam calumniæ. I. Cauſantur per fidei juſtificationem aboleri bona opera. Reſp. 1. Hoc

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

in ipſos Zelotas operum potius quadrat, qui licentioſæ vitæ obſcenitate totum mundum inficiunt. 2. Per illam fidei doctrinam bona opera magis ſtabiliuntur. Neque enim fidem ſomniamus aut juſtificationem bonis operibus vacuam. Equidem, aſſerimus non in operibus ſed in fide noſtram Iuſtitiam poſitam eſſe: addimus tamen fidem & bona opera neceſſario cohærere. Idque ex communione Chriſti evidenter colligimus. Fide Chriſtum apprehendimus, qua ſola Deo reconciliamur. Hanc autem apprehendere non poſſumus, quin & ſanctificationem ſimul apprehendamus. Datus enim eſt Chriſtus non in Iuſtitiam tantum, ſed etiam in ſanctificationem. Sunt ergo hæc duo beneficia perpetuo nexu inter ſe conjuncta. Et cum Chriſtus ſeſe nobis donat, utrumque ſimul largitur, non alterum ſine altero. Proinde quicunque Chriſtum poſſidet, illum totum poſſidet, nec Iuſtitiæ tantum, ſed & ſanctificationis fit particeps. cap. 16. S. 1.

31. II. Calumniantur abduci hominum animos ab affectu bene agendi, quum illis bene merendi opinionem tollimus. Reſp. 1. Inſulſe eos ratiocinari à mercede ad meritum, quod plenius infra demonſtrabitur. 11. Falſo ſupponunt nullam fore curam vitæ bene inſtituendæ, niſi propoſita ſpe mercedis. Nam 1. Qui tantum mercedem ſpectant quum Deo ſerviunt, parum proficiunt. Deus vult gratis coli & gratis amari. Verus ille cultor eſt, qui etiam præciſa omni ſpe mercedis, tamen Deum colere non deſinit. 2. Scriptura nobis alia hujus rei efficaciſſima proponit argumenta, à redemtionis & vocationis noſtræ fine petita. Vt exempli cauſa: redamandum eſſe eum qui nos prior dilexit, 1 Iohan. 4. 10. 11. nos ſan-

guine Chriſti mundatos eſſe ab operibus mortuis, ut ſerviamus Deo, Hebr. 9. 14. ſacrilegium eſſe, ſi mundati novis ſordibus nos inquinemus, & ſanguinem filii Dei profanemus, Hebr. 10. 22. 29. liberatos nos eſſe ab hoſtibus ut ſemper Deo ſerviamus, Luc. 1. 74. item, peccato mortuos eſſe ut Iuſtitiam colamus: veterem hominem eſſe crucifixum, ut in vitæ novitatem reſurgamus, Rom. 4. 6. 11. 12. 18. quærenda nobis eſſe quæ ſurſum ſunt, ubi Chriſtus eſt, Coloſſ. 3. 1. 2. apparuiſſe Dei gratiam ut pie juſte & ſobrie vivamus, &c. Tit. 2. 11, 12, 13, 14. nos non eſſe conſtitutos ad iram, ſed ad ſalutem & ut cum Chriſto vivamus, 1 Theſſ. 5. 9. nos eſſe templa Spiritus Sancti, & filios lucis & vocatos ad ſanctitatem, 1 Cor. 3. 16. Eph. 2. 21. & 5. 8. 1 Theſſ. 5. 4. 5. 2 Cor. 6. 16. hanc eſſe Dei voluntatem, noſtram ſanctificationem, 1 Theſſ. 4. 3. 7. vocationem noſtram eſſe ſanctam, 2 Tim. 1. 9. His adde alia argumenta incitantia ad charitatem & ſanctitatem à dilectione Dei, Ioh. 13. 10. 1 Ioh. 4. 12. A diſcrimine filiorum Dei & Diaboli, 1 Ioh. 3. 10. A communione noſtra cum Chriſto, 1 Cor. 6. 17. A Dei ſanctitate, 1 Ioh. 3. 3. A promiſſione adoptionis noſtræ, 2 Cor. 7. 1. Ab exemplo Chriſti, Eph. 5. 2. A Dei miſeratione, in qua ſola Paulus ſalutem noſtram ponit, & ab illa poſtea ad parenæſes ſuas deſcendit, Rom. 12. 1. A Dei gloria, cui nos ſtudere conveniat, Matth. 5. 16. Ab infinitis Dei beneficiis, quæ nos ad bene agendum ſufficienter poſſunt commovere. Quocirca mentiuntur adverſarii, cum dicunt nos nihil habere, quo ad bona opera nos & alios hortemur, ſcilicet, quia ſervilia & coacta legis obſequia ingerendis meritis non urgemus, quibus Deum non valde delectari conſtat,

quum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quum profiteatur ſe hilarem datorem diligere, & quidquam dari vetet ex triſtitia aut neceſſitate, 2 Cor. 9. 7. Interim III dicimus nos non reſpuere illud adhortationis genus, quod ſecundum ſcripturam à mercedis commemoratione deſumitur. Sed negamus vel unicum eſſe vel præcipuum argumentum: non concedimus inde exordium eſſe ſumendum: contendimus nihil valere ad extruenda merita: denique dicimus, non habere uſum, niſi prius doctrina de ſolo Chriſti merito & gratuita per fidem juſtificatione animos præoccupaverit. Quo ordine principium rite colendi Dei Pſaltes ponit in fiducia miſericordiæ Dei, ſimulque timorem in peccatorum venia fundatum omni opinione meriti ſpoliat, Pſalm. 130. ℣. 4. cap. 16. Sect. 2, 3.

32. III. Calumniantur, poſita Iuſtitia in gratuita Iuſtificatione homines invitari ad peccandum. Reſp. Hoc eſt falſiſſimum. Primo, tanti dicimus eſſe Iuſtitiam, ut nullo noſtro bono penſari poſſit, nec unquam impetrandam, niſi foret gratuita. Nobis inquam, non Chriſto, cui ſacratiſſimi ſanguinis pretio conſtitit, quod ſolum Iudicio Dei poterat ſolvere. Hinc conſequens eſt, peccatis ſacrum illum ſanguinem denuo, quantum eſt in hominibus, effundi: adhæc tantam eſſe peccati fœditatem, ut non niſi hujus puriſſimi ſanguinis fonte unquam eluatur. Hæc qui audiunt, majorem debent concipere horrorem peccati, quam ſi doceantur bonis operibus purgari. Et ſi quid timoris Dei habent, horrebunt ſemel purificati denuo ſeipſos inquinare, & hujus fontis puritatem conturbare, Cant. 5. 3. Deinde idem ſententiarum collatio evincit. Quæritur, utri viliorem faciant peccatorum remiſſionem, & Iuſtitiæ dignitatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

magis proſtituant. Illi Deum frivolis ſatisfactionibus placari nugantur. Nos & peccati noxam & Dei offenſam graviorem eſſe aſſerimus, quam ut his nihili ſatisfactionibus expietur, aut remittatur. Rurſum illi Iuſtitiam, ſicubi deficiat, reparari dicunt ſatisfactoriis operibus. Nos precioſiorem eſſe dicimus, quam ut æquari ulla operum compenſatione queat: ideo ut reſtituatur, ad ſolam Dei miſericordiam eſſe confugiendum. Iudicet nunc lector utri de Iuſtitia Dei convenientius ſentiant & loquantur. cap. 16. S. 4.

35. Hactenus oſtendimus nos non eſſe bonorum operum inimicos etſi illis juſtificationem detrahamus. Nunc alia argumenta adverſariorum excutienda ſunt, quibus hanc doctrinam impetere ſolent. Et primo quidem valde urgent legales promiſſiones quas legis ſuæ cultoribus Deus edidit, quarum ſumma eſt, in legis obſervantia propoſitam eſſe benedictionem & vitam, Deut. 7. 12. & 11. 26. Ier. 7. 3. 23. Hinc concludunt aut irritas & inefficaces eſſe promiſſiones, aut non ſolius eſſe fidei juſtificationem. Reſp. 1. Si in ſe tanquam merita & quo ad nos conſiderentur, omnes irritas & inefficaces eſſe non ſuo ſed noſtro vitio. Conſtat enim promiſſiones illas factas eſſe perfectis cultoribus legis, qualis nemo reperitur. Ideo opus eſt ut primum è poteſtate legis exeamus & velut ab ejus ſervitute in libertatem aſſeramur. Non carnalem aliquam quæ ad effrænem licentiam invitet, ſed ad ſpiritualem, quæ perculſam conſcientiam erigat, & liberam oſtendat à maledictione & damnatione legis. Hoc porro fit quando Dei bonitas per euangelium ſuccurrit, & cum per fidem apprehenſa Dei miſericordia in Chriſto certi reddimur de peccatorum remiſſione. Nec

vero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

vero ſic opitulatur Dominus, ut partem juſtitiæ in operibus nobis relinquat, partem ex ſua indulgentia ſufficiat, ſed quia nullum ex legis obſervatione fructum referre poſſumus, idque noſtra pravitate, & quia legem non implemus, ſepoſita lege ſolum Chriſtum pro juſtitiæ complemento aſſignat. Vtrumque docetur variis locis, Gal. 2. 16. ideo dicuntur fideles crediſſe in Ieſum, quod ex operibus legis non juſtificatur homo: certe non hoc ſenſu, ut adjuvarentur ad juſtitiæ ſummam ex fide, ſed ut hac ſola juſtificarentur: quo ipſo juſtitiæ legis renuntiant. Ita David Pſal. 19. 12. poſtquam legem ſuis elogiis ornaſſet, deſcendit ad peccatorum confeſſionem, quibus lex exinanitur. Atque hoc ipſum obſervat Pſal. 25. 10. 11. Vbi retributionis meminit quam Dominus ſervis ſuis præparavit, in peccatorum tamen recognitione eorundemque gratuita propitiatione Deique clementia præſidium ſuum collocat. Sic Apoſtolus, Rom. 10. 5. promiſſionem legis, Qui fecerit ea, vivet in illis, Levit. 18. 5. nullius momenti eſſe docet, ſi in illa conſiſtere velimus, quia omnes etiam ſanctiſſimi procul abſunt à legis complemento, multis vero transgreſſionibus ſunt circumdati. Fatemur ergo in lege expoſitam eſſe Dei benevolentiam ſi eam operibus demereri poſſemus. Sed quia illorum merito nunquam ad nos pervenit, neceſſe fuit euangelicas promiſſiones ſubſtitui, quæ gratuitam remiſſionem peccatorum denunciant. 11. Illa remiſſione poſita nos non tantum acceptos fieri Deo, ſed operibus quoque noſtris ſuam eſſe gratiam, adeo, ut etiam benedictiones lege promiſſas conſequantur. Cujus triplicem cauſam eſſe reperimus. Prima, quod ſine operum intuitu perſonas noſtras in Chriſto complectitur.

Altera,

Altera, quod opera fidelium non ex dignitate eorum, ſed pro paterna indulgentia huc honoris attollit, ut alicujus precii habeat. Tertia, quod ea ipſa cum venia ſuſcipit, non imputata imperfectione qua alioquin inquinata ſunt. Hoc ſenſu legis promiſſiones ſuam in fidelibus habent efficaciam. cap. 17. S. 1. 2, 3.

34. Hinc vanitas diſtinctinctionis illius eluceſcit, qua dicitur, non intrinſeca ſua bonitate valere opera ad demerendam ſalutem, ſed ex pacti ratione, quia Dominus ſua liberalitate tanti illa æſtimat. Reſp. Ita ſecundam tantum liberalitatis cauſam urgeri, & valde inconſequenter ad ſtabiliendum meritum: primam & tertiam cauſam, quæ præcipuæ ſunt, ſupprimi. Obſervaſſe debuerant Sophiſtæ, quantum opera noſtra à promiſſionum conditione abſint, niſi fides & peccatorum remiſſio, qua bona opera neceſſe habent à maculis abſtergi, præcedat. c. 17. S. 3.

35. Citant ad ſententiæ ſuæ probationem locum, Act. 10. 34, 35. *In omni gente, qui facit juſtitiam, acceptum eſſe Deo.* Hinc ſibi videntur firmiter colligere, non ſolius Dei eſſe beneficium quod homo ſalutem conſequitur, ſed ita Deum ex miſericordia ſuccurrere, ut operibus ad miſericordiam flectatur. Reſp. Scripturam ponere duplicem hominis acceptionem apud Deum. Primam, quæ nullam hominis juſtitiam ſpectat, ſed purum eſt divinæ erga miſeros & hoc beneficio indigniſſimos peccatores bonitatis documentum. Conſtat enim hominem nudum eſſe & egenum omnis boni, contra omni malorum genere plenum & oneratum, quum primum à Deo ſuſcipitur. Adeoque in homine nihil ſecundum ejus naturam reperiri, quo ad miſericordiam inclinetur,

præter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

præter unicam miſeriam. Faceſſat ergo meritorum inanis imaginatio. Nec juvat adverſarios, quod Cornelii orationes & eleemoſynæ dicuntur veniſſe in conſpectum Dei. Vnde inferunt hominem bonorum operum ſtudio præparati ad recipiendam Dei gratiam. Iam enim Cornelium ſpiritu ſapientię illuminatum & ſanctificatum ab eodem eſſe oportuit, quem timore Dei præditum & juſtitiæ cultorem fuiſſe audimus: quæ ipſa ſunt fructus Spiritus S. Gal. 5. 5. Quocirca omnia quæ Deo placuerunt in Cornelio, ab ipſa gratia fuerunt, non proprio marte comparata. Sequitur, nullam eſſe cauſam Deo recipiendi hominis, niſi quod ſuam in illo liberando miſericordiam exercet, quem, in ſe perditũ, perire non vult. c. 17. S. 4.

36. Altera ratio cur Deus acceptet hominem ex eo eſt, quod fideles, ſegregati per gratiam adoptionis, Spiritu S. regenerantur in novam vitam. Hinc etiam Deo approbantur, operum quoque reſpectu: quia Deus non poteſt non amare & amplecti, quæ per Spiritum ſuum in illis efficit bona: ſic tamen ut hæc ipſa dignatio ſit ex gratuito Dei amore, quo ſuos complectens adjectione novæ creaturæ liberalitatem ſuam auget. Nam alioquin nec opera bona haberent, niſi Deus vera puritate illos exornaret, nec verè bona reputarentur ac ſi nihil illis deeſſet, niſi nævis & maculis, quæ illis adhærent, veniam benignus pater indulgeret. Ergo non alius eſt ſenſus, quam Deo gratos eſſe filios, in quibus imaginis ſuæ reparationem conſpicit, vitamque ad ſanctitatem & juſtitiam compoſitam. Sed quia adhuc peccati habent reliquias, & opera ipſorum bona inchoata tantum ſunt, & carnis vitium redolentia, neque illis neque his propitius eſſe poteſt niſi in Chriſto magis quam

in

in ſe ipſis amplexaretur. Hæc eſt illa acceptio, de qua Petrus loquitur, Act.10. c.17. S. 5.

37. In hunc modum accipiendi ſunt loci, Deuter.7.9. 1 Reg.8.23. Nehem. 1. 5. quibus Deus clemens ac miſericors eſſe dicitur Iuſtitiæ cultoribus. Etſi enim in omnibus miſericordiæ pactis ſanctimoniam vitæ à ſervis ſuis viciſſim ſtipulatur, ut hac via in officio eos contineat, nihilo tamen minus fœdus ipſum & initio gratuitum eſt & perpetuo tale manet. Eademque eſt ratio mercedis, quam David prædicat puritati ſuæ redditam, 1 Sam. 22. 21. Nam ibidem ℣. 20. fontem hujus gratiæ commemorat, *quia Deus ipſum dilexit.* Ita ergo cauſæ ſuæ bonitatem commendat, ut tamen nihil deroget gratuitæ miſericordiæ, quæ dona omnia, quorum origo eſt, prævenit. cap. 17. Sect. 5.

38. Hactenus ſatis abunde ad argumentum de legis promiſſionibus reſponſum eſt. Addimus tamen 1. Euangelicas promiſſiones à legalibus eſſe diſcernendas. 2. Legales vocamus, quæ proprie ad legis miniſterium pertinent. His, ſub conditione, ſi fiat quod præcipitur, paratam eſſe remunerationem dicimus. Hæc nulli contingit quia conditio non impletur. 3. Ad euangelicas promiſſiones referimus eas, quæ ex pacto miſericordiæ fiunt iis qui Deum diligunt, & ejus legem obſervant. In his tamen negamus cauſam exprimi, cur illis Deus benefaciat, ſed demonſtrari dicimus, quales ſint illius ſervi qui bona fide fœdus ejus ſuſceperint: omnes enim iſtæ promiſſiones ad hunc finem diriguntur, ut ſciamus amandum & colendum eſſe beneficiorum autorem. Sic ergo ab officio filii deſignantur, ut Deum patris loco venerentur, & ſanctæ ſuæ vocationi reſpondeant. Nec

tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tamen idcirco complementum miſericordię pendet à fidelium operibus, ſed ideo promiſſionem ſuam Deus implet, quia in filiis germana filiorum ſuorum inſignia agnoſcit. Quo ſenſu accipimus notas filiorum Dei deſcriptas, Pſal. 15. & Eſai. 33. ℣. 14. Non enim firmamentum, quo fideles coram Deo ſubſiſtunt, ſed modum indicant, quo in ſuum conſortium Deus nos introducit, & in illo tuetur atque conſervat. Cauſam ſi quærimus, eam ſitam eſſe dicimus in Dei miſericordia, qua fit, ut perpetuo tueatur eos, quos adoptavit. Si de modo quæſtio eſt, tum ad regenerationem ejusque fructus cum ſcriptura deſcendimus. c. 17. S. 6.

39. II. Opponunt loca quæ bona opera Iuſtitiæ vel juſtificationis titulo inſigniunt, Deut. 6. 25. & 24. 13. Vnde concludunt, ſi ex operibus eſt Iuſtitia, falſum eſſe nos ſola fide juſtificari. Et hoc ipſorum argumentum non minus arguere, quam noſtrum à fide deſumptum. Reſp. I. Promiſſiones has eſſe legales, quæ annexæ cum ſint conditioni impoſſibili, nihil probant. II. Vocem Hebraicam חקים, quę edicta potius ſignificat, incurioſe tranſlatam eſſe pro juſtificationibus. III. Damus legem Dei perfectam Iuſtitiam continere. Etſi enim fateri convenit nos ſervos eſſe inutiles, etiam quando plena legis obedientia functi ſumus, tamen agnoſcimus abſolutã legis obedientiam eſſe Iuſtitiam, & mandati uniuscujusque obſervationem eſſe juſtitiæ partem, quandoquidem Deo placet eam honore Iuſtitiæ dignari. Sed inter homines extare talem Iuſtitiæ formam negamus. Ideo legis Iuſtitiam tollimus, non quod per ſe manca ſit, aut mutila, ſed quia propter carnis noſtræ infirmitatem nuſquam compareat. IV. Nec refert, quod non præceptis tantum, ſed ipſis operibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſanctorum nomen illud Iuſtitię tribuitur, ut Luc. 1. ỳ. 6. Nam 1. Lucas ex recepta græca verſione loquitur. 2. Quia totam legem non obſervamus, Iuſtitiam ex lege ejus transgreſſione qualibet corrumpimus. v. Sic ergo diſtinguimus. Si legem in ſe reſpicias, & totam legem & ſingula ejus mandata vere eſſe Iuſtitiam. Si homines ſpectes à quibus fiunt, Iuſtitiæ laudem non mereri ex uno vel altero opere, tum, quia hoc aliqua ex parte propter imperfectionem ſit vitioſum, tum, quod in multis deprehendantur transgreſſores. c. 17. S. 7.

40. III. Objiciunt ea ſcripturæ loca quibus aſſeri videtur hominem bonis operibus juſtificari. In his primum locum tenet quod zelus & factum Phinees ipſi dicitur imputatum ad Iuſtitiam, Pſal. 106. 30. Ex conſimili phraſi Paulus firmum argumentum deſumit ad probandam fidei Iuſtitiam ad Gal. 3. 6. Sophiſtæ contendunt, utrinque eandem eſſe rationem, nec fide ſola, ſed & operibus hominem juſtificari. Reſp. 1. Sic Apoſtolo contradici & argumentationem ejus prorſus everti. Paulus audacter concludit, Iuſtitia operum excluſos eſſe, quicunque ex fide juſtificantur. Hinc pari fiducia colligit, neminem operibus, aut ullo adminiculo operũ juſtificari. Argumentatur ergo ex oppoſitis, quæ ſimul ſtare nequeunt. 11. Aliud eſt diſputare, quid opera per ſe valeant, aliud quo loco poſt ſtabilitam fidem cenſeantur. Per ſe & ſua dignitate indigna ſunt, quæ in Dei conſpectum prodeant. Ideo ſola fide juſtificamur, per quam, reconciliationem cum Deo & remiſſionem peccatorum in Chriſto, & audaciam accedendi ad Deum obtinemus. Hac remiſſione peccatorum præpoſita, quæ jam ſequuntur bona opera, aliam quam à merito ſuo æſtimationem recipiunt. Nam quic-

quicquid eſt in illis imperfectionis & nævorum, Chriſti perfectione & puritate contegitur & ſepelitur. Ita quæ à fidelibus bona opera fiunt, in Iuſtitiam imputantur, hoc eſt, cenſentur juſta. III. Dicant nobis qui hæc objectant ad oppugnandam fidei Iuſtitiam, an putent hominem cenſeri juſtum ob unum aut alterum opus, etſi reliquis vitæ operibus legem transgrediatur. At hoc plusquam abſurdum eſt. Si reſponderint, Ob multa bona opera: quid fiet ergo legi quæ maledictionem denuntiat non implenti ad ultimum uſque mandata omnia? Apparet enim neminem inveniri qui non prçvaricationis aliqua in parte reus teneatur. Tum vero oſtendant nobis ullum opus, quod nullius impuritatis aut imperfectionis argui mereatur. Duplici ergo nomine nullum erit bonum opus, quod Iuſtitiæ nomen merito retinere queat, tum ex appoſitis ſibi transgreſſionibus, tum ex ſua ipſius corruptione pollutum. IV. Si, qualiscunque cenſetur operum dignitas & Iuſtitia, à fidei juſtificatione tota dependet, certe ſub eam includi, & tanquam effectus cauſæ ſuç ſubordinari debet, non autem erigi ad illam deſtruendam vel obſcurandam. Conſtat fidei juſtificationẽ eſſe principium, cauſam, fundamentum Iuſtitiæ operum. Quocunque tandem nomine veniant, quin imo grata Deo eſſe dicantur, ac ſi perfecta & abſoluta forent, aliunde tamen hoc non obtinent, niſi quod cum venia ſuſcipiuntur. Hæc autem à ſolius Chriſti merito dependet, quem dum fide apprehendimus, non nos tantum juſti, ſed & opera fidelium juſta habentur apud Deum. Illic iniquitates noſtrç Chriſti innocentia conteguntur. Hic quidquid eſt vitii, Chriſti puritate ſepultum non imputatur. Commendentur ergo poſt gratuitam juſtificatio-

nem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nem opera, ſic tamen ut officium juſtificandi cum fide non partiantur. Quod niſi in ſolidum fidei ſervatur, operum mundities nulla erit. v. Idem ex ſimilibus locis demonſtramus. Paulus ex Pſal. 32. 1. extorquet, beatitudinem, hoc eſt, juſtificationem noſtram Dei miſericordia, non operibus conſtare, Rom. 4. 7. Iam vero multa ſunt elogia quæ beatitudinem paſſim operibus aſcribant, Pſ. 112. 1. & 1. 1. & 106. 3. & 119. 1. Proverb. 14. 21. Iacob. 1. 12. Matth. 5. 3. Hæc ſi quis urgere contendat, an efficiet quominus vera ſit argumentatio Pauli? Certe quæcunque illa ſint, nunquam ita in homine ſunt, ut ſine venia eum à miſeria eximant. Et nunquam ullius ex iſtis fructum percipiet peccator, donèc beatitudinem remiſſione peccatorum adeptus fuerit. Hæc tum demum illis quoque elogiis locum facit, ut merito non præcipua tantum, ſed unica beatitudo dici mereatur. cap. 17. S. 8, 9, 10.

41. Hinc porro facile eſt reſpondere ad illa ſcripturæ loca, quibus appellatio *juſtorum* fidelibus tribui ſolet, facta nuncupatione à vitæ ſanctimonia. Conſtat enim, pios magis in̄ hoc Iuſtitiæ ſtudium incumbere, quam Iuſtitiam ipſam implere. Ergo par eſt ut fidei juſtificationi cedat, unde habet id quod eſt. cap. 17. S. 10.

42. Adhæc citant locum Iacobi c. 2. 21. quem ajunt aperte nobis contradicere, cum docet, Abrahamum ex operibus fuiſſe juſtificatum, & nos non fide tantum ſed etiam operibus juſtificari. Reſp. 1. Quandoquidem Paulus plane contrarium aſſerat, & uterque Apoſtolus ductu Spiritus Sancti ſcripſerit, non poſſit autem Spiritus ſecum pugnare, quærenda eſt utriusque concordia. 11. Talis primo omnium Iuſtitiæ meta ſtatuenda eſt quæ

ſuam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſuam conſcientiis tranquillitatem reddat. Hanc Pauli diſputatio exhibet in ponenda gratuita juſtificatione per fidem ſolam. Hic ergo pedem figant adverſarii, ne, dum temere doctrinam Pauli arrodunt, omnem ſimul Iuſtitiæ certitudinem convellant. III. Negamus ſententiam Iacobi ſententiæ adverſariorum ſuffragari, aut cum Pauli dictis pugnare. Id oſtendimus 1. ex ſcopo. Iacobus enim non definit rationem noſtræ juſtificationis, nec veræ fidei vim ulla ex parte diminuit: ſed quia res ipſi erat cum malis Chriſtianis, qui propria fidelium opera negligentes ac omittentes, falſo tamen fidei nomine gloriabantur, ſtultam hanc fiduciam ſolide illudit. 2. Paralogiſmum cõmittunt in voce fidei. Paulus de vera fide Chriſtiana, Iacobus de inani fidei opinione diſſerit, cui per conceſſionem fidei nomen tribuit. Id ex toto contextu liquet. Loquitur de iis, qui dicunt & jactant ſe habere fidem: de fide mortua, quæ diabolica fide non ſit melior, cujus definitione nil aliud continetur, quam credere Deum eſſe. Talis certe fides non juſtificat. Vera enim fides non eo juſtificat, quod divinæ eſſentiæ notitiam concipit, ſed quod in Chriſti Iuſtitia & miſericordiæ certitudine recumbit. 3. Hallucinantur etiam in voce Iuſtificationis. Paulo juſtificari dicimur, quum per remiſſionem peccatorum in Chriſto juſti reputamur. Id negare Iacobus non potuit, ſiquidem ſibi & ſcripturis cõſentanea loqui voluerit. Etenim concludit Abrahamum ex operibus cõſequutum eſſe Iuſtitiam, quia filium ſuum, jubente Deo, immolare non dubitavit. Citat autem dictum Moſis, quod Abraham crediderit Deo, & hoc ipſi fuiſſe imputatum ad Iuſtitiam. Iam vero conſtat Abrahę fidem ad Iuſtitiam fuiſſe imputatam, nõdum concepto

cepto Iſmaële & ante natum Iſaacum. Atqui abſurdum eſt effectum eſſe cauſa ſua priorem. Non dicemus ergo Abrahamum obedientia immolationis, quæ diu poſt ſecuta eſt, Iuſtitiam ſibi comparaſſe. Sequitur, Iacobum non loqui de gratuita Iuſtitiæ imputatione, de qua Paulus agit, ſed de Iuſtitiæ declaratione, qua, qui vera fide juſti ſunt, ſuam Iuſtitiam bonis operibus probant. Certe Iuſtitiam operatricem Deus à fidelibus requirit, non nudam & imaginariam fidei larvam. Alio ergo ſignificatu Paulus vocabulum Iuſtificandi, alio Iacobus accipit. Ille recte contendit citra operum adminiculum remitti peccata. Hic merito diſputat, non haberi juſtos, qui bonis careant operibus. Summa diſſertationis Iacobi huc redit, inane fidei ſpectrum non juſtificare. Item, vere fideles bonis operibus ſuam Iuſtitiam declarare. c. 17. S. 11. 13.

43. Præterea in eundem fere ſenſum objiciunt locum, Rom. 2. 13. *Non auditores ſed factores legis juſtificari*, quod ideo dictum Ambroſius exiſtimat, quia complemẽtum legis ſit fides in Chriſtum. Sed in re aperta non opus eſt nobis hoc effugio. Igitur reſpond. I. Paulum loqui de legali Iuſtitia, quam damus cõſiſtere in operibus, adeoque operum dignitate & meritis. Iam proferant nobis unum aliquem, qui legem impleverit. II. De ſententia vero Pauli dubitari non poteſt. Damnaverat omnes & Gentes & Iudæos injuſtitiæ, utriſque autem exitium denuntiaverat, ℣. 9. 12. Obſtrepebant Iudæi, quod haberent & cognoſcerent legem. Inanem iſtam confidentiam repellit Apoſtolus, quia non tam auditum & notitiam, quam obſervationem & obedientiam Deus poſtulet, ſiquidem ex lege quæratur Iuſtitia. Proinde afferenda eſſe opera, ne declarent fruſtra ſibi legem

eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eſſe poſitam. His quia deſtituebantur omnes, concludit legis gloriatione eſſe ſpoliatos. III. Retorquemus argumentum ex mente Pauli. Iuſtitia legis in operum perfectione ſita eſt. Hanc nemo præſtat. Nulla ergo eſt à lege Iuſtitia. c. 17. S. 13.

44. IV. Etiam ex illis locis pugnant, quibus ſuam Iuſtitiam fideles examinandam Dei judicio audacter offerunt, ac ſecundum eam de ſe ſtatui cupiunt. Vide Pſalm. 7. 9. & 17. 1. & 18. 21. & 26. 1. 9. Reſp. I. De fiducia quam ſibi Sancti ab operibus ſumere videntur, ſupra diximus, theſ. 15. 2. Addimus, dicta hæc ſecundum duplicem circumſtantiam eſſe accipienda. Prima hæc eſt, quod Sancti, quando ſic loquuntur, ſpecialem cauſam in judicium diſceptandam afferunt, & in re particulari bonitate cauſæ ſuæ nituntur: eoque nomine judicium Dei implorant, quem ſciunt eſſe vindicem pauperum injuſte afflictorum, qui proinde cauſam, in qua innocentes opprimuntur, nolit deſerere. Quocirca ejuſmodi loquẽdi formulæ male ad juſtificationem detorquentur, ad quam nõ ſufficit, ut in re aliqua bonam cauſam habeamus, ſed opus eſt perpetua quadam Iuſtitiæ ſymmetria per totam vitam. Altera eſt, quod ex improborum cõparatione Iuſtitiam ſibi arrogant, & quia præ adverſariorum malitia, improbitate, aſtutia, nequitia, ſuam ſinceritatem, juſtitiam, ſimplicitatem atque puritatem Deo compertam & gratam eſſe norũt, non reformidant inter ſe & illos Deum judicem invocare. Sic David ſuam innocentiam cum Saulis improbitate confert, 1 Sam. 26. 23. Sic Paulus impiorum calumniis coactus de teſtimonio bonæ conſcientiæ gloriatur, & fidem ac bonitatem ſuam adverſus hominum maledicentiam aſſerit, 2 Cor. 1. 12. Neuter tamen probitatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

aliquam jactat, quæ ad Dei tribunal reſponſura ſit, ſi ſevere inquiratur. Nam hic licet dicat ſe nullius ſibi male conſcium eſſe, addit tamen, ſe in hoc non juſtificari, 1 Cor. 4. 4. Ille ſuam innocentiam contra impiorum hypocriſin Deo teſte & judice defendit, ſic tamen, ut quando ſibi cum ſolo Deo negotium eſſe intelligit, exclamet, *Quis ſuſtinebit? ne ingrediaris in judicium. Bonitas tua melior eſt, quam vita*, Pſal. 130. 3. & 143. 2. & 63. 4. Eademque mens atque vox eſt & fuit omnium Sanctorum. c. 17. S. 14.

45. V. Adducunt etiam non abſimiles locos, quibus pronuntiatur, juſtos eſſe, qui ambulant in integritate ſua, & in ſemita juſtitiæ eſſe vitam, Prov. 20. 2. & 12. 28. Item vita victuros, qui Iudicium atque Iuſtitiam fecerint, Ezech. 18. 9. 21. & 33. 15. Reſp. I. Concedimus totum, modo dent nobis aliquem ex filiis Adæ cum tali integritate. II. Non negamus, integritatem fidelium, licet imperfectam, gradum eſſe ad immortalitatem. Sed unde hoc accipiunt opera, niſi quod ea non excutit Deus pro meritis, ſed paterna benignitate oſculatur? Nec tamen eo ſenſu, quo Scholaſtici per gratiam acceptantem legis opera ſaluti comparandę imparia, in æqualitatis pretium ex Dei acceptione evehunt, ſed quia tum aliis transgreſſionibus, tum ſuis ipſorum maculis inquinata opera, non aliud valent apud Deum, niſi quod utriſque veniam indulget, hoc eſt, gratuitam homini Iuſtitiam largitur. cap. 17. S. 15.

46. VI. Obtrudunt etiam Apoſtoli precationes, ubi tantam fidelibus perfectionem optat, ut ſint inculpati & irreprehenſibiles in die Domini, 1 Theſſ. 3. 13. & 5. 23. Reſp. Male hinc aſſeri perfectionem in hac vita. Aliud enim eſt meta, ad

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quam aſpirare & contendere debemus, de qua illis locis fit ſermo, aliud vitæ præſentis ratio, quæ ubi vel optima fuerit, in profectu magis cõſiſtit quam in aſſecutione, quæ tum primum continget, quando hac carne exuti Deo ad plenum adhærebimus. Deinde titulum perfectionis non derogamus Sanctis in totum, modo ad hanc perfectionem accedat imperfectionis ſincera & humilis cognitio. cap. 17. Sect. 15.

47. VII. Plurimas etiam congerunt ſententias, quæ affirmant Deum unicuique redditurum ſecundum opera ſua, Matth. 16. 27. 2 Cor. 5. 10. Rom. 2. 6. Ioh. 5. 29. Matth. 25. 34. Reſp. Hæc loquutio ordinem magis cõſequentiæ, quam cauſam indicat. His enim miſericordiæ gradibus ſalutem noſtram Deus conſummat, dum electos vocat, vocatos juſtificat, juſtificatos glorificat, Rom. 8. 30. Sola certe miſericordia ſuos in vitam ſuſcipit, ſed in ejus poſſeſſionem per bonorum operum ſtadium deducit, & quo deſtinavit ordine ſuum in illis opus implet. Quo ſenſu recte dicimur operari ſalutem noſtram, Phil. 2. 12. Nec abſimiliter Chriſtus jubet operari cibum, qui non perit; mox tamen addit, quem daturus eſt vobis filius hominis, Ioh. 6. 27. Hinc apparet verbum operandi non opponi gratiæ, ſed referri ad ſtudium. Proinde male infertur, fideles ſuæ ſibi ſalutis eſſe authores, vel ab ipſorum operibus eam emanare. Denique aliud nihil his locis indicatur, quam Deum perficere opus ſuum, quod in nobis inchoarit, Phil. 2. 6. cap. 18. S. 1.

48. VIII. Prioribus illas ſententias conjungunt, quę vitam æternam appellant operum mercedem. Vnde colligunt opera noſtra eſſe cauſam ſalutis. Reſp. 1. Mercedem vocari regnum cœlorum, non

quæ

quæ ſervorum ſit ſtipendium, ſed filiorum hæreditas, Eph. 1. 18. Gal. 4. 30. Matth.25.34. Coloſſ. 3. 24. At hæreditas non contingit, niſi quia Dominus ſuos in filios adoptavit. Ergo non operibus ſed adoptioni accepta ferenda eſt beatitudo. 11. Quod operum fiat mentio, ex eo eſt, quod Deus velit munerari fidelium opera iis bonis, quę illis jam ante cogitata opera dederat ex mera miſericordia. Exemplum habemus in Abrahamo, cui ante natum Iſaacum promiſſio facta erat ſeminis benedicti & multiplicationis infinitæ poſterorum, Geneſ. 15, 5. & 17. 1. Eadem tamen promiſſio repetitur velut merces immolationis Iſaaci, Gen. 22. 16. 17. Certe promiſſionem non erat obedientia promeritus Abraham cum eam multo ante acceperit, priusquam ederetur præceptum. cap. 18. S. 2.

49. Quod autem Deus ſe operibus dicat rependere illud ipſum, quod ante opera gratis donaverat, non illa caûſa eſt, quod talem mercedem mereantur: multo minus colligere licebit, Deum alioquin nos fruſtrari aut ludere. Sunt enim ejus rei cauſæ potiſſimum duæ. Quarum prima eſt, quod bonis operibus Deus nos exerceri vult ad meditandam eorum, quæ promiſit, exhibitionem vel fruitionem, & per ſtadium ſanctæ vitæ tanto alacrius decurrere ad beatam ſpem propoſitam in cœlis. Hinc illis aſſignatur fructus, ad cujus maturitatem nos perducunt, Col. 1.4. 1 Pet. 1.5. Altera eſt, ut imbecillitati noſtræ occurrat, quæ ſtatim concideret, niſi hac exſpectatione ſe ſuſtineret, & hoc ſolatio leniret ſua tædia. Durum eſt, non ſua tantum omnia, ſed ſe ipſum abnegare. Tum difficile eſt ſub crucis diſciplina vivere, & animum ab omni affectu, cupiditate, fiducia bo-

norum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

norum præſentium avocare. Duriſſimum, quocunque vertant oculos pii, non niſi deſperationem ubique obverſantem habere, 1 Cor. 15. 19. Interea tamen nonniſi bonis operibus intentum eſſe. Inter has anguſtias monet pios Deus, ut altius caput exerant, longius oculos conjiciant, beatitudinem, quam in mundo non vident, tanquam præmium, mercedem, compenſationem preſſuris eorum & contumeliis certo tandem obventuram animo recogitent. Hoc ſenſu nihil obeſt, quo minus vitam æternam operum remunerationem vocemus, quod hac ratione paſſiones ſuorum bonis majoribus permutat, laborem quiete, mœſtitiam gaudiis, paupertatem affluentia, ignominiam gloria. Nec male vitæ ſanctitas via nuncupabitur regni cœleſtis, non quæ merito ſuo aditum in illam gloriam aperiat, ſed qua electi in ejus manifeſtationem ducuntur, præſertim cum ita Deo placeat glorificare quos ſanctificavit. c. 18. S. 3, 4.

50. Quamobrem cavendum nobis eſt, ne ab hoc Dei ſcopo aberremus. Sane non ad inflandos gloria animos, ſed ad ſublevandam aliquo ſolatio carnis noſtræ debilitatem, mercedem bonis operibus promittit. Proinde abſit ſophiſtica correlatio meriti ac mercedis. I. Quia nihil nobis Scriptura relinquit, quo in conſpectu Dei ſuperbiamus. Quin potius tota in hoc eſt, ut arrogantiam noſtrã retundat, & nos prorſus dejiciat. II. Recte Apoſtolus hæc duo conjungit, Col. 1. 4. Coloſſenſes officiis charitatis ſtudere propter ſpem repoſitam in cœlis, ſed de qua ante edocti erant ex Euangelio, quæ ſpes ſolo Chriſto non operibus ſit ſuffulta. III. Ne mercedem hanc ad meriti modum redigamus, Dominus ſatis luculenter cavit parabola patrisfamilias, qui noviſſimis tantundem tri-

buit atque primis, ut intelligant ſe gratię non operum accepiſſe mercedem, Matth. 20. ℣. 9, 10. IV. Quando Chriſtus vitam æternam vocat mercedem operum, non tam de prima in gratiam receptione loquitur, quam de beatitudinis poſſeſſione & fruitione futura in vita æterna, Mat. 19. 29 & 25. 34. Sic etiam Paulus interpretatur, Rom. 8. 18. Alioquin certum eſt, jam tum, quando in gratiam à Deo recipimur ad ejus communicationem, tranſlati ſumus à morte in vitam, quod fit ſoliu adoptionis beneficio. V. Petrus vitam ęternam vocat fidei mercedem, 1 Petr. 1. 9. Quid ergo juva pertinaciter urgere operum mercedem? VI. Augustinus non male dixit juſtum judicem non reddere coronam, niſi quia prius ut miſericors Pate dediſſet gratiam: non eſſe Iuſtitiam, niſi præceſſiſſet gratia juſtificans impium: nec reddi debita niſi prius data fuiſſent indebita. Nos addimus, quia quidquid in operibus eſt injuſtitiæ, Deus abſcondit ſua indulgentia, & quod in illis pœna dignum eſt, ſua bonitate abolet. Solet etiam idem Auguſtinus vitam æternam vocare gratiam, qu operibus ut donis Dei gratuitis rependitur. S Scriptura nos longius deducit, dum vetat in op ribus gloriari, quia gratuita dona Dei ſunt, ſimu que hæc duo docet. 1. Opera noſtra fæcibus ſe per eſſe inquinata, ut Deo ſatisfacere non poſſi quo diſcamus nos humiliare. 2. Eadem tam mera Dei venia placere, ne concidat nobis a critas. A quo etiam ſenſu non longe abit Augu nus ad Bonif. l. 3. c. 5. cap. 18. S. 3, 4, 5.

51. IX. Superioribus locis affines ſunt i quibus jubemur facere amicos de noſtris divi & in cœlis theſaurizare, Luc. 16. 9. 1 Tim. 6. Opibus enim comparantur bona opera, quibus be

beatitudine vitæ æternæ fruamur. R. 1. Conſiderandum nobis eſſe ſcopum Chriſti. Quoniam animus noſter reſidet ubi theſaurus noſter eſt, Mat. 6. ỷ. 21. ideo fidelibus curandum eſſe, ut bona, quibus vere frui volunt, eo tranſmittant, ubi ſolidam vitam ſunt habituri. Atqui cœlum patriam noſtram eſſe credimus. Illuc ergo potius opes noſtras tranſmittere convenit, quam hic retinere, ubi ſubita migratione peritura nobis ſunt. Tranſmittimus autem eleemoſynis, quas Deo velut in manus deponimus. Et vero ſibi datum Dominus imputat, quidquid pauperibus erogatur, Mat. 25. 40. Prov. 19. 17. 2 Cor. 9. 6. Porro Deus ut bonæ fidei depoſitarius olim reſtituet cum copioſo fœnore. Fatemur ergo apud Deum officia noſtra eſſe velut in manu Dei reconditas opes. 11. Negamus hinc aſtrui poſſe operum dignitatem, quia hoc ipſum eſt meræ Dei benignitatis & indulgentiæ, quod licet obſequia, quæ illi exhibemus, vel ſolo ejus intuitu indigna ſint, nullum tamen perditum ire ſinit, ut hac ratione nos ad benefaciendum tanto magis animet. cap. 18. S. 6.

52. X. Sed magis urgent Apoſtoli verba, 2 Theſſ. 1. 5. ubi dicimur per afflictiones digni regno Dei effici, quia juſtum ſit apud Deum reddere afflictis relaxationem. Reſp. 1. Nullam illic meriti dignitatem ſignificari, ſed conformationem noſtram cum Chriſto tum in cruce, tum in gloria, Rom. 8. 29. 2 Cor. 4. 10. Phil. 3. 19. Sicut enim Chriſtum primum oportuit pati & ſic intrare in gloriam ſuam, ita & nos, Luc. 24. 26. Act. 14. 22. Ipſæ tribulationes ſunt veluti ſtigmata Domini noſtri & notæ atque ſigna filiorum Dei, quæ dum nobis imprimuntur, eo nomine digni habemur regno Dei. Vide Galat. 6. ỷ. 17.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

11. Quæ ſubjicitur ratio, non ad probandam ul-lam dignitatem, ſed ad ſpem regni Dei confirman-dam pertinet. cap. 18. Sect. 7.

53. XI. Quod ex Hebr. 6. 10. adferunt, non eſſe injuſtum Deum ut obliviſcatur operis noſtr & dilectionis in ſanctos, nihil ad rem facit. I. Sen ſus eſt non irritum fore quem in gloriam nomini Dei ſuſceperimus laborem. Nempe ut depulſa ſe gnitie noſtra fiduciam nobis faciat. II. Memi niſſe ſemper debemus, hanc promiſſionem nul lum poſſe afferre fructum, niſi præcedat gratuitun miſericordiæ fœdus. Hinc ſecure confidere poſ ſumus, obſequiis noſtris, quamlibet indignis, no deſuturum à Dei liberalitate præmium. In ha ergo fidei ſemel datæ expectatione nos confirma Apoſtolus. III. Iuſtitia de qua loquitur, magi ad divinæ promiſſionis veritatem, quam ad red dendam debiti æquitatem refertur. Recte dici Auguſtinus: Fidelis Dominus qui ſe nobis feci debitorem, non aliquid à nobis accipiendo, ſe omnia promittendo. cap. 18. S. 7.

54. XII. Adducunt etiam alias Pauli ſenten tias, quibus charitatem ſummopere laudat. Se præſertim triumphare videntur in loco, 1 Co rinth. 13. 2. 13. Hinc contendunt nos charita potius juſtificari quam fide; utpote virtute potio re quam ſit fides. Reſp. I. Negamus ad veram f dem pertinere, quæ verſu ſecundo dicuntur. II. V timum verſum de vera fide interpretamur, ſed charitatem eſſe majorem, quia magis ſit merit ria, non concedimus. Aliæ iſtius rei cauſæ ſun quia magis fructuoſa eſt, latius patet, pluribi ſervit, ſemper viget, quum fidei uſus ad temp conſiſtat. III. Conſtat hic agi de charitate q nos mutuo ut fratres complectimur. Si excelle

tia

tiam quærimus, longe eam ſuperat dilectio Dei. IV. Vt demus charitatem modis omnibus fidei præcellere, inconſequens tamen eſt, eam magis juſtificare. Tota juſtificationis noſtræ ratio conſtat ſola Dei miſericordia & Chriſti merito. Hæc dum fides tanquam inſtrumentum apprehendit, juſtificare dicitur. Itaque vis juſtificandi, quæ penes fidem eſt, non conſiſtit in opere aut dignitate fidei. Inepte ergo charitatem cum fide in negotio juſtificationis conferunt. Et quando prætermiſſa Dei miſericordia Chriſtique merito, nos charitatis beneficio juſtificari pugnant, quia ſupra fidem excellat, nonne idem ratiocinari videntur, ac ſi dicas Regem calceo conficiendo eſſe aptiorem quam ſutorem, quia eo ſit longe præſtantior? V. Si quis excipiat, non fieri veriſimile, nomen fidei eodem capite & tantulo intervallo diverſa ſumi ſignificatione, facilis eſt ſolutio. Nam cum dona prophetiæ, & linguarum, interpretandique gratia atque ſcientia ad cognitionem Dei ſpectent, eoque nos deducant, merito ſub fide & ſpe comprehenduntur. cap. 18. S. 8.

55. XIII. Ex loco itidem, Col. 3. 14. ubi vinculum perfectionis vocatur charitas, concludunt, etiam Iuſtitiæ eſſe vinculum, quæ nihil aliud eſt quam perfectio. Reſp. I. Non intelligendam eſſe perfectionem quæ nos coram Deo perficiat, ſed cohęrentiam membrorum inter ſeſe in bene conſtituta eccleſia, cujus vinculum eſt charitas. II. Si aliam perfectionem urgeant, petimus ut oſtendant nobis tales, qui charitatis numeros omnes impleant. Vnde ſequitur, ſpem omnem iſtius perfectionis abſciſſam eſſe, quum omnes à charitatis complemento ſint remotiſſimi. c. 18. S. 8.

56. XIV. Mirum in modum ſibi placent reſponſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſponſo Chriſti, quod dedit legisconſulto roganti, quid eſſet ad ſalutem neceſſarium. Ait Chriſtus, ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Hinc inferunt per obſervationem mandatorum acquiri regnum Dei. Reſp. I. Chriſtum ex rogantis perſona & ipſa interrogatione inductum fuiſſe ut ſic reſponderet. Legulejus ille in operum fiducia cœcutiebat, Deinde non aliud quærit, niſi quæ ſint opera juſtitiæ, quibus ſalus comparetur. Ergo merito remittitur ad legem, quæ eſt abſoluta juſtitiæ norma. Et nos idem docemus, nempe ſi in operibus ſalus quærenda ſit, ſervanda eſſe mandata legis. Sic enim recte intelligimus, quantum ſit vitæ noſtræ cum divina legisjuſtitia diſſidium. II. Vbi intelleximus neminem noſtrum ſervandis mandatis parem eſſe, ac proinde legis Iuſtitia excludi, docemur ad Chriſtum & fidem Chriſti nobis eſſe recurrendum. Sicut ergo qui operum confidentia turgent, recte ad legem revocantur, ita eos, qui ſui notitia vere humilitati ſunt, omiſſa legis mentione, gratiæ promiſſione ſolari convenit, ſicut & Chriſtus fecit, Matth. 11.29. cap. 18. S. 9.

57. XV. Cavillantur etiam, quia fides alicubi opus vocatur, nos perperam fidem operibus opponere. Reſp. Fides, quatenus eſt obedientia, ſuo merito non juſtificat, ſed quatenus amplectendo Dei miſericordiam, cordibus noſtris obſignat Chriſti Iuſtitiam in Euangelii prædicatione oblatam. Ideo in ratione juſtificandi cum operibus ſimul ſtare nequit. cap. 18. S. 10.

58. XVI. Quum eadem ſit contrariorum regula, & vero peccata ſingula in crimen injuſtitiæ nobis vertantur, cōſentaneum eſſe ajunt, ſingulis quoq; bonis operibus Iuſtitiæ laudem tribui. Reſpondent quidam, nō eandem eſſe rationem, quia pro-

prie

prie ab una infidelitate prodit hominum damnatio, non à particularibus peccatis. At non ſatisfacit hæc reſponſio; quia licet fateamur incredulitatem eſſe primam à Deo defectionem, quam inſequuntur particulares transgreſſiones, tamen videntur eandem ſtatuere bonorum & malorum operum rationem in æſtimanda Iuſtitia vel injuſtitia. Nos ſic reſpondemus. Contraria hic non eſſe paria. Iuſtitia enim operum eſt perfecta legis obedientia. Ab hac qui vel minimum deflexerit, jam in injuſtitiam prolapſus eſt, & mortis reus fit, Iac. 2. 10. At Iuſtitia non ex uno aut paucis operibus contingit, ſed ex inflexibili & indefeſſa divinæ voluntatis obſervatione. Hinc recte dicitur mortem eſſe uniuscujusque peccati ſtipendium. Sed male infertur, uno opere poſſe hominem conciliari Deo, qui multis peccatis ejus iram promeretur. cap. 18. S. 10.

DISPVTATIO VII,

De Libertate Chriſtiana.

Ex lib. 3. cap. 19.

I. EXpoſito juſtificationis negotio, tractandum porro nobis eſt de libertate Chriſtiana, cujus explicatio apprime neceſſaria eſt. I. Quia citra hujus doctrinæ cognitionem nihil fere ſine trepidatione aggredi conſcientiæ audent. Qui vero Deum ſerio timent, incomparabilem conſcientiæ pacem ex hac doctrina percipiunt. II. Quia eſt appendix juſtificationis, & ad vim ejus intelligendam non parum valet. Nam ſimulatque injecta eſt mentio Chriſtianæ libertatis, laſciva ingenia partim hujus libertatis prætextu in effrænatam licentiam ſe proripiunt, partim indignantur, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

putent omnem moderationem, ordinem, rerumque delectum tolli. Ergo obviam eundum eſt ejuſmodi ingeniis & abſurdis objectionibus, adeoque firmiter tenendum eſt hoc doctrinæ caput, ſine quo nec Chriſtus, nec Euangelii veritas, neque interior pax animæ recte cognoſcitur. Sect. 1.

2. Chriſtiana libertas in tribus partibus ſita eſt. Prima eſt libertas à legis juſtitia. Altera à coacta legis obedientia. Tertia conſiſtit in rerum externarum & indifferentium uſu. S, 2. 4. 7.

3. Primam dicimus, qua conſcientiæ, quando de juſtificationis fiducia coram Deo quæritur, ſeſe ſupra legem erigunt, totamq; legis juſtitiam obliviſcuntur, cum de juſtificatione agitur. Etenim lex neminem juſtum relinquit. Idcirco nos ab illa ſolvi oportet, ſic ut nulla prorſus operum ratio habeatur. Tum vero unam Dei miſericordiam amplecti convenit, unum Chriſtum intueri. Sane illud in quæſtionem venit, quomodo, injuſti licet atque indigni, pro juſtis habeamur. Hujus rei certitudinem ſi conſcientiæ noſtræ volunt aſſequi, nullum locum legi dare debent. Atque in hoc cardine totum fere argumentum epiſtolæ ad Galatas vertitur. c. 19. S. 2, 3.

4. Contra objicitur. I. Sic legem fidelibus ſupervacaneam fieri. Reſp. 1. Aliud eſt legem docere & ſtimulare ad bonum, aliud apud Dei tribunal in conſcientiis locum habere. Hæc duo diverſiſſima ſunt & probe diſtingui debent. Quia vocati ſumus ad ſanctificationem, à lege diſcimus quid ſit officii noſtri, & ad ſanctitatis ſtudium excitamur. Vbi autem conſcientiæ ad Dei judicium citantur, & hoc quæritur, quid reſponſuræ, qua fiducia conſtitutæ ſint, non jam ſubducendum eſt quid lex requirat, ſed unus Chriſtus pro juſtitia

pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

proponendus, qui omnem legis perfectionem ſuperat. Sect. 2.

5. II. Ad loca Pauli ex epiſtola ad Galatas excipiunt, de ceremoniarum libertate intelligi oportere. Reſp. 1. Argumenta Pauli ſublimius aliquid continere. Ait Chriſtum factum eſſe execrationem pro nobis. Vetat nos jugo ſervitutis implicari. Negat Chriſtum prodeſſe, ſi denuo circumcidantur, nempe, quia ſic debitores fiant univerſæ legis. Item Chriſtum otioſum fieri omnibus, qui volunt juſtificari per legem, &c. Galat. 3. 13. & 5. 1, 2, 3, 4. II. Concedimus Paulum diſputare adverſus pſeudoapoſtolos, de ceremoniis adventu Chriſti abolitis nec in Eccleſiam Chriſtianam reducendis. Sed ad hanc quæſtionem expediendam altius aſſurgit & docet, 1. In Chriſto nos habere ſolidam exhibitionem eorum omnium, quæ Moſaïcis ceremoniis adumbrabantur. 2. Quia impoſtores illi docebant, hanc ſcilicet obedientiam valere ad promerendam Dei gratiam, hic plurimum inſiſtit, nullis operibus, nedum ceremonialibus, nos juſtitiam conſequi poſſe coram Deo. Et ſimul aſſerit nos à legis damnatione liberos eſſe per crucem Chriſti. 3. Conſcientiis fidelium ſuam vindicat libertatem, ne qua religione in rebus non neceſſariis obſtringantur. Secundum illud membrum, quo jubemur plena ſecuritate in uno Chriſto acquieſcere, proprie huc pertinet. S. 3.

6. Altera libertas ex illa ſuperiore dependet, qua fit, ut conſcientiæ, legis jugo liberæ, non ex neceſſitate coactæ, ſed ultro voluntati Dei obediant. Quandiu enim ſub legis dominio ſunt, in perpetuis terroribus verſantur. Ideo nunquam alacri promptitudine in obedientiam Dei feruntur, niſi libertate donentur. Exemplo res fiet evidentior.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

dentior. Lex jubet, ut Deum diligamus ex toto corde, ex tota anima & ex omnibus viribus. Facile quivis etiam ſanctiſſimus intelligit, quam longe ab hac meta abſit. Voluntatem quidem & conatum, ſed ſimul imperfectionem & defectum ſentit. Si ad legis modum opera ſua velit exigere, videt maledictum eſſe, quicquid tentat aut meditatur operis. Quod pro parte bonum eſſe videbatur, transgreſſionem legis eſſe invenit, quia imperfectum eſt. Hoc rerum ſtatu, & inter illos terrores, ubi dubitatur, an Deus offendatur, an colatur noſtro opere, quomodo ſe alacriter ad opus homo accinget, pro quo, non niſi maledictionem ſe referre poſſe confidit? Verum ubi ab hac legis ſevera exactione & à toto legis rigore liberatum ſe eſſe audit, & paterna lenitate à Deo vocari, tunc hilaris & magna alacritate Deo reſpondere & ducentem ſequi audet. Huc facit diſtinctio ſervorum & filiorum. Qui legis jugo adſtringuntur, ſervis ſimiles ſunt, quibus certæ in ſingulos dies operæ à dominis imponuntur, quarum niſi exactus modus conſtiterit, in conſpectum dominorum venire non audent. At nos, ut filii, liberati à lege, non dubitamus obſequia noſtra indulgentiſſimo Patri offerre, quantulacunque ſint, & quantumvis rudia & imperfecta. Scimus enim Deum parcere & ignoſcere, ſicut ſolet pater parcere ſervienti ſibi, Malach. 3. 17. Hac etiam de cauſa Paulus bona Patrum opera ad fidem refert & ex fide æſtimat. Sed illuſtris eſt locus Pauli, Rom. 6. 12. Concludit enim, peccatum nobis non debere dominari, quia non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Qui hoc ad peccandi licentiam abripiunt, ad eos hanc libertatem pertinere negat. Deo enim debitores ſumus ad ſerviendum juſtitiæ, tanquam ex

mortuis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mortuis viventes. Sed quia regeri poterat, nos adhuc carnem nobiſcum circumferre, ſubjicit cõſolationem à legis libertate ſumptam, ne formident & animo dejiciantur pii, quaſi Deum ſemper offenſum habeant ob peccati reliquias, quia per gratiam à lege manumiſſi ſint, ne ad ejus regulam opera ſua examinentur. Sect. 4, 5, 6.

7. Tertia libertas eſt, ut nulla rerum externarum, quæ adiaphoræ dicuntur, religione coram Deo teneamur, quin eas nunc uſurpare, nunc omittere indifferenter liceat. Hujus libertatis cognitio maxime eſt neceſſaria: quæ ſi abſit, nulla conſcientiis noſtris futura eſt quies, nullus ſuperſtitionum finis. Sæpe quæſtiones moventur de libero carnium eſu, de feriarum veſtiumque uſu, aliisque rebus ſimilibus. Nec vero putandum eſt de re nihili certamen inſtitui. Hoc enim controvertitur, an his aut illis uti nos Deus velit, cujus voluntas actionibus noſtris præire debet. De hac niſi bene conſtet, facile in laqueum ruunt conſcientiæ & in labyrinthum, unde non facilis datur exitus. Poſtquam enim ſemel dubitatum fuerit, lino an canabe uti liceat, facile vel de ſtupis incidet dubitatio, & qui in delicatiore cibo aut vino hæſerit, mox viliorem cibum adeoque vappam aut meliorem aliis aquam vix attingere audebit; denique circa minutiſſima dubius hærebit. Hæc aliis ad deſperationem certa exiſtit via, aliis quod Deum non timeant, nec certum iter reperiant, in Dei contemptum & meram licentiam expeditiſſima videtur ratio. §. 7.

8. Sed Apoſtolus quæſtionem hanc optime ſolvit, Rom. 14. 14. 20. 22. 23. *Scio*, inquit, *nihil impurum eſſe, niſi ei qui exiſtimat aliquid eſſe impurum. Beatus autem eſt, qui non judicat ſeipſum*

in

in eo quod probat. At qui dijudicat ſeſe, ſi ederit, condemnatus eſt, quia non edit ex fide: quod autem non eſt ex fide, peccatum eſt. Quibus verbis I. Res omnes externas libertati noſtræ ſubjicit: ſed hac conditione, modo ejus libertatis ratio animis noſtris apud Deum conſtet. II. Addit tamen ea ipſa, quæ ſuapte natura pura erant, nobis contaminari, ſi cum ſcrupulo utamur. Et ſane quicunque tali dubitatione impliciti ſunt, quoquo ſe vertant, præſentem ubique conſcientiæ offenſionem vident. Si animoſius omnia ſecure nihilominus audent, tantundem ſe à Deo avertunt. Si Dei timore penitius afficiuntur, quum & ipſi cogantur multa admittere averſante conſcientia, formidine conſternantur & concidunt. Neutri cum gratiarũ actione dona Dei recipiunt, quæ ex animo profecta Dei bonitatem in ſuis donis agnoſcit, certo perſuaſa & Dei dona eſſe & ſibi data: ſine qua perſuaſione nunquam gratias Deo agent tanquam datori. Colligimus, finem hujus libertatis eo tendere, ut Dei dona ſine ſcrupulo ullo conſcientiæ aut animi perturbatione referamus ad uſum, in quem nobis data ſunt, & ſervata pace animorum ac fiducia, largitatem Dei erga nos agnoſcamus. Sect. 8.

9. Sub hac libertatis ſpecie comprehenduntur omnes liberæ obſervationis ceremoniæ, ne qua neceſſitate ad eas obſervandas conſcientiæ adſtringantur, ſed earum uſum Dei beneficio ad ædificationem ſibi ſubjectum meminerint. S. 8.

10. Ex his patet, Chriſtianam libertatem rem eſſe omnibus ſuis partibus ſpiritualem, & ad pacificandas coram Deo conſcientias ſpectare. Duplex porro abuſus hic nobis eſt vitandus. Primus eſt eorũ, qui bonis Dei donis abutuntur in ſuam libidinem,

dinem. Alter eorum, qui in ejus uſu nullam infirmorum fratrum habent rationem. Sect. 9.

11. Priori genere majorem in modum hoc ſæculo peccatur. Si qui ſunt ditiores, ſub prætextu libertatis, in conviviorum apparatu, cultu corporis, in ſplendore domuum, in omni lautitiarum genere quidvis ſibi permittunt. Ajunt, divitias eſſe bonas Dei creaturas, hominum uſibus Dei providentia deſtinatas. Non eſſe prohibitum, ut ridere, ſaturari, poſſeſſiones acquirere, Muſica delectari, aut vinum bibere non liceat. Equidem fatemur res eſſe indifferentes & licitas: ſed ubi nimis cupide appetuntur, ubi ſuperbe jactantur, ubi luxurioſe effunduntur, ejusmodi vitiis turpiſſime fœdari aſſerimus. Recte Paulus, res indifferentes optime diſtinguens, omnia dicit eſſe munda mundis, ſed infidelibus & pollutis nihil eſſe mundum, Tit. 1. 15. Tum vero legimus Deum maledicere divitibus & ſaturatis & dormientibus in lectis eburneis, &c. Luc. 6. 24. Amos 6. 1. Eſa. 5. 8. Nempe quod longiſſime à legitimo donorum Dei uſu recedant. Ergo tollatur omnis immoderata cupido, vanitas & arrogantia, itemque immodica profuſio: ſervetur ſobrietas & debita moderatio, ſine qua etiam plebeiæ delitiæ nimiæ ſunt. Quisque ſuo ordine vel tenuiter vel modice vel ſplendide vivat. Meminerimus omnes à Deo ali, non ut luxuriemur ſed honeſte vivamus. Diſcamus, in quibus ſumus, iis contenti eſſe, Phil. 4. 12. Sic habebimus legitimi uſus regulam. S. 9.

12. Poſteriore modo errant plærique, qui libertate ſua promiſcue utuntur & imprudenter, quaſi ſalva eſſe non poſſit, niſi teſtes habeat homines, & niſi per eſum carnium die Veneris in libertatis poſſeſſionem veniant. Atqui 1. cogitare debebant,

bant, non in hominum conſpectu ſed apud Deum libertatem hanc valere: apud quem nihil refert, carnibus an ovis veſcaris, rubrisne an nigris veſtibus induaris, adeoque an in totum iis abſtineas, quia libera conſcientia abſtines, quod ad libertatem ſufficit. II. Perniciosiſſime labuntur, quod importuna uſurpatione fratres offendunt. Conſtat autem nihil temere admittendum cum ipſorum offendiculo. III. Etſi nonnunquam intereſt coram hominibus aſſeri noſtram libertatem, modus tamen ſumma cautione tenendus eſt, ne quid fiat cum detrimento infirmorum. S. 10.

13. Hac de cauſa nobis aliquid de ſcandalis dicendum eſt. Hinc enim facilius ſtatuere licebit, quis ſit inter homines libertatis noſtræ locus. Vulgo & recte aliud dicitur eſſe ſcandalum datum, aliud acceptum. Scandalum in re aliqua datum vocamus, cujus culpa ab authore rei ipſius profecta eſt. Vt ſi importuna levitate aut laſcivia aut temeritate, non ordine nec loco ſuo quid fiat, quo imperiti imbecillesque offendantur. Scandalum acceptum dicitur, quum res alioquin non improbe nec importune admiſſa, malevolentia aut ſiniſtra animi malignitate vel perverſa interpretatione in offenſionis occaſionem ſine cauſa rapitur. Prius genus licebit vocare ſcandalum infirmorum: poſterius Phariſæorum & ingeniorum acerborum. Hic libertatis talis eſto uſus, ut fratrum infirmitati cedat, Phariſæorum auſteritati nequaquam. Sect. 11.

14. De primo genere Paulus monet, Rom. 14.1.13. & 15.1. 1 Cor. 8.9. & 10.25. Gal. 5.13. Summa eſt, non eſſe ponendum offendiculum infirmis, quin potius horum infirmitates eſſe perferendas: quia non nobis ſed proximo placere debemus

bemus in bonum: quia omnia ſint agenda in ædificationem: nec noſtræ tantum ſed etiam aliorum cõſcientiæ ratio ſit habenda: quia per charitatem ſervire debeamus nobis invicem. Certe libertas non eſt data adverſus infirmos, ſed magis, ut dum pacem in animis noſtris cum Deo habemus, pacate etiam inter homines vivamus. De ſecundo genere docet Chriſtus, Matth. 15.14. Omittendos eſſe duces cæcorum, quia cæci ſunt, nec curandam eſſe eorum offenſionem. Sect. 11.

15. Sed res adhuc incerta pendet, niſi teneamus, qui nobis habendi ſint infirmi, & qui Phariſæi: tum etiam, quatenus vel moderanda ſit libertas noſtra vel offendiculis redimenda. Vtrumque Paulus tum doctrina tum exemplis clariſſime definivit. Timotheum circumcidit propter Iudęos iſtius loci, Actor. 16. 3. Factus Iudæis quaſi Iudæus, ut Iudæos lucrifaceret, omnibus omnia, ut multos ſervaret, 1 Cor. 9. 19, 20, 21, 22, 23. Ita conſuluit infirmis, & juſtam oſtendit libertatis moderationem, ſi quando cum fructu aliquo indifferenter abſtinere poſſimus. Contra, Titum circumcidere noluit, propter falſos ſubingreſſos fratres, ut libertatem Eccleſiæ explorarent, eamque in ſervitutem redigerent, quibus cedere noluit, ut veritatem Euangelii tueretur, Gal. 2. 3, 4, 5. Habemus jam qui ſint Phariſæi, & quando ſe offerat neceſſitas vindicandę libertatis, nempe quum per iniquas pſeudoapoſtolorũ exactiones in conſcientiis infirmorum periclitatur. Porro communem hanc regulam tradit, ut ubique ſtudeamus charitati, & ſpectemus proximi ædificationem, 1 Cor. 10. 23. 24. Itaque uti licebit libertate, ſi in proximi ædificationem cedat. Sin minus, ea erit abſtinendum. S. 12.

16. Errant

16. Errant ergo, qui Paulinam prudentiam ſimulant omnimoda libertatis abſtinentia. I. Quia nihil minus quam in officia charitatis eam conferunt. Et omnem libertatis mentionem ſepultam vellent, ut ſuæ quieti conſulant. II. Quia non minus intereſt, proximorum libertatem in eorum bonum & ædificationem interdum uſurpare, quam pro ipſorum commodo eam loco debito moderari. Iam pii hominis eſt, liberam in externis rebus poteſtatem eo fine uſurpare, ut ſit ad omnia officia charitatis expeditior. Sect. 12.

17. Cæterum quicquid de cavendis offendiculis hactenus docuimus, debet referri ad res medias & indifferentes, non autem ad ea quæ Dei verbo præſcripta ſunt. I. Quia quæcunque neceſſaria ſunt factu, nullius offendiculi timore omittenda ſunt. II. Quia etſi paſſim charitatis ratio habenda, tamen ſub fidei puritate charitatem ſubſidere oportet, nec in gratiam proximi Deum offendere licet. Ideo ſtrenue nobis ſemper in Dei placitis pergendum eſt, quibuscunque ſcandalis Satan & mundus nos ab illis avertere moliantur, etiam ſine ullo periculorum metu. S. 13.

18. Errant ergo graviter, non illi tantum qui per intemperiem nihil niſi tumultuando agunt, ſed etiam illi, qui, cum ſuo exemplo alios ſecum in mille impietates abripiant, ſic ſibi agendum eſſe fingunt, ne aliis ſint offendiculo. Ita I. aliorum conſcientias ædificant in malum. II. Ipſi in eodem ſemper hærent luto, ſine ulla ſpe exitus. S. 13.

19. Objiciunt: lacte paſcendum eſſe proximum, 1 Cor. 3. 1. Reſp. I. Aliud eſt lacte alere, aliud peſſimis & exitialibus opinionibus, ſeu doctrina ſeu vitæ exemplo imbuere. Certe Paulus ad blaſphemos errores connivere noluit, etſi lactis

potu

potu Corinthios aluerit. Mentiuntur ergo, quum ſe alere gloriantur, quos blanditiarum ſpecie crudeliter necant. 11. Vt demus ad tempus aliquandiu diſſimulandum eſſe, lactis tamen potum aliquando ceſſare oportet. Pueros enim grandeſcere æquum eſt, ut vel tenuem ſaltem cibum aliquem ferre poſſint. Quod niſi fiat, ſignum eſt ne lacte quidem fuiſſe unquam educatos. Qui plura de his deſiderat, videat Cal. lib. de fugiendis ſcandalis. Et Epiſt. de fugiendis impiorum ſacris, &c. S. 13.

20. Ex hac libertatis prærogativa ſequitur, conſcientias exemtas eſſe omnium hominum poteſtate, ut nullis legum aut conſtitutionum humanarum laqueis illaqueari poſſint. Eſt enim indignum, aut Chriſto gratiam tantæ ſuæ liberalitatis proprio ſanguine acquiſitam, aut conſcientiis ejus fructum perire. Ideo Paulus non dubitavit aſſerere, Chriſtum nobis obſcurari, vel potius extingui & irritam fieri mortem ipſius, ſi animas noſtras hominibus in ſubjectionem tradimus, Galat. 5. 1. 4. Quam rem aliquot capitibus in epiſtola ad Galatas perſequitur. S. 14.

21. Sed quia partim à ſeditioſis, partim à calumniatoribus turbæ ingentes cõmoventur, quaſi hac doctrina univerſa ſimul hominum obedientia ſubvertatur, pleniori opus eſt explicatione. Primum notemus duplex eſſe regimen in homine, alterum ſpirituale, alterum politicum. Spirituale regimen eſt, quo conſcientia ad pietatem & & cultum Dei inſtituitur. Hoc ad animam pertinet, ibique interius ſedem habet. Vulgo ſpiritualis jurisdictio vocari ſolet. Nos etiam regnum ſpirituale vocemus. Politicum regimen eſt, quo ad humanitatis & civilitatis officia, quæ inter homines ſervanda ſunt, homo eruditur, & in his quæ

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

præſentis vitæ ſunt verſatur, in præſcribendis legibus, quibus homines inter ſe vitam ſancte & honeſte tranſigant, adeoque mores externos proprie ſpectat. Vulgo nuncupatur jurisdictio temporalis. Nos regnum politicum appellemus. S. 15.

22. Hæc duo ſeorſim ſingula ſemper diſpicienda ſunt. Sunt enim in homine veluti mundi duo, quibus & varii reges & variæ leges præeſſe poſſunt. Hac diſtinctione poſita, facile intelligitur, perperam ad politicum ordinem trahi, quæ de ſpirituali libertate tradit Euangelium. Nec quia conſcientiæ coram Deo ſolutæ ſunt, aut quia ſecundum Spiritum liberi dicuntur Chriſtiani, ideo ſecundum externum regimen ab humanis legibus, aut ab omni carnis ſervitute eximuntur. S. 15.

23. Deinde obſervandum eſt, in iis conſtitutionibus, quæ ad ſpirituale regnum videntur pertinere, poſſe aliquam incidere hallucinationem. Idcirco inter illas accurate diſcernendum, ut ſciamus quæ legitimæ habendę ſint & verbo Dei conſentaneæ, quę rurſus locum apud pios habere non debeant. S. 15.

24. Porro de civili regimine & legibus eccleſiaſticis infra plenior erit dicendi locus. Quantum ad præſens negotium ſpectat, concludimus, quæſtionem non adeo eſſe obſcuram aut difficilem, ſi modo inter externum & conſcientiæ forum rectum diſcrimen ſtatuatur. Obſtat locus, Rom. 13. 1. 5, Vbi Paulus Magiſtratui obediendum eſſe præcipit, non pœnæ ſolum metu, ſed propter cõſcientiam. Vnde ſequitur politicis quoque legibus conſcientiam obſtringi. Quo poſito, rueret quicquid hactenus de regimine ſpirituali diximus. S. 15.

25. Reſpondemus ad nodi hujus ſolutionem

ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ex definitione conſcientiæ, quam ipſum etymon ſuppeditat: Quum mente ac intelligentia rerum notitiam apprehendimus, ſcire dicimur: unde & ſcientiæ nomen ducitur. Quum ſenſum habemus judicii divini tanquam adjunctum teſtem, qui non ſinit peccata occultare, quo minus ad Dei tribunal rei pertrahamur, ſenſus ille vocatur conſcientia, & eſt veluti medium quiddam inter Deum & hominem & quaſi appoſitus homini cuſtos, qui omnia ejus arcana obſervat & ſpeculatur, adeoque ad Dei judicium ſiſtit. Hæc eſt illa cogitationum accuſatio vel abſolutio, de qua Paulus agit, Rom. 2. 15. Hinc etiam vetus illud proverbium, Conſcientia mille teſtes. Eadem ratione Petrus bonæ conſcientiæ interrogationem poſuit pro tranquillitate animi coram Deo, 1 Pet. 3. 21. & Hebr. 10. 2. purificati dicuntur non habere ullam peccati conſcientiam, quia ſic liberati vel abſoluti ſunt, ut peccatum eos non amplius arguat. S. 15.

26. Hinc patet, conſcientiam ad Deum referri, ita ut bona conſcientia nihil aliud ſit quam interior cordis integritas, vel vivus colendi Deum affectus, ſincerumque pie & ſancte vivendi ſtudium. Quo ſenſu Paulus meminit puræ conſcientiæ & fidei non fictæ, 1 Tim. 1. 5. Et iterum fidei naufragium ex bonæ conſcientiæ deſertione concludit, 1 Tim. 1. 19. Vnde apparet conſcientiam ab intelligentia & fide diſtingui. S. 16.

27. Interdum tamen ad homines quoque extenditur, ut Act. 24. 16. Sed hoc ideo dicitur, quod bonæ conſcientiæ fructus ad homines uſque manant. S. 16.

28. Hinc intelligimus, legem obſtringere conſcientiam, quæ ſimpliciter hominem ligat, ſine hominum intuitu, vel non habita eorum ratione.

Vetat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Vetat Deus ſcortari, intemperanter ſe gerere, &c. His legibus ſubjecta eſt conſcientia, etiamſi nullus in mundo viveret homo. Et qui in has delinquit, non eo tantum peccat, quod malum exemplum præbet fratribus, ſed conſcientiam reatu obſtrictam habet apud Deum. S. 16.

29. Alia ratio eſt in rebus per ſe mediis. Abſtinere enim debemus, ſi quod pariant offendiculum, ſed libera conſcientia. Noli edere carnem idolis conſecratam propter conſcientiam, non tuam, ſed alterius 1 Cor. 10. 28. Nam etſi fratris reſpectu neceſſaria ſit illa abſtinentia, tu tamen conſcientiæ libertatem retinere non deſinis. Externum ſiquidem opus lex ligat, ſed conſcientiam ſolutam relinquit. S. 16.

DISPVTATIO VIII,

De Precatione.

Ex lib. 3. cap. 20.

1. HActenus edocti ſumus, nos bonorum omnium eſſe egenos; quidquid autem nobis deeſt, id in Deo eſſe ac in Domino noſtro Ieſu Chriſto, in quo Pater cæleſtes theſauros depoſuit, nobisque aperit, ut inde tanquam ex uberrimo fonte omnia hauriamus. ſupereſt, ut in ipſo hæc eadem quæramus. Nihil enim prodeſſet ſcire Deum omnis boni Dominum eſſe & largitorem, ſi adire ipſum & oblata poſcere negligamus. Id orationis obtinemus beneficio. Atque idcirco nos Deus tum mandato, tum promiſſionibus invitat. Et fidei hunc eſſe fructum aſſerit Apoſtolus, Rom. 10. 14. Eoque nomine datum eſſe Spiritum adoptionis, ut vota noſtra Deo exponere audeamus, & cũ fiducia clamare, Abba, Pater. Rom. 8. 16. S. 1.

2. Eſt

2. Eſt autem oratio, quædam hominum cum Deo communicatio, qua cœli ſanctuarium ingreſſi, de ſuis promiſſis illum coram appellant: ut quod verbo duntaxat annuenti crediderunt, non eſſe vanum, ubi neceſſitas ita poſtulat, experiantur. Sect. 2.

3. Quam vero neceſſarium & quam utile ſit precandi exercitium, vix poteſt verbis explicari. Neceſſitas ex eo patet, quod unicum in Dei invocatione ſalutis præſidium poſitum ſit, qua præſentiam & providentiæ, & virtutis, & bonitatis atque gratiæ ejus advocamus. Eximia vero, quæ hinc conſcientiis naſcitur, tranquillitas, utilitatem orationis plus ſatis demonſtrat; quando neceſſitate noſtra in Dei ſinum exonerata, in eo abunde quieſcimus, quem nihil malorum noſtrorum latere, tum optime nobis & velle & conſulere poſſe certo perſuaſi ſumus. S. 2.

4. Si quis objiciat, Deum etiam ſine monitore noſſe, qua parte urgeamur, & quid nobis expediat: proinde ſupervacuum videri, tanquam dormientem precibus noſtris ſollicitari. Reſp. Deum non tam ſui, quam noſtri cauſa precationem inſtituiſſe. Nam tametſi æquum eſt, Deo jus ſuum reddi, & ipſi acceptum ferri, quidquid expetunt homines, præcipua tamen hujus ſacrificii utilitas ad nos redit. Hinc etiam, quo mage ſancti patres Dei beneficia jactarunt, eo acrius ad precandum fuerunt incitati. Cujus rei exemplum habemus in Elia, 1 Reg. 18. 42. S. 3.

5. Nec obeſt quod Deus pro nobis, ad miſerias noſtras torpentibus, ipſe vigilet, ac interdum ſuccurrat, etiam non rogatus. Fides enim novit ſui hoc eſſe officii adeoque ſua plurimum intereſſe, Deum aſſidue à nobis implorari. 1. Vt ſerio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

& ardenti ſemper quærendi, amandi, colendi ejus deſiderio cor inflammetur. 2. Vt nulla cupiditas, nullumque votum animum noſtrum ſubeat, cujus ipſum teſtem facere pudeat, coram quo cor noſtrum effundere audemus. 3. Vt ad veram gratitudinem & gratiarum actionem incitemur, quando hæc beneficia ab ejus manu nobis provenire ex ipſa precatione admonemur. 4. Vt votorum compotes tanto ardentius Dei benignitatem meditemur, & majori cum voluptate amplectamur, quæ precibus noſtris impetrata eſſe agnoſcimus. 5. Vt Dei providentiam uſus ipſe & experimentum animis noſtris confirmet, quando videmus Deum non verbis nos lactare, ſed præſenti ope tueri. 6. Ideo etiam Deus dormientis ſpeciem nonnunquam præbet, ut nos deſides & ignavos ad petendum & flagitandum noſtro bono exerceat. 7. Concludimus, inſulſe ob Dei providentiam hominum animos à Deo revocari, præſertim cum ipſe Dominus teſtetur ſe propinquum eſſe omnibus invocantibus nomen ſuum, Pſ. 145. 18. S. 3.

6. Nihilo ſecius nugantur alii, ſuperfluam eſſe petitioné eorum, quæ ultro largiri paratus ſit Dominus. Nam utrumq; verum eſt, & à ſpõtanea Dei liberalitate hęc beneficia fluere, & tamen precibus noſtris cõcedi. Etenim Dei providentia ſua ſponte curandæ piorum ſaluti ſic eſt intenta, ut ſtudium tamen noſtrum & fidei exercitium non excludat: quod recte agnoſcit Pſaltes, Pſal. 34. 18. S. 3.

7. Sequuntur leges rite inſtituendæ orationis. Quarum hęc prima eſto, ut mente & animo recte compoſiti ſimus. Principio mentem volumus omni carnali cura & cogitatione expeditam, non modo totam ſe intendere in orationem, ſed etiam ſupra ſeipſam elevari & ferri in Deum. Quæ res

quam

quam ſit difficilis, ex eo liquet, quod nemo ſic unquam intentus eſt ad precandum, quin multæ obliquę cogitationes obrepant, quę orationis curſum vel abrumpant, vel alio deflectant. Quocirca tanto enixius laborandum, ut nos ſerio afficiat Dei majeſtas. 1. Quia nihil magis contrarium eſt Dei reverētiæ, quam diſtrahi erraticis cogitationibus. 2. Et ſignum eſt animi laſcivientis & ab omni metu ſoluti. 3. In precatione Deus nos ad familiare colloquium invitat. Eſt itaque indignum, tanta ejus humanitate abuti, ut ſacra profanis miſcendo huc illuc transvolemus. 4. Ipſa ceremonia elevationis manuum docet, omnes ſenſus in ſublime tollendos nobis eſſe, quippe nimis procul à Deo remotis. 5. Huc ſpectant loquendi formulæ, *levare animam ad Deum, orationem tollere*, Pſ. 25. 1. 6. Magnum Dei beneficium eſt, quod curas noſtras in ejus ſinum jubet exonerare, Pſ. 62. 9. Ergo inexcuſabiles ſumus, ſi ſtudia & ſenſus noſtros non ſerio ad orandum applicamus: quod fieri non poteſt, niſi mens cum impedimentis fortiter luctando ſurſum emergat. Sect. 4, 5.

8. Cęterum non ita mentem explicatam requirimus, quæ nulla ſollicitudine pungatur aut mordeatur: (multa enim anxietate in nobis orandi fervorem accendi, teſtantur preces ſanctorum) ſed alienas & extraneas curas prohibemus, quibus huc illuc vaga mens circumfertur, & quaſi in terram deprimitur. S. 4.

9. Præter mentis intentionem, etiam requiſitum eſt, ut cor & affectus noſtros ad Dei voluntatem componamus, ne petamus, niſi quæ & quantum nobis Deus permittit. Qua in parte dupliciter & graviſſime peccari ſolet. Alii ſiquidem ſine fronte & reverentia Deum de ſuis ineptiis interpel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

terpellare audent, Alii ſtolide ſpurciſſimas quasque cupiditates Deo audent obtrudere, quarum etiam homines conſcios facere puderet. Cujus rei exempla non in Ethniciſmo tantum, ſed in quotidianis multorum illicitis deſideriis quoq; videre licet. His opponimus 1. puriſſimam Dei majeſtatem. 2. jus & imperium Dei, cui omnes ſubjici æquiſſimum eſt. Ideo Iohannes Dei voluntatem conſtituit precum noſtrarum regulam, 1 Ioh. 5. ℣. 14. Frenandi ergo pravi omnes & ſtulti affectus. Deinde voluntatem noſtram Dei arbitrio ſubditam eſſe neceſſe eſt. Sect. 5.

10. Sed quia tantæ perfectioni impares ſumus, utendum eſt remedio, quo Deus noſtræ imbecillitati ſuccurrit, quando Spiritum ſuum in precibus dat magiſtrum, qui & dictat quod rectum eſt, & cordis affectus moderatur, gemitus inenarrabiles in nobis excitans, Rom. 8. 26. Quo ipſo tamen orandi provinciam ſoli Spiritui non reſignamus, quaſi liceat nobis oſcitanter motus iſtos exſpectare. Quin potius hic finis eſt, ut cum nos frigere & ad orandum minus cõparatos eſſe ſentimus, tanto magis nos ipſos ſollicitemus, & ſocordiam noſtram pertæſi tanto ardentius Spiritus adminiculum expetamus. Sic etenim Deus experitur, quam efficaciter corda noſtra impellat fides. Et Spiritus S. inſtinctus non impedit nec retardat conatum noſtrum. Ideo Paulus jubens orare in Spiritu, 1 Cor. 14. 16. nihilominus alibi ſerio hortatur ad vigilantiam. S. 5.

11. Altera lex eſto, ut ſemper inopiam noſtram verè ſentiamus, tum ſerium, imo ardentem impetrandi affectum cum ipſa precatione jungamus. Neq; enim ſatis eſt nos generali & confuſo neceſſitatis ſenſu illuc duci, ſed ſollicitari nos oportet, quaſi

quaſi in re præſenti, ut egeſtatis levamen ſerio petamus. Atque hic duplex itidem peccatum animadvertimus. Primum eſt, quod ſine ſenſu malorum ſuorum & absque pœnitentia plerique ad precandum ſeſe conferant. Atqui nihil magis execrandum eſt iſta fictione, ubi quis peccatorum veniam poſtulans, aut cogitat ſe non eſſe peccatorem, aut non cogitat ſe eſſe peccatorem. Ita fit, ut defungendi cauſa permulta ſæpe flagitet à Deo, quæ citra ejus beneficentiam, ſibi aliunde evenire, aut jam apud ſe reſidere pro certo putat. Qua ratione Deus plane ludibrio habetur. Adhæc tenendum eſt, legitimam orationem poſtulare veram pœnitentiam. Nam I. conſtat, Deum non audire peccatores & hypocritas, quorum cor remotum eſt à Deo, etſi labiis videantur accedere, Eſa. 1. 15. Ier. 11. 7. 8. 11. Eſa. 29. 13. Iac. 4. 3. Sane non poteſt Deus ferre, ut fœdus ſuum jactetur ab improbis, qui ſacrum ejus nomen tota vita polluunt. II. Ideo promiſſio exauditionis ad eos refertur, qui Deum invocant in veritate, qui eum toto corde quærunt, qui præcepta ejus ſervant, Pſal. 145. 18, 19. 1 Ioh. 3. 21. non quod preces dignitati piorum innitantur, ſed quia mala conſcientia claudit januam iis qui ſibi placent in ſuis ſordibus. Vnde ſequitur, nec rite precari nec exaudiri niſi ſinceros Dei cultores. Precaturus ergo diſpliceat ſibi in ſuis malis, ac induat mendici perſonam & affectum. Sect. 6, 7.

12. Alterum delictum levius videtur, nec tamen eſt tolerabile. Multi enim defunctorie preces tanquam ex formula demurmurant, ſine pia meditatione, frigentibus animis, ut vix expendant quid poſtulent. Piis autem maxime cavendum, ne precibus ſuis in conſpectum Dei prodeant, niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſerio animi affectu exardeſcant, & quæ petunt ab ipſo, ſimul obtinere cupiant. Sect. 6.

13. Hunc porro deſiderii fervorem & vehementiam adferre oportet non minus in iis quæ in Dei gloriam duntaxat petimus, etſi primo intuitu neceſſitati noſtræ conſulere non videamur. Eſurienda enim nobis eſt & ſitienda nominis Dei ſanctificatio. Sect. 6.

14. Si quis objiciat, non ſemper æquali neceſſitate urgeri nos ad precandum, proinde non ſemper opus eſſe tanto ardore. Reſp. I. Fatemur antecedens. Nam & ipſe Iacobus tempora orandi & canendi diſtinguit, Iac. 5. 13. II. Ipſe communis ſenſus dictat, quo durius premimur, eo acrius à Deo pungi nos ad orandum: quod tempus opportunum nominat David Pſal. 32. 6. quia tunc vocatis ad Deum liberior patet acceſſus. III. Hoc tamen non impedit, quo minus omni tempore orandum ſit: Eph. 6. 18. Nullum enim punctum temporis eſt, quo nos ad precandum inopia noſtra non hortetur. Nam ſive abundemus bonis externis, certum eſt nos illis ſine gratia Dei frui non poſſe: ſive reputemus, quot ſingulis momentis diſcrimina immineant, ipſe metus ad orationem impellit: ſive etiam, quot peccatorum nobis ſimus conſcii, ſane non vacat hic eſſe ſecuros, quin aſſidue & ſuppliciter tum culpam tum pœnam deprecemur. Iam vero tentationes continuæ nullas nobis inducias concedunt. Adhæc regni & gloria Dei ſtudium aſſidue nos ad Deum evehere & rapere debet. Ita nullum ab orando tempus immune nobis relinquitur. Quo ſpectat orandi aſſiduitas quam non fruſtra toties ſcriptura præcipit, ut ſocordiam noſtram coarguat & precandi fervorem in nobis acuat. S. 7.

15. Terti

15. Tertia lex accedat, ut, quisquis precandi cauſa ſe coram Deo ſiſtit, omnem propriæ gloriæ & dignitatis opinionem & ſui fiduciam exuat, Deo autem in ſui abjectione gloriam in ſolidum tribuat. Nam ſi quid vel minimum ſibi arrogaverit, cum inani ſui inflatione à Dei facie concidat neceſſe eſt. Hinc videmus, ſanctiſſimos quosque in precationibus ſuis, I. deprecari Dei judicium, Pſal. 143. 2. Nec in ſuis juſtitiis fundare preces, quas nullas eſſe agnoſcunt, Dan. 9. 18. Eſa. 64. 6. 7. Bar. 2. 18. ſed petere ut exaudiantur, in miſericordiis Domini, propter ipſum Deum, propter nomen Dei, quia ſint populus Dei, &c. Dan. 9. ℣. 18. 19. Eſa. 64. 8. 9. Ier. 14. 7. II. Deprecari veniam cum humili & ingenua culpę confeſſione, & hac clave ſibi januam aperire ad rite orandum. Nec immerito. Nemo enim quidquam impetrabit, niſi gratis Deo ſit reconciliatus, eumque habeat propitium. Hujus rei exempla paſſim videre eſt in Pſalmis, præſertim Pſalm. 25. 6. 7. 11. 18. Pſal. 51. 1. 5. 6. 7. Quibus locis non recentia tantum peccata, ſed etiam præterita, quorum David videri poterat oblitus, ad calculum vocat, adeoque ad originalem culpam aſcendit, ut quo ſeverior eſt in ſe damnando, magis exorabilem Deum reperiat. Sect. 8. 9.

16. Nec obſtat quod non ſemper expreſſis verbis remiſſioné peccatorum poſtulant ſancti. Nam ex precibus eorum facile colligitur, orandi animum ex ſola Dei miſericordia ſumſiſſe, ſine qua ad omnem Dei acceſſum neceſſe eſt conſcientiam trepidare. Hinc quando in ſpeciali cõfeſſione pœnarum levationé optant, ſimul peccata ſibi ignoſci petunt. Sciebant enim manente cauſa non tolli effectum: nec quidquam prodeſſe externum favo-

rem, niſi Deus ſit propitius. Atque hunc ordinem & Deus tenere vult & nos ſequi expedit. Quo ſpectat Chriſti oratio Matth. 9.2. qua paralytico prius denuntiat remitti peccata, poſtea fructum gratiæ primariæ in ſanatione corporali exhibet. Vt ut ſit, generalis illa cõfeſſio nunquam in precibus omittenda, qua & peccatores nos eſſe ſerio agnoſcimus, & in gratuita Dei miſericordia acquieſcimus. Huc poteſt referri promiſſio, quæ exſtat 1 Ioh. 1.9. Nec aliud docebant ſacrificia legis, quibus preces conſecrari oportuit, ut Deo acceptæ eſſent. Sect. 9.

17. Si quis objiciat, ſanctos interdum propriæ juſtitiæ ſuffragium citare ad exorandum Deum: ut Pſal. 86.2. & 2 Reg. 20.4. Reſp. I. his loquendi formulis nolle eos pretium ſtatuere orationi ab operum meritis, ſed ſtabilire fiduciam ſuam hoc argumento, quod ſervi & filii Dei ſint, & non fucatæ innocentiæ ſibi conſcii. Illud enim conſtat, non exaudiri à Deo peccatores, qui toti peccatis ſuis indormiunt, Ioh. 9.21. Econtra Deus pollicetur, ſe propitium fore juſtis, qui mandata ejus ſervaverint, Pſal. 34.16. 1 Ioh. 3.22. His promiſſionibus gratuitis reſpondent Sanctorum obteſtationes. II. Notandum, eos hoc genere precationis fere coram Domino uti, quando ſe cum hoſtibus comparant, à quibus inique premuntur; quo ex cauſæ ipſius æquitate magis ad ferendas ſuppetias Dominum permoveant. Licebit ergo piis ſuæ integritatis conſcientia ſeipſos in Dei promiſſionibus confirmare, modo impetrandi fiducia, non ipſorum merito, ſed ſola Dei clementia nitatur. S. 10.

18. Quarta lex ſtatuatur, ut ita ſubacti vera humilitate, nihilominus certa fiducia & ſpe exo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

randi ad orandum animemur. Fiduciam non intelligimus, quæ ſoluta ſit omni anxietatis ſenſu. Optimus enim hic ſanctis ſtimulus eſt ad Dei invocationem, dum neceſſitate ſua preſſis & tantum non exanimatis in ſeipſis fides opportune occurrit. Ex utroque ergo affectu emergat hominis pii oratio convenit: utrumque etiam contineat & repreſentet, nempe, ut malis præſentibus ingemat, & à novis ſibi anxie timeat, tamen confugiat ſimul ad Deum, de auxilio minime dubitans. Nec male hæc inter ſe conveniunt, ut cum ſenſu ultionis divinę conjuncta ſit favoris Dei certa fiducia. Sicut enim pœnitentia & fides inſeparabili nexu connexæ ſunt, ita in precibus mutuo eas concurrere oportet. Et hunc fidei & timoris conſenſum recte expreſſit Propheta, Pſal. 5. 8. quia non tantum Dei majeſtas nos ad reverentiam cogit; ſed & noſtra indignitas nos ſub metu continet, tantummodo ne fidem impediat, quæ tolerantiæ difficultatem ſolatur, & exitum liberationemque certo ſperat. Sect. 11.

19. Cæterum hanc fidem in oratione eſſe requiſitam patet. I. Ex eo, quod graviſſime noſtra diffidentia irritetur Deus, ſi poſcamus ab ipſo, quam non exſpectamus, beneficentiam. II. Ex locis Scripturæ, quibus diſerte fides in oratione exigitur, Marc. 11. 24. Matth. 21. 22. Iac. 1. 5. quo loco fides opponitur hæſitationi, & dubiis animis exauditio denegatur. Vnde etiam oratio fidei pro legitima nuncupatur, Iac. 5. 15. III. Conſtat Deum dare cuique ſecundum ſuam fidem. Ergo citra fidem nihil conſequimur. IV. Fides impetrat quidquid orando conceditur. Quo pertinet illud Pauli, Rom. 10. 14. Vbi precandi exordium ex fide gradatim deducit, & aperte contendit, non

recte invocari Deum, niſi ab illis quibus Euangelii prædicatione clementia Dei familiariter innotuerit. Sect. 11.

20. Errant proinde graviter adverſarii, quando rem dicunt eſſe abſurdiſſimam, ſi quis certa animi fiducia ſtatuat Deum ſibi eſſe propitium & benevolum. At I. jam probatum eſt ſine firmo illo divinæ benevolentiæ ſenſu non poſſe Deum rite invocari, & neceſſe eſt fidei naturam & vim ignorare qui hoc neget. II. Abſurda potius illa eſt oratio, qua dubii ſumus an Deus velit exaudire, tamen neceſſitate preſſi ad Deum confugimus, ut ſi digni ſimus nos exaudiat. III. Longe aliter precati ſunt omnes ſancti. IV. Scriptura jubet nos accedere ad Deum cum fiducia, Hebr. 4. ỿ. 16. Eph. 3. 12. Vbi fidei non fiduciam tantum, ſed etiam libertatem vel audaciam conjungit. V. Hanc fidei & ſpei conditionem ſæpius videmus poni in Pſalmis, Pſalm. 33. 22. & 56. 10. & 5. 4. VI. Eodem tendit ſeries Paulinæ exhortationis, Eph. 6. 16. ubi orationi præmittit ſcutum fidei, & galeam ſalutis, & gladium ſpiritus. Concludimus, eam demum orationem Deo acceptam eſſe, quæ ex tali præſumptione fidei naſcitur & in ſpei intrepida certitudine fundata eſt. S. 12.

21. Ad pleniorem hujus rei certitudinem, operæ pretium erit repetere, quod & ſupra aſſeruimus, agnitionem miſeriæ & egeſtatis noſtræ, tum vel maxime ſenſum peccatorum noſtrorum, non labefactare fidem legitimæ orationis, quam fidelis animus Deo offert. Sane non eſt inſtituta oratio, ut arroganter nos aut noſtra coram Deo efferamus, ſed ut reatum noſtrum confiteamur, & ærumnis in Dei ſinum depoſitis tanto ardentius ad precandum incitemur: exemplo Davidis Pſ. 41. 5.

Quia

Quia vero graves hic punctiones occurrunt, placuit Deo tempeſtivis remediis huic perturbationi & metui ſuccurrere, facilemq; ad orandum viam præſternere. Quo pertinent, mandatum & promiſſiones Dei, Chriſtique mediatoris interceſſio. Sect. 12.

22. Primum, inter officia pietatis nullum frequentius commendat & præcipit Scriptura, quam ut oremus. Loca ſunt illuſtria, Pſalm. 50. ℣. 15. Matth. 7. 7. Huic præcepto non obſequi impiæ eſſet contumaciȩ. Etſi vero huic mandato eſſe obtemperandum fatentur omnes, plerique tamen refugerent Deum vocantem, niſi addita fuiſſet promiſſio, qua ſe exorabilem & obvium fore pollicetur. Hæc duo ſimul poni neceſſe eſt. Certe quæcunque ſcripturæ occurrunt teſtimonia, quibus præcipitur invocatio, totidem ante oculos figuntur vexilla, quæ animis fiduciam inſpirent. Proinde quicunque hic tergiverſantur, non rebellionis tantum ſed etiam incredulitatis cōvincuntur: & quocunque modeſtiæ vel humilitatis prætextu ſe excuſent, reperientur tam ſuperbe Dei præceptum contemnere, quam fidem benignæ invitationi abrogare, imo Deum fraudare præcipua cultus ſui parte. Nam Pſal. 50. repudiatis ſacrificiis, hoc ſummum & pretioſum ſibi eſſe declarat, invocari in die neceſſitatis. Nulli ergo ſuperſunt dubitandi colores. Eſſet quidem temeritatis prorumpere in Dei conſpectum, niſi ipſe anteverteret nos vocando, præcipiendo, animando. Deus præit, *Populus meus vos:* nos ſequimur, *Tu Deus noster*, Zach. 13. 9. Deus jubet, *Invoca me;* & promittit, *Eruam te*, Pſ. 50. 15. Nos oramus, glorificamus Deum. non poteſt non ſuavis eſſe melodia, quam Deus ipſe dictat. Accedunt elogia

quibus Deus in verbo deſcribitur. *Tu Deus exaudiens orationem; omnis caro ad te veniet*, Pſ.63. 5. Ergo Dei proprium eſt, ſupplicum votis annuere. Et hinc janua patet omnibus mortalibus. Quo referri debent ſententiæ hinc inde Pſalmis inſertæ, à Dei potentia, bonitate & fide promiſſionum deſumptæ, totidem nempe fidei fomenta, ne ardor langueſcat. Præcipue vero nos moveat promiſſionum dulcedo. Arx inexpugnabilis nomen Domini, ad eam confugiet juſtus, & ſervabitur, Prov.18:10. Quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit, Ioël 2.32. Invocabitis me, & exaudiam vos; imo antequam clametis, reſpondebo vobis, Eſa.65.24. Clamavit ad me, exaudiam eum, Pſal.91. 15. Prope eſt Dominus omnibus invocantibus ſe in veritate, ut voluntatem timentium ſe faciat, Pſal.145. 18, 19. His promiſſionibus freti, num adhuc dubitanter & trepide orabimus? Terret quidem Dei majeſtas, ſed ſuaviſſimum Patris nomen, quod ſuggerere nobis dignatur, tanto magis invitat, ut cum fiducia ad Deum accedamus, non innixi noſtris meritis, ſed fundati in promiſſionibus divinis. Denique quid hæ promiſſiones apud fideles valeant, David exemplo ſuo declarat, 2 Sam. 7. 27. Tu Domine revelaſti in aurem ſervi tui: ob eam rem invenit in corde ſuo, quod oraret coram te. Nunc Domine, tu es Deus, & verba tua vera erunt. loquutus es ſervo tuo de his beneficiis. Benedic ergo, &c. Singulare exemplum generalem nobis regulam præbet. Sect. 13, 14.

23. Quæ hic dubia occurrunt, facile ſolvuntur. I. Ad preces & exempla Sanctorum excipi poteſt, nos cum Patribus Prophetis & Apoſtolis non excellere pari ſanctitate. Reſp. Commune

nobis

nobis eſſe præceptum & communem fidem. Proinde nos in hoc jure eſſe ipſorum ſocios. Deum omnibus, præſertim miſerrimis, ſpem facere exauditionis, modo abſit hypocriſis, adſit cordis ſinceritas, diſplicentia noſtri, humilitas & fides. Ad omnes ſpectare rationem precandi, qua David utitur, 2 Sam. 7. 27. Pſal. 119. 76. Sic Iſraëlitæ non timide ad orandum accedunt, quoties ſe fœderis recordatione muniunt. Iacobus Patriarcha poſt confeſſionem ſuæ indignitatis ad majora tamen poſtulanda ſe animari dicit, quia Deus ſe facturum promiſerat, Gen. 32. 10. Denique pios hac cogitatione armari convenit, quod morem gerant Dei mandato, qui nihil ſibi obedientia gratius eſſe pronunciat. Quocirca nulla incredulis ſupereſt excuſatio, ſi urgente neceſſitate Dei opem non implorant: ſiquidem hoc ipſo Deum ſibi bonorum omnium auctorem eſſe negant, & legitimo honore fraudant. Sect 14.

24. II. Quæritur, quomodo his loquendi formis inter ſe conveniat, quibus fideles modo proſternere preces ſuas coram Deo dicuntur, Ierem, 42. 2. 9. Dan. 9. 18. modo levare orationem, & petere ut aſcendat, &c. 2 Reg, 19. 4. Pſ. 141. 2. Reſp. Optime hæc inter ſe conſentire, ſicut & ſupra diximus, probe cum metu & ſollicitudine quadrare intrepidum precandi Spiritum. Sic enim pii per gradus promiſſionum ſecure aſcendunt, ut tamen ſupplices maneant in ſui dejectione. S. 14.

25. III. Objici poteſt, Deum quorundam precibus annuiſſe, quæ tamen ad verbi præſcriptum formatæ non fuerint. Talia videntur fuiſſe vota Iothani & Samſonis, Iud. 9. 10, & 16. 26. Reſp. 1. Singularibus exemplis non everti Dei legem, quæ perpetua eſſe debet. 11. Speciales interdum motus

inditos paucis hominibus fuiſſe. Aliorum diſſimilem eſſe rationem. Ideo cuique videndum, quo Spiritu præditus ſit, teſte Chriſto Luc. 9. ℣. 55.
111. Non eſſe conſequens vota omnia Deo placere quibus annuit. Cur autem has preces, quamvis indignas quæ tantillum impetrent, exaudiat, alias eſſe cauſas. Primam, ut his exemplis velut certis documentis palam fiat, Deum miſeris ſuccurrere & eorum exaudire gemitus qui injuſte afflicti opem ejus implorant. Idque vel unus Pſalmus centeſimus ſeptimus liquido demõſtrat. Non ut tali facilitate gratas ejusmodi preces ſibi Deus eſſe teſtetur, ſed ut ſuam miſericordiam vel hac quoque circumſtantia illuſtret, quod ne incredulis quidem vota ſua denegat. Altera cauſa eſt, ut probos ſuos cultores ad orandum magis exſtimulet, dum vident profanos ejulatus non carere interdum profectu. Nec tamen eſt cur fideles à lege divinitus ſibi impoſita deflectant, aut incredulis lucellum hoc invideant. Legimus, flexum fuiſſe Deum ficta pœnitentia Achabi, 1 Reg. 21. 29. nempe ut oſtéderet quam ſit exorabilis erga ſuos, ſi veram adferant converſionem. Cæterum quam nullius faciat ejusmodi hypocritarum vota, ex eo conſtat, quod non ſemel hac de re expoſtulat cum Iſraëlitis, fictas eorum fuiſſe lachrymas, quia experti Deum votis ſuis facilem, ad ingenii pervicaciam paulo poſt reverſi ſint. Vide hiſtoriam Iudicum & Pſal. 106. 43. Denique ſicut Deus ſolem ſuum facit oriri ſuper malos & bonos, ita nec fletus eorum ſpernit, quorum juſta eſt cauſa. Interim non magis hos ad ſalutem exaudit, quam bonitatis ſuæ contemtoribus alimenta ſuppeditat. Sect. 15.

26. IV. Difficilior videtur quęſtio de Abrahamo & Sa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

& Samuele, quorum ille ſine verbo pro Sodomitis, hic contra Dei prohibitionem pro Saule oravit, Gen. 18.23. 1 Sam. 15.11. & 16.1. Eadem ratio Ieremiæ, qui urbis excidium deprecatur, Ier. 32.16. Quamvis enim repulſam paſſi fuerint, durum videtur eos fide privare. R. 1. Quia Deus etiam jubet indignos miſericordia proſequi, hoc fulti generali principio, non prorſus fide caruerunt, licet eos in ſpecie facti fruſtata ſit opinio. 2. Recte Auguſtinus diſtinguit voluntatem Dei abſcōditam, contra quam videntur petere Sancti, à revelata ſecundum quam ex fide orant, ſic Deo attemperante rerum eventus, ut non irritæ ſint ſanctorum preces, quæ fide & errore ſimul ſunt implicitæ. 3. Hæc exempla, præſertim ubi modum excedunt, non valere ad imitationé. 4. Ideo hæc regula ſervetur, ut quando non exſtat certa promiſſio, conditione interpoſita rogetur Deus. Alioquin recte David ad mandatum Dei provocat, Pſ. 7.7. quia ſpeciali oraculo inſtructus erat. Sect. 15.

27. V. Contra certitudinem exauditionis non leve dubium moveri poteſt, ex iis, quæ de quatuor recte orandi legibus ſupra diſſeruimus. Quotusquisque enim eſt, qui eas exacte & qua par eſt integritate obſervet? Quam multæ Davidis querimoniæ intemperiem ſapiunt? In quam turbulentos nonnunquam erumpit affectus? Pſalm. 39.14. Vix ſibi modum ſtatuit. Diceres enim veluti deſperatum nil aliud expetere, niſi ut ceſſante Dei manu in ſuis malis putreſcat. Quoties in gravioribus tentationibus non ſatis expendunt Sancti, quid expediat aut quid fas ſit petere? Quæ omnia non parum à prima lege diſtant. In ſecundam legem frigido & non ſerio miſeriæ ſenſu ſæpius

quoque

quoque peccant. Contingit etiam mentes eorum dilabi & prope evaneſcere: languidas mutilas & interruptas vel vagas eſſe preces. Et tum quoque ubi manus elevant, conſcii ſunt ſibi ſuæ tarditatis, dum cor in terra ſubſidit. In petenda remiſſione peccatorum, ex tertia lege, quantum abſunt fideles à Sacrificio contritionis, de quo David loquitur Pſal. 51. 19. ut merito duplex venia petenda ſit, tum peccatorum quæ commiſſa ſunt, tum quod eorum ſenſu non tangantur quantum oportet. Maxime vero fidei infirmitas vel imperfectio fidelium preces vitiat. Putes Davidem Pſal. 80. 5. velle Deum exacerbare. Quousque, ait, iraſceris? Ieremias conqueritur orationem ſuam excluſam eſſe, Lam. 3. 8. videtur abjeciſſe omnem fiduciam. Talia exempla multa occurrunt, in quibus Sanctorum fides ſępius mixta fuit & agitata variis dubitationibus. Quæritur quid de ejuſmodi precibus judicandum ſit. Reſp. I. Non ita ſummo rigore iſtas leges exigi, ut preces omnes repudiet Deus, in quibus tantam perfectionem non inveniet: ad quam accedere contendimus pro virili; ut perveniamus in hac infirmitate, non contingit. II. Sed hoc ipſo nomine ingemiſcunt Sancti, caſtigant ſeipſos, & ſtatim ad ſe redeunt. Tum vero non devoto animo in illam intemperiem ruunt, nec conſulto vel expoſtulare cum Deo, vel ejus judiciis obſtrepere volunt, ſed vel doloris vehementia abripiuntur, vel quia præ infirmitate fatiſcunt, hoc unicum quærunt ſolatium, ut dolores ſuos in Dei ſinum conjiciant. Denique cum vitiis ſuis, præſertim cum diffidentia & incredulitate, luctantur, tandemque victores emergunt. III. Fatemur ergo, nullam eſſe orationem, quam non merito ſuo Deus faſtidire & repudiare poſſit, niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſuccurreret Dei indulgentia, quæ ad maculas noſtras connivet, ſine qua nulla eſſet precandi libertas. Quin etiam tolerat Deus noſtram balbutiem & inſcitiam & inconſiderationem & fidei imperfectionem, reliquosq; defectus, præſertim quando aſperis documentis fidem & patientiam noſtram exercet. IV. Hæc tamen ideo non dicuntur, ut ſibi quidquam fideles ſecure condonent, ſed potius ut acriter contendant omnia Satanæ obſtacula pertrumpere & ſuperare, certo perſuaſi, conatus ſuos & vota Deo placere, modo illuc enitantur, quo non ſtatim pertingunt. Sect. 16.

28. Cæterum indignitatis noſtræ cogitationi ſuccurrit tertium orationis & fiduciæ noſtræ fulcrum, poſitum in Chriſti interceſſione. Quando enim nemo hominum dignus eſt qui in Dei conſpectum prodeat, ut omni nos pudore & metu eximat, placuit Patri Filium nobis ſuum donare in Advocatum & Mediatorem, per quem ad ipſum ſecure accedamus, & cujus interceſſione nihil nobis denegatur, ſicut nec ipſi Filio quidquam denegari poteſt à Patre, 1 Tim. 2. 5. 1 Ioh. 2. 1. Nam I. Chriſtus eſt, qui horribilis majeſtatis divinæ formidabilem gloriam in ſolium gratię commutavit, ut cum omni fiducia comparere audeamus, Hebr. 4. 16. II. Speciatim jubemur in nomine Chriſti Deum invocare, addita promiſſione, nos impetraturos, quidquid in nomine ejus petierimus, Ioh. 14. 13. & 16. 24. III. Omnes promiſſiones in Chriſto confirmantur & implentur, 2 Cor. 1. 20. Ergo nulla eſt promiſſio quidquam impetrandi extra Chriſtum. IV. Tanto autem gratia hæc commendatior eſſe debet, quod jam Chriſtus in cœlum aſcenderit, ad quam temporis circumſtantiam etiam Chriſtus nos revocat, Ioh. 16. 26. Non

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quod unquam niſi Mediatoris beneficio quisquã exauditus fuerit. Nam & ſacerdos olim ingrediens ſanctuarium geſtabat in humeris nomina tribuum Iſraël & totidem ante pectus lapides pretioſos: & populus in atrio ſtans vota ſua conjungebat cum ſacerdote. Prętерea huc etiam valebat ſacrificium, ut ratæ eſſent preces. Qua ceremonia docebantur omnes, ſe arceri à facie Dei, ideoque opus habere Mediatore qui eos geſtet in humeris & pectori ſuo alligatos teneat, ut in perſona ejus exaudiantur: deinde ſanguinis aſperſione preces ſuas mundari. Qua de cauſa videmus ſanctos oraturos ſpem ſuam in ſacrificiis fundaſſe, Pſal. 20.4. Sed novam horam Chriſtus abiturus aſſignat, quia illuſtrior eſt hodie Mediatoris gratia, cujus diſcipuli non erant plane ignari, ſed nondum liquido cognoverant, Chriſtum ſuo in cœlum aſcenſu certiorem quam ante fore eccleſiæ patronum. Ideo munus Advocati ſibi vendicat, non tantum ut abſentiæ ſuæ dolorem hoc fructu ſoletur, ſed etiam ut ejus patrocinio fulti tanto liberius Deum invocẽt. Quo ſenſu Apoſtolus dicit viam cœlorum recentem Chriſti ſanguine dicatam eſſe, Hebr. 10.20. Concludimus, unum Mediatorem eſſe Chriſtum, cujus interceſſione propitius & exorabilis nobis reddatur Pater qui vero ab hac via deflectunt, iis nullus ad Deum acceſſus intereſt, & porro reliquum in throno Dei nihil ſit præter iram, judicium, & terrorem. Sect. 17, 18, 19.

29. Hoc ipſo tamen non negamus, ſanctis ſuas eſſe interceſſiones, quibus alii aliorum ſalutẽ Deo commendent mutuo, de quibus vide 1 Tim. 2. 1. Sed has tales eſſe dicimus quę ab unica illa dependent, ſic ut ex ea nihil delibent. Nam 1. Preces hæ ſunt membrorum unius corporis & à dilectionis

mutuo

mutuo affectu ſcaturiunt, ita tamen ut ad capitis unitatem referri debeant. 2. Eædem non adjuvant, niſi fiant in Chriſti nomine, hoc eſt, Chriſto intercedente. 3. Cum indigni omnes ſimus, quorum preces Deus accipiat, ſummæ eſt ſane benignitatis, quod non tantum ſingulis pro ſe orare permittit, ſed etiam alios pro aliis admittit deprecatores. Ingrati ergo & ſuperbi ſunt, qui hac liberalitate abutuntur, ut Chriſti honorem obſcurent. Sect. 19.

30. Contra præcedentem doctrinam excipi ſolet: Chriſtum eſſe redemptionis Mediatorem, fideles autem interceſſionis. Reſp. I. Sic Chriſtus temporaria meditatione defunctus æternam & nunquam immorituram ad ſervos ſuos rejecerit; quod abſurdum & falſum eſt. Scriptura talem advocatum nobis proponit, cui perpetuam interceſſionem aſſignat, quotieſcunque peccaverimus, 1 Ioh. 2. 1. quam exercet ſedens ad dextram Dei, Rom. 8. 32. II. Etiam quando nos pro aliis Paulus jubet intercedere, pro cõfirmatione hujus dicti ſubnectit, unum eſſe Mediatorem Chriſtum, 1 Tim. 2. 1. 5. Vana ergo eſt diſtinctio. III. Longe melius Auguſtinus. Nos commendamus nos invicem noſtris orationibus. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, is unus verusque Mediator eſt. Paulus ſe commendat precibus ſanctorum: Rom. 15. 30. Eph. 6. 19. Coloſſ. 4. 3. Mediatorem ſe inter Deum & populum non facit. Omnia corporis membra invicem pro ſe orant, quoniam invicem ſollicita ſunt membra, & ſi patitur unum, reliqua compatiuntur. At omnium orationes aſcendunt ad caput. Si Paulus eſſet Mediator, eſſent & utique reliqui Apoſtoli, ac ſic multi eſſent Mediatores, contra dictum Pauli,

1 Tim.

1 Tim. 2. 5. Si ſacerdotem requiras, ſupra cœlos eſt, ubi interpellat pro te, qui pro te mortuus eſt. Sect. 20.

31. Cæterum ne ſomniemus hic interceſſionem, qua Chriſtus genibus Patris advolutus, ſuppliciter pro nobis deprecatur, ſed talem, qua mortis ſuæ virtute indeſinenter coram Deo apparet, & in ſanctuario cœli, tanquam ſolus Pontifex populi eminus in atrio reſidentis, vota ad Deum defert ad conſummationem uſque ſæculorum. S. 20.

32. Sed quia de Sanctorum, qui carne mortui vivunt in Chriſto, interceſſione potiſſimum controvertitur, rem ipſam penitius diſpiciamus. Sane illud conſtare omnibus oportebat, ne ſanctis quidem ullam eſſe rogandi Dei viam, quam ſolum Chriſtum, qui ſolus via eſt & cujus nomine Deo acceptæ ſunt preces. Ideo Scriptura ab omnibus ad ſolum Chriſtum nos revocat. Contra jam ſæculis aliquot, præſertim in Papiſmo, eſt factitatum. Ad conciliandam Dei benevolentiam Sanctorum merita, ut plurimum Chriſto prætérito, obtruduntur. Atqui I. hac ratione ad illos munus Chriſti traducitur, ſine quo nec ipſis aditus ad Deum ullus patet. II. Scriptura nullibi hujus interceſſionis meminit. III. Commentum hoc non niſi à diffidentia ortum habet, perinde ac ſi Chriſtus deficeret, aut nimium ſeverus eſſet. Quo ipſo 1. Chriſtum ſolius Mediatoris titulo & laude paſſionis ſuæ ſpoliant. 2. Simul Dei benignitatem abjiciunt, qui ſe illis in Patrem & Chriſtum in fratrem exhibet, de cujus fraterno affectu dubitare nefas eſt. Quare etiam ad illum unice Scriptura nos mittit & in illo ſiſtit: ſine cujus interceſſione nec nobis nec ſanctis omnibus acceſſus ullus ad Deum patet. Quod excipiunt ſe hac appendice publicas

publicas preces finire, *per Dominum Chriſtum*, partim falſum eſt, ut ex omnibus litaniis, hymnis & proſis videre eſt, partim frivolum eſt effugium, quia profanatur Chriſti interceſſio, dum mortuorum precibus & meritis admiſcetur, non minus, quam ſi tota omitteretur. IV. Error errorem cumulavit. Poſtquam cœptum fuit ſuperſtitioſe in ſanctorum interceſſionem reſpicere 1. Senſim ſua cuique ſancto pro negotii diverſitate attributa eſt procuratio. 2. Singuli peculiares ſibi divos tanquam Deos tutelares aſciverunt. 3. Non ſecundum urbium numerum, ut olim Ierem. 2. 28. & 11. 13. ſed ſecundum capitum multitudiné erecti ſunt Dii. 4. Tandem illos horribili ſacrilegio non jam ut ſuffragatores ſed ut ſalutis ſuæ præſides invocare non verentur. 5. Omittimus craſſiora impietatis monſtra, quorum tamen eos non pudet. Proſtrati ad ſtatuam Barbaræ, Catharinæ, aut ſimilium demurmurant Pater noſter. Eligium aliquem vel Medardum rogabunt, ut ſervos ſuos juvent è cœlo. Sanctam virginem, ut filium facere jubeat quod petunt. Sic 1. Stolide de Sanctis cogitant, quaſi alia ratione utantur, quam qua regnum Dei evenire expetunt, aut quaſi unusquisque illorum privato affectu in ſuos eſſet propenſus. 2. Diabolica importunitate ad mortuos transferre non dubitant, quod Dei & Chriſti proprium eſt. Et hiſce quidé malis videntur olim patres occurrere voluiſſe in Concilio Carthaginenſi, in quo vetitum fuit, ne ad altare oratio dirigeretur ad ſanctos, ut hac ratione pravam conſuetudinem aliquo modo compeſcerent. Sed ubi ſuperſtitio ſemel frænum excuſſit, nullum laſciviendi finem facere ſolet. Ex hiſce ergo fructibus de ipſa doctrina judicium fieri poteſt. Sect. 21, 22.

33. Ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

33. Objicere ſolent, I. Angelorum orationes ſæpius legi in ſcriptura. Itemque per eorum manus preces ſanctorum deferri in conſpectum Dei. Reſp. Diſſimile eſſe exemplum, & ab Angelis ad ſanctos demortuos non valere conſequentiam. Voluit Deus Angelos eſſe ſpiritus adminiſtratorios, Hebr. 1. 14. delegavit illis provinciam cuſtodiendi nos in viis noſtris, Pſal. 91. 11. circumire nos & pro nobis excubias agere, Pſalm. 34. 8. Hinc & cœtus noſtros frequentant, & Eccleſia illis theatrum eſt multiplicis Dei ſapientiæ. Quod Angelis peculiare eſt, male ad ſanctos transfertur, quibus tale munus non legitur injunctum. S. 23.

34. II. Obj. Ex Ier. 15. 1. quia dicitur, ſi ſteterint Moſes & Samuël coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: inde colligunt, non ſic de mortuis loquuturum fuiſſe Deum, niſi pro vivis intercedere illos noviſſet. Reſp. I. Contra potius ſequi, mortuos non intercedere, quia Moſes non interceſſit, à cujus humanitate & paterna ſollicitudine omnes procul abſunt. II. Sententia loci perſpicua eſt. Id tantum pronuntiat Deus, ſe populi flagitiis non parciturum, etiamſi talis aliquis patronus contingeret, cujus precibus tam indulgenter Dominus annuere ſolebat. Et eodem ſenſu Ezech. 14. 14. dicitur, ſi fuerint in iſta civitate tres viri, Noë, Daniel & Iob, non liberabunt filios aut filias ſuas in ſua juſtitia, &c. Ex quibus Daniel tum adhuc in vivis ſuperſtes, reliqui mortui erant, quos ipſos tamen negat, ſi reviviſcere contingat, quidquam Iudæis ſuis precibus profuturos. III. Non alia eſſe poteſt horum ratio, quam fuit Davidis, quem Paulus docet ſuæ duntaxat ætati ſerviiſſe, non autem precibus poſteritatem juviſſe. Sect. 23.

35. Ex-

35. Excipiunt, abſurdum videri, ſanctos mortuos omni pietatis voto exuere, quos conſtat vivos nil niſi pietatem & miſericordiam ſpiraſſe. Reſp. 1. Non eſt curioſius inquirendum, quid nunc agant aut meditentur ſancti. Hoc ſufficiat, quod ſummo deſiderio in Dei regnum adſpirant, quod non minus impiorum interitu, quam fidelium ſalute conſtat. 2. Quam vero deferunt nobis charitatem, eam non eſt dubium in communione corporis Chriſti contineri, nec latius patere, quam fert communionis illius natura. 3. Vt concedamus, eos in hunc modum pro nobis orare, non eſt tamen probabile, diſtrahi in curas terrenas, variiſque & particularibus votis huc illuc circumferri. 4. Nec tamen hinc conſequens eſt, ideo protinus eſſe invocandos. Sect. 24.

36. Inſtant. Si qui in terris degunt homines, alii aliorum precibus ſe poſſunt commendare, & mortuis idem licere. Reſp. Non ſequitur. nam illa viventium officia & mutua ſunt & alendę charitati ſerviunt. Tum vero id faciunt ex Domini præcepto, nec promiſſione deſtituuntur. Hæ rationes à mortuis abſunt, cum quibus nullum nobis eſt commercium, nec illis nobiſcum, quantum licet aſſequi conjecturis, Eccl. 9, 5, 6. S. 24.

37. Rurſus inſtant, fieri non poſſe, quin eandem erga nos charitatem teneant, cum ſint una nobiſcum fide conjuncti. Reſp. Hinc minime ſequitur aut negotia aut vota noſtra ipſis nota eſſe. Quod enim de ſpeculo & fulgore vultus divini nugantur, in quo ſancti omnia videant, tam facile nobis eſt negare, quam illis affirmare. Certe Scriptura hujus non meminit. S. 24.

38. III. Objiciunt, Iacobum rogare, ut ſuum, patrumque Abraham & Iſaac nomen ſuper ſuam

poſte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

poſteritatem invocetur, Geneſ. 48. 16. Reſp. 1. Iſraëlitas hac invocationis forma non imploraſſe patres ut ſibi ferrent ſuppetias, ſed Deum obteſtari, ut ſervorum ſuorum meminiſſe velit. 2. Patet hoc ex aliis locis, Eſai. 4. 1. Virorum nomen ſuper mulieres invocari dicitur: quos ſcilicet maritorum loco habeant & ſub eorum fide & tutela degant. Sic invocatio nominis Abraham in eo ſita eſt, quod eum pro authore & parente ſuo celebri memoria colunt. Ergo nihil patrocinatur illis, qui ſermonem ſuum ad ſanctos dirigunt. 3. Præcipua hujus phraſeos cauſa hæc eſt, quod ad fœdus cum Patribus initum reſpiciunt. Sane Iacob non erat ambitioſę ſollicitus de propaganda nominis ſui celebritate, ſed comprecatur, ut poſteri genere ſuo cenſeantur, & ad eos fœderis ſucceſſio tranſmittatur. Iſraëlitæ viciſſim, dum ejuſmodi memoriam precibus ſuis interſerunt, non ad interceſſiones mortuorum confugiunt, ſed Deo fœderis ſui recordationem objiciunt. 4. Quam vero nullam cogitarint interceſſionem, liquet ex Eſai. 63. 16. licet enim petant, ut Deus convertatur propter ſervos ſuos, prius tamen teſtantur, ſolum Deum eſſe Patrem & Redemptorem ipſorum, Abrahamum vero & Iacobum ignorare ipſos. 5. Cum habeamus Chriſtum, in cujus manu confirmatum eſt æternum fœdus, non eſt cur alterius nomen in precibus noſtris prætendamus. 6. Si Patriarchas volunt eſſe interceſſores, cur in tanta advocatorum turba ne minimum quidem locum apud eos obtinet Abraham Eccleſiæ pater, quem Deus præ reliquis in ſummum honoris gradū evexit? 7. Atque ex his illud quoque jam conſtat, talem uſum veteri Eccleſiæ fuiſſe incognitum. Sect. 25.

39. Inſtant, Sæpius rogari Deum, ut in Davidis gratiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

gratiam populi miſereatur. Reſp. I. Iſtiusmodi formulis non tam hominis quam fœderis haberi rationem. 2. Sub perſona Davidis unicam Chriſti interceſſionem aſſeri. Quod autem ſingulare fuit Davidi, quatenus Chriſti fuit imago, in alios minime competere certum eſt. Sect. 25.

40. IV. Objiciunt, Sanctorum orationes ſæpe fuiſſe exauditas. Reſp. I. Damus libentur. Sed quid inde concludant, non videmus. De vivis agi, res nota eſt. Proinde nihil ad rem. Si dixerint, non exaudiri niſi qui ſemel exauditi ſunt, præpoſtere ratiocinantur. Nam I. exauditi ſunt, qui orarunt, Pſal. 22. 5. Oremus & nos, ut eorum inſtar axaudiamur. II. In exemplum nobis propoſiti ſunt, ut talibus experimentis confirmemur in certiorem promiſſionum Dei fiduciam. Hoc fine exemplum Eliæ inculcatur, Iac. 5. 17. Non ſane ut ad Eliæ aliquam prærogativam confugiamus, ſed ut vim piæ orationis intelligamus, & ſimiliter ad orandum ſtimulemur: quia non uni aut paucis, ſed omnibus propitius eſt Deus, qui nomen ſuum invocaverint. Eo pertinent loca Pſalm. 142. 8. & 52. 8. & 34. 7. Præſertim Pſal. 32. 6. quibus locis exemplo ſuo & aliorum precantes erigit ad bene ſperandum. III. Eodem ſenſu David beneficia Dei ſæpius deprædicat in fiduciæ materiam. Nec aliter Iacob, Gen. 32. 10. Non tantum miſericordiam vel beneficētiam Dei ſed ejus quoque veritatem allegat, ut animoſius in futurum Deo confidat. Neque enim timendum eſt ut ſpes noſtra pudefiat, aut ut Deus precantes fruſtretur, quandoquidem ſemper ſui ſimilis eſt, & tam multa bonitatis ſuæ & fidei erga nos & alios ſpecimina exhibuit. Sect. 26.

41. Summa eorum quæ diximus hæc ſit. I. Cum

I. Cum ſolus Deus ſit invocandus, non ſine ſacrilegio orationem ad alios dirigi, Pſalm. 44. ℣. 21. II. Cum non niſi ex fide Deus velit invocari, hæc autem verbo Dei nitatur & ex illo naſcatur, ſimulac à verbo deflectitur, orationẽ adulterari. III. Munus intercedendi pro nobis Chriſto peculiare eſſe: ad alios ergo referri non poſſe. IV. Tametſi fideles pro ſe mutuo in hac vita precentur, nihil tamen hoc derogare interceſſioni Chriſti: tum vero inſcite ad mortuos trahi. V. Scripturam de mortuorum invocatione nihil dicere, nullumque ejus recitare exemplum. VI. Superſtitionem hanc ex diffidẽtia natam eſſe, quod Chriſto deprecatore contenti non fuerint. VII. Tanto majorem eſſe impudentiam, quod Chriſti interceſſionem pro nihilo ducunt, niſi Gregorium aut Hippolytum ſimilesque larvas fictitias Chriſto ſocios adjungant. Sect. 27.

42. Hactenus orationis legitimæ naturam inquiſivimus. Eſt autem orationi conjuncta gratiarum actio. Etſi enim illa proprie ad vota & preces reſtringitur, tanta tamen eſt inter utramque affinitas, ut commode ſub uno nomine comprehendi queant. Rogando petimus quæ ad Dei gloriam faciunt, & beneficia quæ uſui noſtro conducunt. Gratias agendo, benefacta Dei juſta laude celebramus. Vtramque conjunxit David, Pſal. 50. ℣. 15. Sect. 28.

43. Vtramque porro aſſiduam eſſe convenit. quiſquis enim recte animo reputaverit inopiam & anguſtias, quibus undique urgemur, &, cum ab his quoque ſumus immunes, quæ nos peccatorum culpa, & quam innumeri tentationum inſultus ſtimulent ad expetendũ remedium, ſatis agnoſcet, quam multæ cauſæ ſint, cur aſſidue debeamus gemere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

gemere & ſuſpirare ad Deum. Et cum ſpes omnes opesque noſtræ in Deo ſitæ ſint, & maledicti pronuntientur quicunque ſui aut alterius fiducia, extra Dei voluntatem, ipſo non invocato, quidquam moliuntur aut tentant, Iac. 4. 15. Eſa. 30. 1. & 31. 1. oportet ſane, ut nos noſtraque omnia Deo aſſidue commendemus, nihilque niſi ſub ſpe auxilii ejus deliberemus, loquamur, agamus. In ſacrificio autem gratiarum actionis, nulla poteſt eſſe ſine ſcelere interruptio. 1. Propter effuſam Dei largitatem, & tam ingentia, innumera & miraculoſa Dei erga nos beneficia, ut nunquam nobis deſit gratiarum actionis materia & argumentum. 2. Quia ſic Deum juſto honore afficimus, quando ſicut quotidie ex manu ejus bona ſuſcipimus, ſic etiam eorundem bonorum auctorem eſſe quotidie agnoſcimus. 3. Quia hic quoque juſtus eſt beneficiorum Dei uſus, ſi in gratiis agendis ſimus aſſidui, 1 Tim. 4. 5. 4. Huc faciunt Scripturæ loca, Pſal. 40. 4. Eſai. 42. 10. Pſ. 51. 17. Eſa. 58. 20. Ion. 2. 10. Pſal. 116. 12. & 106. 47. & 102. 18. Oſe. 14. 3. Nec aliud ſibi volunt fideles, quoties Deum obſecrant, ut eos audiat propter nomen ſuum. Nam ſicut indignitatem ſuam profitentur, ita hoc ipſo ſe obligant ad gratitudinem. 5. Nec modo linguæ præconium ſed amorem quoque Deo paſſim promittunt, Pſ. 116. 1. Pſ. 18. 1. quia tum vere laudes Deo placẽt, quando fluunt ex hac dulcedine amoris. Breviter, vota omnia vitioſa eſſe, quibus non eſt annexa gratiarum actio, ſatis luculenter teſtatur Paulus Phil. 4. 6. Sane ſi affectus noſtri temperandi ſunt, ut Deo hilariter benedicamus, etiam antequam adepti ſumus quod petimus; quanto magis, poſtquam nos votorum compotes fecit Deus? Denique de utriusque aſſiduitate monet

Paulus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Paulus, 1 Theſſal. 5. 13. Tandem & illud notari convenit, ſicut ſupra de precibus diximus, ita & gratiarum actiones, non placere Deo, niſi Chriſti interceſſione conſecrentur, Heb. 13. 12. Sect. 28.

44. Porro orationem diſtinguimus in propriam ſive privatam cujusque, & publicam totius Eccleſiæ. Ad utramque aſſiduitas requiritur. De privata conſtat ex præcedentibus. De publica nemini dubium eſſe poteſt, ſic tamen ut fiat ex politia & ordine, in quem communi conſenſu omnes convenerint. Ideo certę horę præſtituuntur, apud Deum quidem indifferentes, hominum tamē uſibus neceſſariæ, quo omnium commoditati proſpectum ſit, & omnia decenter in Eccleſia adminiſtrentur, 1 Cor. 14. 40. Poterit tamen unaquæque Eccleſia cum ſubinde ad frequentiorem precationum uſum ſe exſtimulare, tum majore aliqua urgente neceſſitate acriore ſtudio flagrare. Sect. 29.

45. Quæ de aſſiduitate precum diximus, minime patrocinantur battologiis, quibus interdictum nobis Chriſtus voluit, Matth. 6. 7. Neque enim vel diu vel ſæpe vel magno cum affectu precibus inſiſtere vetat: ſed ne putemus nos garrula loquacitate Deo poſſe extorquere quod volumus. Hoc ſibi perſuadent hypocritæ, quaſi cum hominibus & non cum Deo negotium ſibi foret. Vnde & pompas in precibus agunt, non ſecus quam in triumpho. Talis fuit Phariſæi glorioſa precatio, Luc. 18. 11. 12. Tales ſunt preculæ in Papatu, quas alii ſæpius iterando fruſtra tempus terunt, alii longa verborum congerie apud vulgus venditant. Huic corruptelæ vicina eſt altera, quod hypocritæ oſtentationis cauſa multos venantur teſtes & mundi laudem captant. Sic autem Deo illudunt, & ab orationis ſcopo longiſſime abeunt, quam

certum

certum eſt eſſe proprie interioris cordis affectum, qui apud Deum, cordium ſcrutatorem, effunditur. Quocirca ſive laudemus Deum, ſive opem imploremus, ſcire oportet, primas partes in méte & animo poſitas eſſe. Ideo etiam Chriſtus Mat. 6. ℣. 6. jubet intrare in cubiculum & clauſo oſtio Patrem in abſcondito invocare. Quibus verbis ſeceſſum quærere docuit, qui nos eo ducat, ut tota cogitatione in cor noſtrum ingrediamur, & ſepoſita hominum cõſideratione in Deum rapiamur, qui ſe propinquum animi affectibus promittit, cujus templa propriè debent eſſe corpora noſtra. Breviter, oſtendit Dominus, orationé eſſe quoddam ſecretum, in animo potiſſimum locatum, & quod tranquillitatem procul omnibus curarum turbis requirit. Qua de cauſa ipſe Chriſtus ſeceſſum petiit, quoties precibus incumbere vellet vehementius: ut ſuo exemplo nos commonefaceret, talia orationis adminicula non eſſe negligenda. Interim, ne in media quidem hominum turba, ſi quando ita tulerat occaſio, à precibus abſtinuit, ut doceret nos in omnibus locis, quibus opus fuerit, puras ad Deum attollere manus, 1 Tim. 2. 8. Paucis ſic habendum eſt, ſi quis in piorum conventu orare detrectet, neſcire quid ſit orare domi vel ſeorſim: rurſus ſi privatim orare negligit, ventoſas publice tantum preces concipere, quia plus hominum opinioni defert, quam arcano Dei judicio. Sect. 29.

46. Cæterum de communibus Eccleſiæ precibus & quam minime contemptui eſſe debeant, ex elogiis ſplendidis conſtare poteſt, quibus Deus eas ornavit, præſertim quando templum vocavit domum orationis, Eſa. 56. 7. Nam ſimul hac voce docet, orandi officium eſſe præcipuam ſui cultus

 partem,

partem, & ut in eo ſe fideles uno conſenſu exercerent, erectum illis fuiſſe templum. Addita quoque fuit promiſſio. *Te exſpectat, Deus, laus in Sion, & tibi votum reddetur*, Pſal. 63. 2. Nempe quia nunquam irritæ ſunt eccleſiæ preces, cum Deus ſemper illi ſuppeditet canendi materiam cum gaudio. Etſi autem ceſſarunt legales umbræ, quia tamen hac ceremonia inter nos quoque fidei unitatem Deus fovere voluit, non eſt dubium, quin eadem ad nos pertineat promiſſio, quam & Chriſtus ore ſuo pronuntiavit, & Paulus perpetui vigoris eſſe docuit. Sect. 29.

47. Ad eam rem etiam templa publica precibus deſtinata eſſe oportet, ubi orationem cum Dei populo communicemus. Promiſit enim Deus ſe facturum, quidquid duo aut tres congregati in ſuo nomine petierint. Ergo palam conceptas preces non aſpernatur: modo faceſſat oſtentatio & adſit ſincera cordis affectio. Tum illud etiam eſt cavendum, ne templis aurem Dei affigamus, neq; ſanctitatem affingamus, quæ ſanctiorem reddat orationem. Etenim nos ipſi ſumus vera Dei templa, in quibus vult invocari, & quidem citra ullam loci diſcretionem, in Spiritu & veritate, Ioh. 4. 23. Olim quidem Dei juſſu dedicatum fuit templum precibus & victimis, quo tempore veritas ſub umbris latebat. Sed ne Iudæi quidem Dei præſentiam templi parietibus includere docti erant. Et eo nomine graviter reprehenduntur, qui Deum in templis manu factis habitare putabant, Eſa. 66. ℣. 1. Actor. 7. 48. Poſtquam ad nos acceſſit veritas & corpus, non licet nobis amplius in materiali templo hærere. Illam ergo craſſitiem Iudæis & Gentibus relinquamus. Sect. 30.

48. De voce & cantu quæritur, an in oratione adhiber

adhiberi debeant. R. Nihil apud Deum proficere, niſi ex alto cordis affectu proficiſcantur: quin imo Dei potius iram provocare, ſecundum illud Eſai. 29. 13. Matth. 15. 8. Et tamen valde commendari debent, modo animi affectum comitentur. I. Quia mentem in Dei cogitatione exercent & intentam retinent. II. Quia linguam præ aliis corporis membris gloriæ & laudi Dei prædicandæ æquum eſt inſervire, ad quam rem peculiariter condita eſt. III. Quia linguæ uſus potiſſimus eſt in fidelium conventu, ubi Deus, quem uno ſpiritu & fide colimus, communi etiam voce & ore ab omnibus palam & cum mutua fidei confeſſione & exempli invitatione glorificatur. S. 31.

49. Canendi ritum in Eccleſiis non modo vetuſtiſſimum eſſe conſtat, ſed Apoſtolis quoque in uſu fuiſſe, 1 Cor. 14. 13. Coloſſ. 3. 16. Ejus etiam meminit Auguſtinus. Nec dubium eſt quin ſanctiſſimum & ſaluberrimum ſit inſtitutum, tum quia dignitatem & gratiam ſacris actionibus conciliat, tum quod ad excitandos animos in ſtudium & ardorem precandi plurimum valet. Hæc modo adhibeatur moderatio, ut ad eam quæ Dei & Angelorum conſpectum decet, gravitatem attemperatus ſit cantus. Cavendum autem, ne ad modulationem intenſiores ſint aures, quam animi ad ſpiritualem verborum ſenſum. Tales enim cantus nec Eccleſiæ majeſtatem decent, nec Deo non ſummopere diſplicere poſſunt. Sect. 32.

50. Etiam illud quæſitum fuit, qua lingua in precibus publicis utendum ſit. In Papatu exotica lingua verboſiſſimas preces effundunt, in qua nec ſyllabam unam vix ipſi canentes aſſequuntur, nec alios intelligere volunt. Nos dicimus, populari ſermone concipiendas eſſe publicas orationes, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

vulgo à toto cœtu intelligi poſſit. I. Quia in totius Eccleſiæ ædificationem eas fieri convenit. At hoc fieri non poteſt, quando ad eam ex ſono non intellecto nullus fructus redit, 1 Cor. 14. 16, 17. II. Quia Paulus diſerte jubet orare & pſallere non ſpiritu tantum pro ſingulari linguarum dono, ſed potiſsimum mente ſive intelligentia, 1 Cor. 14, 15, 16. III. Sive publica ſive privata ſit oratio, non poteſt Deo grata eſſe, quando ſine animo lingua tantum orat. Etenim ſic excitatam ardore decet eſſe mentem, ut totum illud longe ſuperet, quod lingua enũtiando exprimere poteſt. Deniq; ne quidem orationi privatæ ſemper neceſſaria eſt lingua, niſi quatenus facit ad majorem incitationis vehementiam, quæ linguæ actionem ultro ſecum rapit. Optimas enim precationes voce caruiſſe legimus, qualis fuit Annæ, 1 Sam. 1. 13. Et ſimile quid ſancti omnes ſæpius in ſe experiuntur, dum in abruptas & conciſas voces proſiliunt. Sect. 33.

51. Corporis vero geſtus, quales ſunt geniculatio, capitis detectio, &c. in precatione obſervari ſoliti, exercitia ſunt, quibus ad majorem Dei reverentiam aſſurgere conamur. Sect. 33.

52. Quæ vero optima precandi formula ſit, eam à Chriſto omnium optime addiſcimus, Matt. 6. ℣. 9. Luc. 11. 7. Qua in parte non ſatis mirari poſſumus immenſam Dei benignitatem, dum nos in omni noſtra neceſsitate ad ſe vocat, & quia neſcimus quid æquum ſit poſtulare, & quid è re noſtra ſit, talem præſcripſit formulam, qua nihil non acceptum Deo nos poſtulare intelligimus, tantoque certius nos exauditum iri confidimus, quia ipſius Chriſti verbis, & velut ex ejus ore, Patrem interpellamus. Quod quantum ſit beneficium,

cium, ex Platonis hæſitabunda formula quivis intelligit. Sect. 34.

53. Hæc orandi regula ſex petitionibus continetur. Nam qui ſeptimam numerant, ex una duas precationes faciunt, nec ſatis expendunt adverſativam particulam, qua duo membra non dividere ſed inter ſe colligere potius Euangeliſta voluit. Et nobiſcũ ſentiunt veteres eccleſiæ ſcriptores. S. 35.

54. Hæ ſex petitiones ita recte diſtinguuntur, ut tres priores Dei gloriæ peculiariter ſint deſtinatæ, nullo commodi noſtri reſpectu: tres reliquæ pertineant ad ea, quæ ex noſtro uſu ſunt. Sic tamen ut utrobique gloriæ Dei ratio habenda ſit, quam ſolam in omni precatione intueri & quærere debemus. Hoc modo Sanctificatio nominis Dei petẽda eſt, etiam tum quando nihil de noſtro commodo cogitamus, adeo quidem, ut ſi omnis ſpes privati noſtri boni præciſa eſſet, nihilo ſecius ea quæ ad Dei gloriam faciunt ardenter & ſerio ſimus, etiam noſtro cum diſpendio, poſtulaturi, exemplo Moſis & Pauli, Exod. 32. 32. Rom. 9. 3. Sic Deus probat, gratiſne an ſpe mercedis à nobis ametur & colatur. Interim facit benigne Deus, ut hoc ipſum nobis in commodum cedat, quia dum ipſe ſanctificatur, fit etiam noſtra viciſſim ſanctificatio. Similiter, quando petimus dari nobis panem quotidianum, tametſi optemus quod eſt noſtri commodi, ſic tamen affectos eſſe decet, ut ne petituri quidem hoc ſimus, niſi in ejus gloriam vergat. Sect. 35.

55. In hujus precationis enarratione primum conſiderandum nobis eſt exordium, quo Chriſtus uti juſſit. Singula verba ſuum habent momentum. Principio *Patrem* invocamus. Ergo profitemur nos eſſe filios Dei. At quis huc temeritatis pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

rumpere audeat, ut tantum honorem ſibi uſurpet? Et tamen ſe Patrem noſtrum appellat, & ſic à nobis vocari vult. Nempe quia in Chriſto adoptati ſumus in filios gratiæ, nec ulla oratio noſtra Deo aliter offerri debet, quam in Chriſti nomine. Nam quod Chriſtus filius Dei natura proprium habet, hoc adoptionis beneficio noſtrum fecit, ſi tantam beneficentiam vera fide amplectimur, Ioh. 1. 12. Nec alio nomine quam Patris ſuam erga nos beneficentiam magis teſtari potuit, quia nullus alibi major affectus amoris, quam in patre reperiri poeſt. Dei autem affectus tanto eſt præſtantior & omnium parentum amore major, ut licet omnes parentes ſenſum pietatis exuerent, ipſe tamen nobis nunquam ſit defuturus, Pſal. 27. 10. Eſa. 63. 16. & 49. 13. Matth. 7. 9, 10, 11. Sect. 36.

56. Finis hujus nominis duplex eſt. I. Si ipſe Pater eſt, & nos ejus filii, non poſſumus aliunde ſubſidia quærere, quam ab ipſo ſolo, niſi vel inopiam vel nimiam auſteritatem ipſi velimus exprobrare. II. Ipſa nominis ſuavitas omni nos diffidentia eximit, & de Patris clementia perſuaſos jubet ſecura animi πληροφορίᾳ ad Deum accedere. Sect. 36.

57. Nec eſt cur hic peccatorum cōſcientiam noſtræ timiditati prętexamus, quibus Patrem quamvis benignū, tamen offenſum nobis quotidie reddimus. Adverſus hanc tentationem opponere debemus. I. Elogium Patris, & quidem clementiſſimi, Patris miſericordiarum, & Dei omnis cōſolationis. 2 Cor. 1. 3. cujus exuberantem manſuetudinem Chriſtus pinxit in parabola filii prodigi & patris terreni, ut doceret, nos multo effuſiorem clementiam poſſe & debere exſpectare à Patre cæleſti, patrum omnium longe optimo ac clementiſ-

mentiſſimo, quamvis ingrati ſimus & rebelles filii, modo ſupplices culpam agnoſcamus & ejus miſericordiam imploremus. II. Tanto liberius hoc facere licebit, quod ipſe Deus huc nos invitet & hortetur. III. Qui hoc detrectant facere, & ad alia patrocinia pavidi confugiunt, non ſine deſperationis ſpecie de tanti Patris manſuetudine diffidunt. IV. Sed ne hoc eveniat, nominatim *Noſter Pater* dici voluit, ut ſecuri ac plane perſuaſi ſimus, non alio erga nos affectu eſſe quam paterno, licet indignos tali patre. V. Denique ut omnem cunctationem & timiditatem adimeret, non modo Chriſtum nobis dedit noſtræ adoptionis pignus & arrham, ſed ipſum quoque Spiritum Sanctum noſtræ adoptionis teſtem, clamantem in cordibus noſtris, Abba, Pater, precationis noſtræ magiſtrum & ducem. Sect. 37.

58. Illud etiam notatu dignum, quod *Noſtrum*, non ſuum quemque patrem docemur invocare. Nempe quia orationes noſtræ in eam debent ſpectare communitatem, quam Dominus in regno & domo ſua conſtituit. Omnibus enim communis eſt Pater, à quo provenit quidquid boni nobis obtingere poteſt. Nos talis Patris eodem liberalitatis jure pariter ſumus filii & domeſtici. Nihil ergo inter nos diviſum eſſe decet, quod non parati ſimus alter alteri communicare, quantũ uſus poſtulat. At nulla in re magis fratribus commodare poſſumus, quam ſi eos optimi Patris curæ commendemus. Et hoc ipſum Patri quoque noſtro debemus, ut ſi eum vere & ex animo diligimus, eundem affectum in Eccleſiam & familiam ejus, quam plenitudinem filii ſui vocat, Eph. 1. 24. demonſtremus. Communes ergo debent eſſe preces noſtræ, ac omnes complecti, qui nobis in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Chriſto ſunt fratres: neque ſolum, quos tales præſentes cognoſcimus, ſed omnes qui ſuper terram degunt homines extra noſtram notitiam poſitos, quibus optima optare non minus pium quam humanum eſt: ſic tamen ut præ aliis in domeſticos fidei ſingulari affectu propenſi ſimus, Galat. 6. 10. Et huc facit, quod etiam in ſequentibus, non ſibi quisque privatim dari quidquam poſtulat, ſed omnes in commune panem *noſtrum* poſcimus, & remitte *nobis*, & ne *nos* inducas, ſed libera *nos*, &c. Vt ſciamus, preces Chriſtianorum publicas eſſe debere, & publicam Eccleſiæ ædificationem ſpectare. Sect. 38, 47.

59. Nihilominus & pro nobis & pro aliis orare ſpecialiter licebit, modo animus ab hujus cõmunitatis intuitu non diſcedat. Etſi enim preces iſtæ ſingulariter concipiuntur, quia tamen ad illum ſcopum, ad communem ſocietatem eccleſiæ, diriguntur, communes eſſe non deſinunt. Generali mãdato tenemur ſubvenire omnibus pauperibus. Atqui nec omnes noſſe, nec omnibus ſufficere contingit. Si quis tamen ſuccurrat eorum inopiæ, quos laborare norit aut viderit, idque pro facultatibus ſuis, non eſt dubium quin communi mandato obediat. Similis eſt ratio precationis. In eo tamen differunt, quod largiendi benignitas nonniſi erga eos poteſt exerceri, quorum perſpecta nobis eſt inopia: ſed oratione vel alieniſſimos vel etiam ignotiſſimos juvare poſſumus. Atque hoc commode fit per generalem hanc precationis formulam, qua omnes filii Dei continentur. Quo referre licet, quod puras ubique manus monemur tollere absque contentione. Sic enim docemur unanimes vota in commune conferre. S. 39.

60. Additur, *Qui es in cœlis.* Primo non eſt imagi-

imaginandū, Deum cœli circumferentia circumſcribi, quem ne quidem cœli cœlorum capere poſſunt, 1 Reg. 8. 37. Eſai. 66. 1. Actor. 7. 49. & 17. ỳ. 24. Sed hac loquendi formula docemur, Deum eſſe infinitæ magnitudinis & ſublimitatis, incomprehenſibilis eſſentiæ & immutabilis, immenſæ potentiæ, æternæ immortalitatis, quemadmodum cœlo nihil auguſtius aut majeſtate plenius in conſpectum noſtrum venire poteſt; unde porro univerſum orbem ſua potentia moderatur. Vſus hic eſt, I. ne quidquam terrenum aut carnale de eo ſomniemus. II. Ne ipſum noſtro modulo metiamur aut voluntatem ejus ad noſtros affectus exigamus. III. Vt fiduciam noſtram in ipſum erigamus. Sect. 40.

61. Breviter, utroque titulo & Patris, & quod ſolium in cœlis habeat, inſtruit nos Chriſtus, ne ad dubios & fictitios Deos orationem vel animū dirigamus, tum ut certa fide ipſum invocemus, denique ut ex mundi gubernatione in ejus præſentiſſima cura acquieſcamus. Vtrumque Apoſtolus complexus eſt, Hebr. 11. 6. Et Deum eſſe & remuneratorem quærentibus ipſum. Eodemque ſpectat hortatio Pauli, ne de ulla re ſimus ſolliciti, quia Dominus prope eſt, Phil. 4. 6. S. 40.

62. Prima petitio eſt, *Sanctificetur nomen tuum.* Hujus petitionis neceſſitas ex profanatione nominis Dei liquido convincitur, quam & nimis in mundo vulgarem ſemper fuiſſe, & adhuc hodie graſſari res ipſa teſtatur, non ſine magno noſtro dedecore. Ita paſſim tum ingratitudo & malignitas Dei gloriam obſcurat, tum audacia & furioſa protervia, quantum in ſe eſt, delere conatur. Nec tamen hoc unquā impii aſſequuntur, quia ſemper refulget nominis Dei ſanctitas, ipſis quoq; invitis, Pſ. 48. 11. S. 41.

63. Nomen Dei eſt, quo Deus innoteſcit. Hoc fieri non poteſt, quin ſe proferant ejus virtutes, potentia, bonitas, ſapientia, juſtitia, veritas, &c. quæ in ejus admirationem rapiunt & ad eum laudandum invitant. Sect. 41.

64. Sanctificatur nomen Dei, ſi omnes hoc Dei nomen agnoſcant & venerentur; Si in doctrina & operibus Deo tribuant, quod ſuum eſt; Si quidquid ab ipſo profectum eſt amplexentur; Si laudem ſuam non minus obtineat ejus ſeveritas, quam clementia; Si ſcriptura juſtam apud nos habeat authoritatem; Si nullus eventus impediat benedictionem noſtram, quam Deus meretur; Si omnis impietas pereat & aboleatur; Si obtrectationes & ludibria, quæ ſanctificationem hanc obſcurant aut diminuunt, ſi ſacrilegia omnia compeſcat Deus; Denique ſi omnia meram Dei gloriam ſpirent. Quæ omnia vovemus ex animo & optamus, & quantum in nobis eſt, aſſerere promptos & paratos nos eſſe declaramus. S. 41.

65. Secunda petitio, *Adveniat regnum tuum*, primæ valde eſt affinis, & ſimile ac fere idem votum continet. Additur autem propter noſtram in re omnium maxima ſomnolentiam. Regnum Dei reſpectu tum piorum, tum impiorum dicitur. Tunc enim vere Deus regnat, ubi homines tam ſui abnegatione, quam mundi terrenæque vitæ contemtu, divinæ juſtitiæ ſe addicunt, ut ad cœleſtem vitam aſpirent. Ita duæ ſunt hujus regni partes. I. Vt Deus pravas carnis cupiditates Spiritus ſui virtute corrigat. II. Vt ſenſus omnes noſtros formet ad imperii ſui obſequium. Hoc Deus efficit in nobis per verbum ſuum & arcanum Spiritus ſui inſtinctum. Deinde regnare quoque Deus dicitur, quando impios, qui pervicaciter & ſu-

& furioſe Deo reſiſtunt, cohibet, punit, & invitos imperio ſuo ſubjicit. Sect. 42.

66. Ergo ſumma hujus petitionis huc redit, I. Vt ſibi Deus Eccleſias colligat ex omnibus mundi plagis, eas numero augeat, donis ſuis locupletet, legitimum ordinem in illis conſtituat, eaſdem conſervet & protegat. II. Vt lucem & veritatem ſuam novis ſemper incrementis illuſtret, quibus Satanæ regnique ejus tenebræ evaneſcant & pereant. III. Vt mentes & voluntates noſtras quotidie Spiritus ſui auxilio in rectitudinem dirigat, & ad perſeverantiam confirmet. IV. Vt totum mundum humiliet, aliorum laſcivias domet, aliorum indomitam ſuperbiam frangat, omnem iniquitatem aboleat, impias vero hoſtium conjurationes dejiciat, inſidias & fraudes diſcutiat, malitiam & pervicaciam retundat, omnes puræ doctrinæ & religionis inimicos proſternat & exitio tradat, Satanæ regnum evertat. S. 42.

67. Et hæc quotidie fieri optamus, donec venerit plenitudo, quando Antichriſtum Spiritu oris ſui conficiet, omnemque impietatem illuſtratione ultimi adventus ſui delebit, ut Deus ſolus emineat, ſolus regnet, & omnia ſit in omnibus. S. 42.

68. Vſus hujus petitionis, quoad nos, eſt, ut nos à mundi corruptelis retrahat, ad crucis tolerantiam inſtituat, ſtudium carnis mortificandæ in nobis accendat. Hæc enim eſt regni Dei conditio, ut non prius nos gloriæ ſuæ conſortes reddat, quam exterior homo fuerit corruptus, interior renovatus, & nos totos ſubjecerimus juſtitiæ Dei. S. 42.

69. Tertia petitio, *Fiat voluntas tua in terra ſicut in cælo*, à regno Dei dependet, tamen priori additur, quia tunc Deus vere regnat in mundo, ubi

ſe

ſe omnes ejus voluntati ſubjiciunt. Non agitur autem hic de arcana Dei voluntate, cui nemo poteſt reſiſtere, ſed de illa cui reſpondet voluntarium creaturæ obſequium. Ideoque nominatim confertur cœlum terræ, quia Angeli ſponte in cœlo Deo obediunt, & intenti ſunt ad exequenda ejus juſſa, Pſal. 103. 20. Sect. 43.

70. Iubemur ergo optare, ſicut in cœlo nihil agitur, niſi ex Dei nutu, & placide Angeli ad omnem rectitudinem compoſiti ſunt, ſic terram, omni contumacia & pravitate extincta, ejusmodi imperio ſubigi. Proinde, ut Deus pro ſuo arbitrio nos regat: novas mentes novosque animos, noſtris in nihilum redactis, creet, quo merus ſit conſenſus cum ejus voluntate: ut Spiritus ejus corda noſtra gubernet, & doceat amare quæ Deo placent, odiſſe quæ ipſi diſplicent: denique ut affectus noſtros, qui ejus voluntati repugnant, vanos atque irritos reddat. S. 43.

71. Vſus hic eſt, quando nihil ex nobis prodit, niſi vitioſum, ut diſcamus carnis noſtræ deſideriis renuntiare, & voluntates omnes noſtras Deo reſignare & permittere, atque in ejus obedientiam componere. S. 43.

72. Hæc ſunt prima tria capita noſtræ precationis, in quibus nulla ſpectata noſtra utilitate ſolam Dei gloriam quærimus. Quæ omnia, quamvis nec cogitantibus nec petẽtibus nobis ſuo tempore oporteat evenire, optanda tamen nobis ſunt, ut ſic nos ſervos & filios Dei eſſe teſtemur. Sin minus, etiam invitis nobis fient, atque in confuſionem interitumque noſtrum cedent. S. 43.

73. Sequitur pars orationis ſecunda, qua Deus concedit, ut commodis noſtris proſpiciamus, hac lege, ne quid nobis expetamus, quod non Dei

gloriam

gloriam illuſtret, cui nos vivere & mori æquum eſt, & quam gloriam etiam in cibo & potu ſpectandam eſſe docet Apoſtolus, 1 Cor. 10. 31. S. 44.

74. Principium facit Chriſtus à panis petitione. Nam tametſi alimenta corporis non ſint tanti, quanta eſt remiſſio peccatorum, ſic tamen nos ad reliquas duas petitiones gradatim evehere voluit, ut tarditati noſtræ conſuleret. Ita enim comparati ſumus, ut majori carnis quam animæ ſollicitudine afficiamur. Et multi, quum Deo de anima fidant, circa carnalia tamen hæſitant. Qui vero Deo confiſi illam de carnis cura anxietatem ſemel abjecerunt, ſimul ſtatim quæ majora ſunt petere & exſpectare audent. S. 44.

75. Panis nomine complectitur omnia, quæ ad tuendam vitam præſentem faciunt, non modo quo alamur, aut veſtiamur, ſed etiam quidquid omnino nobis conducere ipſe proſpicit, ut panem noſtrum, quatenus expedire novit, in pace comedamus. S. 44.

76. Qui de pane ſuperſubſtantiali philoſophātur hoc loco, à Chriſti ſententia recedunt. Ratio quam adferunt aliena nimis eſt, quaſi indignum ſit filios Dei, quos convenit eſſe ſpirituales, animum ſuum terrenis curis & Deum ſecum implicare. Habet enim pietas promiſſiones non futuræ tantum ſed etiam præſentis vitæ, 1 Tim. 4. 8. Nec dubium eſt in victu quoque paternum Dei favorem & benedictionem refulgere. S. 44.

77. Panem *noſtrum* petere jubemur, 1. Quia noſter ſit donationis titulo. Itaque hic eminet Dei benignitas, quæ noſtrum facit, quod nullo jure noſtrum eſt. 11. Quia juſto labore partus ſit, non impoſturis aut rapinis quæſitus. Alienum enim ſemper eſt, quod cum aliqua noxa acquirimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Simul monemur contenti eſſe noſtro demenſo, ne artibus illicitis lucrum captemus. Sect. 44.

78. Idcirco etiam *dari* petimus, qua voce ſignificatur, panem eſſe ſimplex ac gratuitum Dei donum, undecunque nobis adveniat, etiam cum maxime viſus fuerit arte atque induſtria noſtra comparatus. S. 44.

79. Particula *Hodie* & Epitheton *Quotidiani* frænum injiciunt immodicæ rerum fluxarum cupiditati, ad quam, ſi abundent, accedit ambitioſa in voluptatem, delicias, oſtentationem, aliasque luxus ſpecies profuſio. Itaque jubemur duntaxat petere quantum neceſſitati noſtræ ſatis eſt, hac fiducia, ubi nos hodie nutrierit cœleſtis Pater, neque craſtino defuturum. S. 44.

80. Hinc porro & illud intelligitur, quomodo non egenis tantum, ſed etiam divitibus hæc precatio ſit neceſſaria. Quantacunque enim rerum copia affluant, aridi tamen & vacui deficerent, niſi quotidie per Dei gratiam pane ſuo fruerentur. Conſtat, omnem ſubſtantiam nihil eſſe, niſi continua benedictione Deus eam fœcundet. Et ne illam quidem noſtram eſſe, quæ in manu noſtra eſt, niſi quatenus in ſingulas horas ejus uſum nobis largitur. Cujus ſingulare exemplum Deus olim præbuit, quando manna depluit in deſerto, ut nos doceret, non ſolo pane vivere hominem, ſed verbo potius quod ex ore ejus egreditur, Deut. 8. 3. Matth. 4. 4. Atque idem contrario documento nos erudire ſolet, quando baculum, hoc eſt, robur panis quoties libet frangit, ita ut edentes tabeſcant fame & bibentes ſiti areſcant. S. 44.

81. Vſus hujus precationis eſt, ut totos nos curæ & providentiæ Dei committamus, & ab ipſo omnia nobis nutriendis & fovendis neceſſaria,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ria, uſque ad micam panis & guttam aquæ exſpectemus. Qui vero pane quotidiano non contenti, vel effræni cupiditate infinitis inhiant, aut abundantia ſua ſaturi & ſecuri, hac nihilominus petitione utuntur, Deum certe irrident. Illi enim petunt, quod impetratum nollent: hi poſtulant quod minime exſpectant, quia ſibi abunde ſufficere arbitrantur. Sect. 44.

82. Duabus ſequentibus petitionibus Chriſtus breviter complexus eſt, quidquid ad cæleſtem vitam facit. Etenim ſpirituale fœdus his tantũ duobus membris conſtat, quod velit remittere peccata, & nos ſpiritus ſui virtute tueri & ſuſtinere invictos contra omnes tentationes, Ier. 31. 33. & 33. 8. Sect. 45.

83. Petitio quinta: *Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris*. Peccata vocat debita, quod eorum pœnam debemus, nec ſatisfacere ullo modo poſſumus, niſi remittantur. Remiſſio autem eſt venia gratuitæ miſericordiæ, quum liberaliter Deus hæc debita expungit, nullum à nobis pretium accipiens, ſed ſua ipſius miſericordia ſibi ſatisfaciens in Chriſto. S. 45.

84. Ergo qui ſuis aut aliorum meritis Deo ſatisfieri confidunt, huic gratuitæ condonationi renuntiant, & hac precatione utentes in ſuam accuſationem ſubſcribunt, quia fatentur ſe eſſe peccatores, & ſuo teſtimonio damnationem propriam obſignant, dum merita ſua Deo obtrudunt, ut jam non miſericordiam ejus implorent, ſed judicium appellent. S. 45.

85. Peccant etiam in hanc petitionem, qui ſibi perfectionem ſomniant, quæ veniæ petendæ neceſſitatem tollat. 1. Quia communis hæc eſt formula non Apoſtolis tantum ſed toti Eccleſiæ demandata,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mandata, è cujus ſocietate exeant oportet, qui ſe hac neceſſitate eximere volunt. II. Quia Chriſtus hic nullos admittit niſi peccatores. Sciebat autem ne fideles quidem unquam plane exui carnis ſuæ vitiis, quoniam Deo placet paulatim ſuam imaginem in nobis refingere. Proinde nulli hoc remedium eſt negligendum, præſertim cum Chriſtus, ex authoritate ſibi data, nos velit toto vitæ curſu ad reatus deprecationem cõfugere. III. Qui ſe ab omni culpa reddi poſſe immunes confidunt, Deum mendacem faciunt, ut dicitur 1 Ioh. 1. 10. IV. Hac ratione fœdus Dei capite uno inducto laceratur. Ita partim ſacrilegi ſunt, qui res adeo cõjunctas ſeparant, partim impii & crudeles, quod miſeras animas deſperatione obruunt, partim in ſeipſos perfidi, quod ſocordiam ſibi accerſunt miſericordiæ Dei adverſam. S. 45.

86. Objiciunt quidem, quando regni Dei adventum optamus, ſimul nos precari abolitionem peccati. Reſp. Nimis pueriliter hoc dici. Nam in priore orationis tabula ſumma nobis perfectio, hic autem infirmitas proponitur. Ita hæc duo apte conveniunt, ut ſimul & aſpiremus ad metam, & tamen neceſſitatis noſtræ remedia non negligamus. S. 45.

87. Conditione annexa petimus, ut Deus nobis remittat, ſicut & nos omnibus remittimus, à quibus ulla in re læſi ſumus. Vbi I. obſervandum, nos proprie delicti culpam nõ remittere, quia hoc ſolius Dei eſt, ſed noſtra remiſſio eſt, iram, odium, vindictæ appetitum & injuriarum memoriam ex animo & ultro deponere. II. Non adjici hanc conditionem velut cauſam aut meritum, quaſi noſtra remiſſione Dei remiſſionem mereamur, quam ſcimus eſſe gratuitam & Chriſti merito niti.

Sed

Sed hic ſenſus eſt, nos à Deo poſcere gratiam, quam aliis facimus. Hoc vero eſt petere, ne nobis faciat, niſi ipſi facimus. Si quæ vero in animis noſtris odia, ultiones, nocendi occaſiones retinemus aut meditamur, imo niſi etiam cum inimicis in gratiam redire nitimur, hac precatione obteſtamur, ne peccatorum remiſſionem nobis Deus faciat. Sect. 45.

88. Vſus precationis duplex. I. Ad conſolationem. Nam hoc ſigno nos Deus confirmare voluit, tam certo nobis à ſe factam eſſe remiſſionem peccatorum, quam certo conſcii ſumus eam à nobis aliis fieri, idque ex animo ab omni odio & vindicta vacuo. II. Ad correctionem & metum. Expungit enim Deus hac nota ex filiorum ſuorum numero eos, qui ad ulciſcendum proni, ad remittendum difficiles, pertinaces inimicitias exercent: nec eſſe cur Deum pro Patre invocare audeant. S. 45.

89. Sexta petitio, *Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo:* reſpondet promiſſioni de lege Dei cordibus noſtris per Spiritum Sanctum inſculpenda. Continua enim nobis eſt militia, & ſine duris certaminibus Deo non paremus. Petimus igitur divinis armis inſtrui & præſidio defendi: quia non ſatis eſt corda noſtra flecti & dirigi in Dei obſequium, ſed opus eſt etiam auxilio, quo ſuperare poſſimus omnem Satanæ vim & inſidias. Partes precationis ergo duæ ſunt. I. Ne ullis tẽtationibus vincamur & obruamur, ſed Domini virtute contra omnes adverſas virtutes fortes ſtemus. II. Vt in Dei cuſtodiam ac fidem ſuſcepti, & protectione ejus ſecuri, ſupra peccatum, mortem, inferorum portas & totum regnum Diaboli invicti duremus. S. 46.

90. Ten-

90. Tentationum multæ ſunt & variæ formæ. I. Pravæ animi conceptiones, quas vel concupiſcentia noſtra nobis ſuggerit, vel diabolus excitat. II. Quæ ſuapte natura mala non ſunt, Diaboli tamen arte tẽtationes fiunt, quando eorum objectu à Deo abſtrahimur, aut declinamus. Et hę quidem tentationes vel à dextris ſunt vel à ſiniſtris. A dextris, divitiæ, potentia, honores, quæ ſuo fulgore decipiunt, ſuis blanditiis ineſcant, & faciunt ut Deum obliviſcamur. A ſiniſtris, paupertas, probra, afflictiones & alia, quorum acerbitate offenſi animos deſpondemus, fiduciam abjicimus, à Deo abalienamur. Precamur autem, ne nos Deus his utriſq; tentationibus cedere aut ſuccumbere permittat, quin potius ſuſtentet & corroboret, ut invicti ſtemus adverſus omnes inſultus, animique cogitationes vel ſuggeſtiones: proſperis etiam ne inflemur, & adverſis ne dejiciamur. III. Eſt & aliud genus tentationum, quibus excitari, pungi, vellicari magnopere nobis opus eſt, ne deſides torpeamus. Huc pertinet examen illud, de quo legimus Pſal. 62. 2. Itemque tentationes omnes, quibus nos Deus tentat per varias crucis ſpecies, Gen. 22. 1. Deut. 8. 2. & 13. 3. Sane non poſtulamus, ne ullas omnino tales tentationes ſentiamus. Sect. 46.

91. Eſt tamen hic prudenter diſtinguendum inter Dei & Satanæ tentationes. Nam I. Satan tentat, ut perdat, damnet, pudefaciat, præcipitet. Deus tentat, ut ſuos probet, exerceat, cõſummet, eorum carnem mortificet ne laſciviat. II. Satan inermes & imparatos adoritur, ut incautos opprimat. At Deus una cum tentatione facit eventum eſſe optimum, & ferendi atque ſuperandi vires ſuppeditat, 1 Cor. 10. 13. 2 Pet. 2. 9. S. 46.

92. Nec

92. Nec obſtat, quod Iac. 1. 13, 14. dicitur, Deum non tentare quemquam. Nam loquitur Iacobus de malis tentationibus, quibus vincimur, & quarum concupiſcentia noſtra proprie cauſa eſt, ita ut fruſtra & injuſte in Deum culpa transferatur, quæ in nobis reſidet, & cujus ipſi nobis conſcii ſumus. Interea manet firmum, quod Scriptura paſſim dicit, Deum mancipare homines Satanæ, & dare in ſenſum reprobum, atque ita in tentationem inducere, ſæpe quidem occulto judicio, ſemper tamen juſto. Quo pertinent etiam toties repetitę comminationes de excæcandis & obdurandis reprobis, quæ certa ſunt divinæ vindictæ documenta. Vnde colligitur, non eſſe impropriam hanc locutionem. Sect. 46.

93. Maligni nomine Diabolum an peccatum intelligamus, parum refert. Satan hoſtis noſter eſt, ſed peccato armatus in noſtrũ exitium. Ab utroque ergo petimus liberari. S. 46.

94. Et quia defungi nos oportet hac militia, donec omnem carnis noſtræ infirmitatem exuerimus; nec ante plenam victoriam referemus, ardenter expetimus novis gratiæ Dei incrementis quotidie locupletari, & Spiritu Dei muniri, qui ſolus eſt virtus noſtra in hoc certamine, donec, illo pleni, de omni malo triumphemus. S. 46.

95. Diſcimus itaque ex hac precatione, non eſſe noſtrarum virium, cum Diabolo tanto bellatore congredi, aut vim & impetum ejus ferre. Nam I. merum eſt ludibrium à Deo poſcere, quod putes domi apud te eſſe. II. Qui propriis liberi arbitrii viribus ad hanc pugnam ſeſe comparant, nec ſeipſos norunt, nec cum quam pugnaci & inſtructo hoſte ſibi res ſit, 1 Pet. 5. ℣. 8. Nobis ſatis eſt, quod una Dei virtute ſtamus, qui

pro-

pro nobis tacentibus pugnat, in cujus virtute virtutem facimus, Pſal. 60. 14. Sect. 46.

96. Supereſt clauſula orationis dominicæ: *Nam tuum eſt regnum & potentia & gloria.* Quæ concluſio licet in latinis exemplaribus non exſtet, minime tamen eſt omittenda. His enim verbis cauſa ſubjicitur, cur tanta ſit nobis & petendi audacia, & fiducia obtinendi. non quod dignitate noſtra Deo preces noſtras commendemus, sed quia nunquam nos orandi cauſa deficit, nunquam fiducia deſtituit, quando Patri noſtro regnum ſuum, potentia & gloria eripi nunquam poteſt, in quo fides noſtra ſolide acquieſcit. S. 47.

97. Additur particula, *Amen,* quo tum ardor deſiderii noſtri exprimitur; tum ſpes noſtra confirmatur, hæc omnia jam impetrata eſſe & certo conceſſum iri, quando promiſſa ſunt à Deo, qui fallere non poteſt. Et hoc modo paſſim Sancti petunt exaudiri non propter ſe aut juſtitiam ſuam, ſed propter Dei nomen. Ita non finem tantum votorum ſuorum exprimunt, ſed indignos ſe eſſe fatentur qui impetrent, niſi Deus cauſam à ſe ipſo petat. S. 47.

98. Hactenus perfectam habuimus orandi regulam à Chriſto nobis traditam, qualem nullam uſquam reperire licet. I. Quia Chriſtus eam præſcripſit, quem nobis Doctorem Pater præfecit, quem unum auſcultari voluit, qui & æterna Patris Sapientia ſemper fuit, & homo factus, Angelus magni conſilii hominibus datus eſt, Mat. 17. 5. Eſai. 11. 2. II. Quia nihil hic omiſſum eſt, quod in Dei laudes cogitari, nihil quod homini pro ſuis commodis in mentem venire debeat, quod non exacte iſta precatione contineatur, adeo ut omnibus merito ſpes ablata ſit melius aliquid tentandi.

Vnde eam Tertullianus legitimam nuncupavit: alias omnes, exleges & illicitas eſſe indicans. Sect. 48, 49.

99. Proinde quidquid illi alienum additur, quod ad eam referri non poſſit, impium eſt & indignum quod à Deo probetur. Nam I. Solus Deus optime novit, quid ſe dignum, quid ſibi acceptũ, quid nobis neceſſarium, quid ipſe cõcedere velit. Qui ultra progredi audent, ſapientiæ & voluntati Dei ſeipſos non ſubjiciunt. II. Sine fide orant, ideoque nihil aſſequuntur. Etenim, qui poſthabita magiſtri regula ſuis votis indulgent, carent verbo Dei, ſine quo fides ſtare non poteſt, adeoque verbo Dei adverſantur. S. 48.

100. Hoc ipſo tamen alias precandi formulas non rejicimus, quarum multæ in ſcripturis reperiuntur, non ſine magno piorum uſu & commodo: multas etiam Spiritus aſſidue fidelibus ſuggerit, verbis nonnihil diverſis. Neque enim ſic ad hanc precandi formulam pios aſtringimus, ut pro varia neceſſitate ſyllabam aut verbum mutare non liceat, modo ſenſu & ſubſtantia non varient eorum preces, & ad hanc tanquam abſolutiſſimam formulam redigantur. S. 49.

101. Supra dictum eſt, Deum ſemper orandum eſſe, ſublatis animis & ſine intermiſſione. Ad hujus pleniorem explicationem notentur ſequentia. I. Cum noſtra infirmitas adminiculis, torpor noſter calcaribus indigeat, convenit, ut ſibi quiſque peculiares horas conſtituat, quæ non ſine oratione effluant & quæ totos animi affectus in hoc occupatos habeant: nempe dum mane ſurgimus, ante operas diurnas, dum ad paſtum accumbimus, dum Dei benedictione paſti ſumus, dum ad quietem nos recipimus. Caveatur tantum ſuperſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

perſtitioſa horarũ obſervatio, ne videamur quaſi penſum Deo ſolviſſe, ſed ſint imbecillitatis noſtræ pædagogia. Sect. 50.

102. II. Sollicite curandum eſt, quoties anguſtia aliqua premimur, aut alios premi videmus, ut citatis animis ad Deum recurramus: deinde ne quam aut noſtram aut aliorum proſperitatem ſine laude & gratiarũ actione præterire ſinamus. S. 50.

103. III. Ne precando Deum certis circumſtantiis alligare velimus, nec illi præſcribere, quo quid tempore, quo loco, qua ratione facturus ſit: quæ omnia Dei arbitrio permittenda ſunt: ſicut edocti ſumus orare, ut Dei voluntas fiat, antequam pro nobis ullam precem concipimus. Vnde patet jam volũtati ejus noſtram ſubjectã eſſe. S. 50.

104. IV. Sic animis in obedientiam compoſitis facile diſcemus in oratione perſeverare, & ſuſpenſis deſideriis patienter opem Domini exſpectare. Sæpe enim ad prima vota non reſpondet Deus. Qua de re frequenter in Pſalmis pii cõqueruntur, nec tamen à precando deſiſtunt. Eſt enim hæc præſentiſſima conſolatio, ne deficiamus aut deſperemus, quod certi ſumus, Deum ſemper nobis adeſſe, ſuoque tempore declaraturum, quam non neglexerit preces noſtras. Quocirca peccant, qui ſic Deum precantur, ut, niſi ad primos impetus adfuerit, ſtatim iratum ſibi fingant, & abjecta ſpe exorandi invocare deſinant. 1. Quia verbo Dei ſua non aſſeritur authoritas, niſi fides locetur ſupra omnes eventus. 2. Tales Deum tentant, & perinde ac ſi ſuarum cupiditatum ſervus eſſet, ſuæ ſtipulationis legibus aſtringunt. Quibus Deus in furore ſuo nonnunquam iratus concedit, quod aliis in miſericordia ſua denegat. Vide exemplum Iſraëlitarum, Num. 11. 18. 33. S. 51.

105. V. Vbi

105. V. Vbi vero poſt longam exſpectationem non aſſequitur ſenſus noſter, quid orando profecerit, fides tamen non indubie credit, nos obtinuiſſe quod expediebat. 1. Quia Deus promiſit, moleſtias noſtras ſibi curæ futuras. Non fruſtrabitur ergo ſuorum patientiam & exſpectationem. 2. Quia Deus illis unus eſt pro omnibus, quem cum poſſideant, ſciunt ſe omnia bona habere, quæ tandem in die judicii revelabit. 3. Quamvis ad voti formulam non reſpondet ſemper, at modo tamen incognito preces noſtras non fuiſſe vanas oſtendit. Atq; huc ſpectat illud Iohannis, 1 Ioh. 5. ℣. 15. *habemus petitiones quas petimus ab eo.* Hac patientia & ſpe ſe fideles ſuſtentant, etiam quando non levibus experimentis probantur & exercentur, imo occiduntur & in infernos detruduntur; 1 Sam. 2. 6. Semper enim hæc cogitatio etiam ſemimortuos erigit, ſe à Deo reſpici & finem præſentibus malis tandem adfore. Interea orare nunquam deſinunt. Sect. 52.

DISPVTATIO IX,
De Prædeſtinatione.

Ex lib. 3. cap. 21, 22, 23, 24.

1. HActenus de Fide ejusq; effectis ſatis dictum fuit. Sequitur ut de Prædeſtinatione porro agamus. Nam quum nec apud omnes peræque fœdus vitæ prædicetur, nec apud eos quibus prædicatur, eundem locum vel æqualiter vel perpetuo reperiat, in ea diverſitate mirabilis judicii divini altitudo ſeſe profert. Nec enim dubium eſt, quin hæc varietas Dei beneplacito ſerviat, & nutu Dei fiat. Hinc magnæ & arduæ emergunt quæſtiones, quæ explicari non queunt, niſi conſtet piis menti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mentibus, quid de electione & prædeſtinatione tenere conveniat. cap. 21. Sect. 1.

2. Sicut autem hæc doctrina eſt neceſſaria, ita ſuam utilitatem & ſuaviſſimum habet fructum. 1. Ad Dei gloriam. Nam quando non omnes promiſcue adoptat in ſpem ſalutis, ſed dat aliis, quod aliis negat, ex hac comparatione liquidius Dei miſericordia eluceſcit. Itaque tunc vere perſuademur ex fonte gratuitæ miſericordiæ ſalutem noſtram fluere, quando æterna Dei electio nobis innotuit, nos videlicet non ex operibus ſed ex gratia Dei eſſe electos, ut ipſi laus omnis tribuatur. Ideo ad hanc electionis originem revocamur Rom. 11. ℣. 5, 6. Cujus principii ignorantia multum ex gloria Dei imminuit. 2. Ad noſtram utilitatem. Nam hinc diſcimus 1. nos coram Deo, ut par eſt, humiliare. 2. quam ſimus obſtricti Deo, grato animo agnoſcere. 3. inter tot inſidias, pugnas & pericula ſolidæ fiduciæ fultura conſiſtere, quia Chriſtus ſalvum fore promittit, quidquid à Patre ipſi traditum eſt, Ioh. 10. 25. Nec trepidare poſſunt, qui ſe peculium Dei eſſe norunt. 4. Etiam hinc Eccleſiam eſt invenire & agnoſcere, quæ miro modo latet intra gremium beatæ prædeſtinationis, & intra maſſam miſeræ damnationis, ut Bernardus ait. His utilitatibus Eccleſia non eſt fruſtranda. c. 21. S. 1.

3. Hic cum duplici hominum genere nobis res eſt. Alii curioſe in Prædeſtinationem inquirunt. Alii tantum non ſepeliri omnem ejus mentionem vellent. c. 21. S. 1.

4. Priores ſua curioſitate rem nonnihil impeditam magis perplexam atque adeo periculoſam faciunt. Hoc enim vitium nō patitur ſe cohiberi, ſemper evagatur, nec quidquam arcani, ſi liceat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Deo relinquit, quod non ſcrutatur. Adverſus hanc audaciam tenendum eſt, quis ſit in hac parte officii noſtri modus. I. Meminerimus, Prædeſtinationem eſſe ſapientiæ divinæ Sanctuarium, quo ſi quis temere velit irrumpere, nec curioſitatem ſatiabit, & merum reperiet labyrinthum. Multa Deus in ſe abſcondita eſſe voluit, quæ potius nobis adoranda ſunt, ut per eadem quoque Deus ſit nobis admirabilis. II. Cogitemus, ex verbo Dei nobis eſſe ſapiendum, in quo voluntatis ſuæ arcana nobis patefecit, quantum noſtra intereſſe cenſuit. Hæc unica ad inveſtigandum via, quicquid de Deo teneri fas eſt. Hujus fines ubi exceſſerimus, errare, labi, impingere identidem neceſſe eſt. Adhuc omnia portare non poſſumus: proficiendum ſemper eſt, donec capaces ſimus earum rerum, quas hic capere non potuimus. Non pudeat aliquid neſcire in ea re, ubi eſt aliqua docta ignorantia. Curioſa hujus ſcientiæ inveſtigatio ſtulta eſt, periculoſa & exitialis, Prov. 25. 27. c. 21. S. 1, 2.

5. Alteri illi, dum à qualibet hujus doctrinæ quæſtione non ſecus atque à ſcopulo refugere docent, non minus errant. Laudanda quidem in his myſteriis delibandis moderatio & ſobrietas: legitimus tamen finis eſt tenendus. Neque enim ſe patitur ingenium humanum temere coërceri. Redeundum eſt ad ſcripturam, in qua nihil prætermittitur ſcitu neceſſarium & utile. Ab hac fideles non ſunt arcendi, ne videamur aut illos maligne Dei beneficio fraudare, aut Spiritum Dei arguere, quod illa patefecerit, quæ utilius eſſet ſupprimi. Sed cautio ſit, ut ubi Deus finem docendi facit, nos etiam ſapere velle deſinamus, & inquiſitionem ſiſtamus. c. 21. S. 3.

6. Hic I. obtendunt periculum inveſtigationis.

Et ex Prov. 25. 2. ajunt eſſe gloriam Dei celare verbum. Reſp. Hoc dictum de re qualibet intelligi non poteſt. Diſtinguenda eſt ſobria inquiſitio à bruta inſcitia. Arcana ſua ſunt Deo noſtro, nobis autem hæc manifeſtavit, Deut. 29. 29. Ita Moſes utrumque docet; verbum revelatum eſſe nobis cognoſcendum; ſed non eſſe fas, ut in arcana Dei ſeſe homines ingerant. Hoc verbum ſi ſequantur, de periculo jubemus eſſe ſecuros. cap. 21. S. 3.

7. II. Objiciunt, homines profanos hinc arripere cavillandi & blaſphemandi occaſionem. Reſp. I. Hæc ratio ſi valeret, celanda eſſent præcipua fidei dogmata: de Filii & Spiritus Sancti divinitate, de mundi creatione, &c. tacendum foret, quia ludibriis blaſphemorum impetuntur. II. Veritas potentior eſt, quam ut metuat impiorum maledicentiam. III. Apoſtolus non erubuit prædicare doctrinam Euangelii, etiamſi falſi doctores eam infamare conarentur. c. 21. S. 4.

8. III. Colligunt, hanc totam diſputationem piis mentibus eſſe periculoſam, quia ſit exhortationibus adverſa, fidem quatefaciat, cor piorum conturbet. Reſp. I. Hæc abſurda inferius excutientur & ſolventur. II. His argumentis Deum peti & oblique accuſari incogitantiæ, quod periculum non præviderit, cui homunciones iſti ſibi prudenter occurrere videntur. III. Habemus Scripturam, quam tuto ſequi poſſumus. Illud tantum obſervemus, ne occulta inquiramus, quod eſt curioſitatis: & revelata ne negligamus, quod foret ingratitudinis. c. 21. S. 4.

9. Prædeſtinationem nemo ſimpliciter negare audet. Sed eam multis cavillis involvunt, præſertim qui cauſam ejus volunt eſſe præſcientiam. Et utramq; quidem in Deo ſtatuimus, ſed præpoſtere

tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tamen confundi dicimus. Præſcientia eſt, ſecundum quam notitiæ Dei nihil futurum eſt aut præteritum, ſed omnia ſunt præſentia, ſic ut non velut ex ideis imaginetur, ſed tanquam ante ſe poſita vere intueatur. Et hæc quidem ad omnes creaturas extenditur. Prædeſtinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud ſe conſtitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet, ſive ad vitam, ſive ad mortem, prout in æternum finem quisque conditus eſt. cap. 21. S. 5.

10. Electionis Scriptura varios recenſet gradus. Primum ejus ſpecimen exhibuit in Perſona Abrahæ, quando unum in ipſo populum rejectis omnibus aliis nationibus elegit, Deut. 32, 8. & 7. 8. & 10. 14. Vnde palam fit, in Dei arbitrio eſſe, qualis cujusque gentis futura ſit conditio. cap. 21. Sect. 5.

11. Cauſam hujus electionis ſi quærimus, non in ullo reſpectu dignitatis aut operum, ſed in ſolo gratuito Dei amore reperiemus. Negativam multis locis urget Moſes. Non quia reliquas gentes ſuperaſtis numero: non quia tale aliquid promeriti ſitis, eſtis enim populus contumax & duræ cervicis, Deut. 7. 8. & 9. 6. Sic Pſal. 95. 7. Non ipſi nos fecimus. Cur ergo elegit? Cur protexit & beneficiis affecit? quia recordatus eſt fœderis ſui: quia patres veſtros amavit, quia vos dilexit, quia complacuit ei in vobis, Deut. 4. 37. & 7. 8. & 10. 14. & 23. 5. Pſalm. 105. 8. Ita paſſim ad principium gratuiti fœderis revocantur Iſraëlitæ, ut omnem anſam gloriandi Deus præcidat. Et hoc ipſum fatentur & prædicant fideles, Pſal. 47. 5. Quibus enim meritis vel ipſe Abraham, cum eſſet tamen ſanctiſſimus, tantam honoris prærogativam ſibi arrogaret? Quando autem in paucos &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ignobiles, imo pravos & immorigeros tantopere ſuit propenſus, nil niſi miſericordiæ documentum proferre Deus voluit. Quod ipſum Prophetæ odioſe ſæpius Iudæis objiciunt, quod turpiter ab hac gratia defeciſſent. Idem aliis locis Scriptura inculcat, ſive ad gratiarum actionem ſive ad fiduciam incitare velit. Sic Pſalm. 95. 7. poſtquam juſſiſſet laudare Deum, addit cauſam, *Ipſe nos fecit, non ipſi nos, populus ejus & oves paſcuorum ejus*, Pſal. 105. 6. *Filii Iacob electi ejus.* Nihil tanto honore dignum in ipſis commemorat, ſed gratuitam electionem commendat, & beneficiorum autorem non tantum Deum conſtituit, ſed horum cauſam à Deo ipſo ſumit. Eandem rationem agnoſcunt pii Pſal. 44.4. hanc ipſis terram à Deo datam eſſe, quia complacitum ſit in illis. Erat autem illa terra ſymbolum viſibile arcanæ ſegregationis & adoptionis. Quorſum etiam pertinet hortatio Davidis, Pſal. 33. 1, 12. Eodem argumento pii ad bonam ſpem in futurum animantur, 1 Sam. 12. 22. Non deſeret vos Deus, propter nomen ſuum, quia placuit ei vos ſibi creare in populum. Ita David ſe ad pugnam armat, Pſ. 65. 5. Beatus, quem elegiſti: habitabit in atriis tuis. Hæc qui negant, aut conviciari audent, ut electionem hominum dignitati aut meritis aſtringant, ipſi Deo bellum inferunt. cap. 22. Sect. 5.

12. Cæterum notare hic convenit, vocem Electionis nonnunquam ſumi pro nova demonſtratione electionis arcanæ, uti Eſ. 14. 1. & 41. 9. Zachar. 2. 12. Quibus locis Iſraëlem dicitur denuo electurus. Electio enim quæ in Deo eſt abſcondita, beneficiis Dei, liberationis ex Ægypto & Babylone, veluti ſancita fuit. Et cum populi calamitate interrupta videri potuiſſet, ad ſigna novæ reſtau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

reſtaurationis, novæ quoque meminit electionis, ut ſciant, electionem illam arcanam manſiſſe ac manſuram eſſe ſtabilem atque firmam, licet ejus non ſemper appareant ſigna. cap.21. S. 5.

13. Addendus eſt ſecundus gradus reſtrictior, in quo conſpicua fuit gratia magis ſpecialis, quando ex eodem genere Abrahę alios repudiavit, alios in Eccleſia pro ſuis agnovit. Exemplum habemus in Iſmaële, qui, cum parem gradum in Circumciſione quoad fœdus cum Iſaaco adeptus eſſet, excidit tamen, quia in Iſaac vocatum eſt ſemen. Eadem vocatio in Iacobo duravit, in Eſavo defecit. Poſtremo innumera multitudo & totus fere Iſraël exciditur. Simile exemplum edidit Deus in rejectione Saulis & electione familiæ Davidis, Pſ.78. ℣. 69. cap. 21. S. 6.

14. Hæc non alio fine ſæpius in ſacris literis repetuntur, quam ut eo melius admirabile gratiæ arcanum in tali mutatione pateat. Vitio quidem ſuo exciderunt Iſmaël, Eſau, & ſimiles, quia conditionem fœderi appoſitam violarunt. Fuit tamen Dei ſingulare beneficium, quod reliquis gentibus prælati fuerint, Pſal. 47. 10. Et hoc ipſo oſtendit Deus, liberalitatem ſuam nullis legibus aſtrictam, ut non ſit ab ipſo exigenda æqualis partitio gratię, cujus inæqualitas ipſam vere gratuitam eſſe demonſtrat. Atque hoc argumento Malachias c. 1, 2. Iſraëlis amplificat ingratitudinem, quod non tantum ex genere humano, ſed ex ſacra domo electi tam perfide Deum Patrem ſpernant. Nam quum Eſau & Iacobus eſſent genere æquales, & ille Iacobo naturæ prærogativa prior, attamen Eſavo ſpreto Deus Iacobum ſolum hæredem conſtituit. Vnde colligit Propheta, non vulgariter, ſed duplici vinculo fuiſſe obſtrictos. c. 21. S. 6.

15. Ex præcedentibus ſatis liquet, Deum aliis rejectis eligere quos vult. ſed plenius hæc gratuita electio eluceſcit, ubi ad ſingulas perſonas ventum fuerit. His enim Deus non modo ſalutem offert, ſed ita aſſignat, ut dubia non ſit effectus certitudo. Cauſa eſt, quia in unico illo ſemine cenſentur, cujus meminit Paulus Rom. 9. 7. Gal. 3. 16, 19. Primum in adoptione generis Abrahami enituit quidem Dei favor quem aliis negavit: ſed inde multi ex poſteris reſecti ſunt. Vt efficax & vere ſtabilis ſit electio, ad Chriſtum caput noſtrum revocamur, cui quicunque inſiti ſunt nunquam à ſalute excidunt. Eodem pertinet diſcurſus Pauli Rom. 9. 27. ex Malachiæ 1. 2. *Iacobum amavi.* non eſt dubium, quin reſpiciat totam Iacobi ſobolem, quam Propheta opponit poſteris Eſau. Apoſtolus tamen concludit in unius hominis perſona ſpecimen firmæ electionis fuiſſe nobis propoſitũ. Vnde & illud liquet, quando Deus populum aliquem ad ſe invitat, etiam interpoſita promiſſione vitæ æternæ, habere tamen ſpecialem electionis modum, ita ut non omnes æquali gratia efficaciter eligat. Eodem ſenſu Paulus, eos, qui ſpectant ad corpus Chriſti, obſervat vocari reliquias, Rom. 11. ℣. 5. quia exigua tantum portio remanet ex magna multitudine, quæ ſe Eccleſiam nuncupat. cap. 21. S. 7.

16. Hinc etiam intelligitur, cur illa generalis electio populi non ſemper firma & rata ſit: nempe, quia non omnes, cum quibus verbo paciſcitur Deus, protinus donat ſpiritu regenerationis, cujus ſolius virtute electi ad finem in fœdere perſeverant. Externa proinde eſt vocatio abſq; interiori gratiæ efficacia, quæ medium quiddam eſt inter multorum rejectionem & aliorum electionem. c. 21. S. 7.

17. Videtur poſſe regeri, quod totus Iſrael vocatus ſit hæreditas Dei. Reſp. Etiam multi ex eo fuerunt extranei. Illud ergo intelligi debet. I. ratione fœderis & promiſſionum, quarum veritas per aliquorum defectionem aboleri non potuit. Itaque vocatio manſit ἀμεταμέλητος. II. reſpectu reliquiarum, & eorum omnium, quos Deus ex hac gente ſuis temporibus vocavit & ſervavit, potius quam ex aliis populis. Ita factum eſt, ut nunquam intercideret fœdus Dei. cap. 21. S. 7.

18. Concludimus, illam communem ſeminis Abrahæ adoptionem fuiſſe viſibilem quandam imaginem majoris beneficii, quo Deus aliquas ſingulares perſonas ex multis dignatus eſt eligere. Quorſum facit diſtinctio Pauli inter filios ſecundum carnem & ſecundum ſpiritum vel promiſſionem, Rom. 9. 8. Etſi enim non fuerit ſimpliciter res infructuoſa Abrahæ filium dici, tamen fœdus Dei in ſolis liberis ſpiritualibus ad ſalutem fuit efficax. cap. 21. S. 7.

19. Habemus ergo I. Deum æterno & immutabili conſilio ſemel conſtituiſſe, quos aliquando aſſumere vellet in ſalutem, & quos rurſum exitio devoveret. II. Hoc conſilium, quoad electos, fundari in gratuita ejus miſericordia: reprobis, juſto quidem ſed incomprehenſibili judicio, vitæ aditum præcludi. III. His adde, Electionis notas eſſe duas, Vocationem & Iuſtificationem. Ejus complementum eſſe glorificationem. Sic Reprobationis notam ponimus, quod Deus reprobos vel à notitia nominis ſui, vel à Spiritus ſui ſanctificatione excludit. Ex quibus ſignis intelligi poteſt, quale eos maneat judicium. c. 21. S. 7.

20. Sed hæc quæ poſuimus, præſertim gratuita electio, apud multos non carent controverſia:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

penitius ergo diſpicienda.multa figmenta præteribimus,quæ ſua falſitate corruunt. In iis immorabimur, vel de quibus inter doctos diſputatur, vel quæ difficultatem ſimplicibus adferre poſſunt, vel quæ ſpecioſe ad ſugillandam Dei juſtitiam prętendit impietas. Vulgo exiſtimāt, Deum, prout cujuſque merita fore prævidet, inter homines ſive dignos ſive indignos diſcernere. Atqui hac ratione electionem præſcientiæ velo non obſcurant tantum, ſed ejus originem aliunde quam oportet accerſunt. Et licet hæc opinio ſeculis omnibus magnos habuerit authores, id tamen veritati tam certæ & evidenti præjudicare nō debet. Alii majori improbitate hanc doctrinam lacerant, & quia Deus, eligens ſuo arbirrio quoſdam, alios pręterit, litem ei intendunt, contra quem tamen jurgando nihil proficiunt. Vtriſq; hoc axioma certiſſimum opponimus, Deo, quibus vult ſuam gratiam erogare, ſemper liberum fuiſſe. Quod ſic demonſtramus. cap. 22. Sect. 1.

21. I. Electione poſteritatis Abrahæ, cujus extra Deum cauſa nulla invenitur. II. Ex prærogativa, quam præ brutis animalibus homines obtinent. An hic permittent canem aut aſinum de ſua ſorte cum Deo expoſtulare? An ſuis ſe meritis hanc pręcellentiam adeptos eſſe fingent? Concedant igitur Deo, ut ſua beneficia pro judicii ſui menſura varie diſtribuat. III. Si ad perſonas deſcendimus, non alibi illuſtrius exemplum electionis gratuitæ occurrit, quam in perſona Chriſti, qui naſcitur ex ſemine Davidis homo mortalis, & jam in ipſo utero caput fit Angelorum, unigenitus Dei Filius, imago & gloria Patris, lux, juſtitia & ſalus mundi. Dicant nobis, quibus hunc honorem virtutibus prometitus ſit, ut ille ſolus ſit, non alii: & cur
ab

ab illo nos omnes tanto intervallo diſtemus. Quod in Eccleſiæ capite agnoſcunt, in membris cur negant? Quod argumentum etiam Auguſtinus prudenter animadvertit. cap. 22. Sect. 1.

22. Sed quia nihilominus Deo jus liberum eligendi & reprobandi eripere conantur, urgeamus eos Scripturæ locis, & videamus, quid de unoquoque pronunciet. I. Paulus ait nos in Chriſto eſſe electos, Epheſ. 1.4. Cur autem in Chriſto? niſi quoniam in univerſo Adæ ſemine nihil dilectione dignum reperit. II. Idem Coloſſ. 1. 12. docet Deum nos idoneos reddidiſſe ad participandam ſortem ſanctorum. Proinde præceſſit electio, quæ nihil reperit, quo ad nos eligendos Deus moveretur. III. Sed magis adhuc ſtringunt, quæ leguntur Eph. 1. 4. cujus loci partes ſimul connexæ nihil dubii relinquunt. Nam 1. per *Electos* intelligit fideles, ut ex textu patet, ut nimis putidum ſit, hoc nomen ad illam ætatem detorquere, qua Euangelium fuit publicatum. 2. Cum dicit, *Ante creatum mundum*, omnem dignitatis reſpectum tollit. Nulla enim diſcriminis ratio inter eos, qui nondum erant, & in Adamo omnes futuri erant pares. 3. Addit, *in Chriſto*. Ergo non in nobis electi. Et præterea ſequitur, ab aliis eſſe ſegregatos, quando liquet, non omnes eſſe Chriſti membra. 4. Subjungit, *Vt eſſemus ſancti*. Proinde non ex præſcientia ſanctitatis, quam dicit electionis eſſe effectum. Etenim ſi nos elegit ut eſſemus ſancti, non elegit quia nos futuros tales prævidebat. Sin minus, Pauli ordo invertitur, & pugnantia ſtatuuntur. Nec juvat eos, quod non quidem ullis præcedentibus meritis, ſed futuris tamen gratiam electionis tribuunt. Nam teſte Paulo, quæ futura erat ſanctitas, ab electione habuit exordium.

dium. Quocirca electioni cauſam nō dedit. 5. Porro ſupremam cauſam aſſignat ℣. 5. *Voluntatis Dei beneplacitum.* Ita omnia electionis media, quæ homines in ſe ipſis imaginantur, abſolute evertit, quia ex hoc uno fonte manant, quæcunque ad vitam ſpiritualem beneficia Deus confert. Quod plenius ex antitheſi conſtat, quam Paulus ponit 2 Tim. 1. 9. *Vocavit nos non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundū propoſitum ſuum & gratiam,* &c. Et rurſus Epheſ. 1. 5. *Secundum propoſitum voluntatis ſuæ, quod propoſuerat in ſe ipſo.* Ergo nihil extra ſe in eligendo conſideravit. 6. Denique ſubjicit, *Vt ſimus in laudem divinæ gratiæ.* At ſola Dei gratia non meretur prædicari in electione, niſi hæc tota ſit gratuita. Non erit autem, ſi Deus in eligendis futura cujusque opera reputat. cap. 22. Sect. 1, 2, 3.

23. IV. Idem Chriſtus docet Iohan. 15. 16. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Quod ita diſcipulis dictum eſt, ut in omnibus fidelibus locum habeat. Nec præterita tantum merita excludit, ſed nihil habuiſſe ſignificat cur eligerentur, niſi ſua miſericordia antevertiſſet. V. Quo pertinet illud Pauli Rom. 11. 35. Quis prior dedit illi, & retributionem accipiet? Sic ergo nos prævenit Dei bonitas, ut nihil apud nos nec præteritum nec futurum reperiat, quo nobis concilietur. c. 22. S. 3.

24. VI. Illuſtre hujus rei argumentum fuſe perſequitur Paulus Rom. 9. 6. & ſequent. Quum Iudæi falſa gloriatione ſibi Eccleſiæ nomen aſſererent, volebant à ſuo arbitrio pendere fidem Euangelii. Hanc ſuperbiam 1. iſta ratione Apoſtolus retundit, quod non omnes Iſraëlitæ ſint, qui progeniti ſunt ab Iſraële. Mirum hoc videri poterat, quod jure hæreditario omnes in Abrahamo eſſent

bene-

benedicti. Negat tamen Paulus ſucceſſionem ad omnes peræque tranſire. Cauſam aſſignat Dei voluntatem & ſpecialem electionem, quæ adoptionē poſteritatis Abrahæ ſola ratam faciat. Si uniuscujusque conditio in ſe ipſo initium haberet, & alios ſua ſtabiliret pietas in ſpe ſalutis, alios abdicaret ſola defectio, abſurde Paulus ad arcanam uſque electionem lectores eveheret. 2. Longius rem perſequitur ſub exemplo Iacob & Eſau. Fratres erant, iiſdem geniti parentibus, pariter incluſi in utero matris, ex benedicto ſemine Abrahæ; quum nondum editi eſſent in lucem, dictum eſt, *Major ſerviet minori*. Omnia in illis erant paria, Eſau etiam jure primogenituræ Iacobum præcedebat. Alterum tamen Deus recipit, alterum rejicit, & juniori primogenitura defertur, majori negatur. Cujus alibi ſimilia exempla in Iſmaële & Iſaaco, in Manaſſe & Ephraim proponuntur, ut deſtinato conſilio primogenituramDeus contempſiſſe videatur, quo omnem gloriandi materiam carni præcideret. Quæritur tanti diſcriminis & mutationis cauſa. Si, quod præſcientiæ doctores volunt, in hominum virtutibus & vitiis expoſita eſt, compendio dici poterat, Deum monſtraſſe in perſona Iacob, ſe gratia ſua dignos eligere: in perſona Eſau, ſe repudiare quos indignos eſſe prævidet. Quid ad hæc Paulus? *Quum*, inquit, *nondum nati eſſent, nec quicquam boni aut mali feciſſent, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt: Major ſerviet minori: ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau odio habui*. Si quid hic valeret præſcientia, importuna fieret tēporis mentio. Quorſum enim diceret nondum fuiſſe natum Iacobum? Si virtutibus hoc debebatur, quorſum illud, Nihil dum boni

boni feciſſe? In promptu erat excipere, pietatem Iacobi Deo ſemper fuiſſe præſentem. Si opera conciliant gratiam, etiam ante natum Iacob, ſuum illis pretium merito conſtare debuit. Sed pergit adhuc Apoſtolus & nodum plane expedit, Non ex operibus, ſed ex vocante. Vno poſito alterum præciſe tollit, ſine ullo reſpectu præteriti aut futuri temporis. Imo ad propoſitum Dei nos revocat, qua voce omnes cauſas alias ab hoc negotio removet. Proinde fruſtra in electione opera vel præterita vel futura prætexuntur. Et ſi quid ſolidi fuiſſet in hac argutia, Paulum certe non latuiſſet. Sed quia noverat, in homine Deum nihil prævidere boni potuiſſe, niſi quod prius electione ſua largiri ſtatuerit, non confugit ad præpoſterum illum ordinem, ut opera bona cauſæ ſuæ præferat; ſed in ſolius divinę electionis arbitrio fundatam eſſe docet fidelium ſalutem. cap. 22. Sect. 4, 5.

25. Excipiunt nonnulli, male ex beneficio primogenituræ concludi ad ſummam futuræ vitæ & cœli hæreditatem. Quidam ne Paulo quidem parcunt, quaſi teſtimonia Scripturæ in alienum ſenſum detorſerit. Reſp. I. Apoſtolum nec incogitantia eſſe lapſum, nec Scripturæ locis abuti voluiſſe. II. Recte Paulum ex iiſdem colligere electionem unius & alterius reprobationem. Nam I. ſupponit voluiſſe Deum terreno primogenituræ ſymbolo ſpiritualem Iacobo electionem teſtificari. Ad hanc enim adeoque in futurum ſeculum niſi refertur, inanis & ridicula fuerit benedictionis ſpecies, ex qua nihil ei acceſſerit, præter triſte exſilium, & multiplices curas atq; ærumnas. II. Certum eſt, terram Canaan fuiſſe cœleſtis hæreditatis pignus: ut dubitari non debeat Iacobum inſitum fuiſſe Chriſto in eandem vitæ ſocietatem cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Angelis. Itaque ab externa benedictione recte Paulus petit argumentum ad comprobandam ſpiritualem & æternam. cap. 22. S. 6.

26. VII. Ex eodem capite Rom. 9. 15. liquidius de cauſa cognoſcemus, cur Eſau repudiato Iacob ſit electus, cum meritis nihil differrent. Addit enim Paulus ex Moſe, Miſerebor cujus miſerebor, & miſericordia dignabor, quemcumque miſericordia dignabor. Ecce Dominus in ſe uno ſalutem noſtram ſtatuit, & ſolam ſuam miſericordiam & commiſerationem pro cauſa aſſignat. Nullam ergo hominibus aut ſui aut operum ſuorum rationem relinquit. c. 22. S. 6.

27. VIII. Hic repetimus argumentum de reliquiis & populo præcognito, Rom. 11. 2. Eſt autem præcognoſcere, non otioſum ex ſpecula præſcire Deum, quæ ipſe non faciat, ſed eo ſenſu, quo Chriſtus dicitur definito conſilio & præſcientia Dei traditus, Act. 2. 23. Item agnus præcognitus ſalutis noſtræ auctor ante mundi creationem, 1 Pet. 1. 20. Sic cum Petrus nominat electos juxta præcognitionem Dei, exprimit haud dubio arcanam filiorum Dei prædeſtinationem. Quo pertinet vox ſynonymos *propoſiti*, quæ ubique fixam ſignificat determinationem, & Deum in quærenda ſalutis noſtræ cauſa non egredi extra ſeipſum. Præcognitus ergo populus, tantundem Paulo valet, atque exigua portio permixta turbæ, quæ falſo Dei nomen obtendit: de quibus reliquiis etiam dicitur, 2 Tim. 2. 19. Deum cognoſcere qui ſui ſunt. Porro duplicem populum Paulus nobis hac voce deſignat, unum ex toto genere Abrahæ, alterum ſegregatum ſoli Deo conſpicuum. Quomodo etiam Moſes æqualem populi electi ſtatuit conditionem, ſed cum ſingulatim affirmat, Deum miſeri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

miſericordem eſſe quibus voluerit, in communi adoptione teſtatur incluſam eſſe apud Deum ſingularem erga aliquos gratiam, cujus liberrimus ſit diſpenſator & arbiter: ut fruſtra dicatur, miſericordiam non niſi quęrentibus occurrere. Sic enim favorem, cujus laudem ſibi ſoli vendicat Deus, aut prævenirent, aut ex parte ſibi acquirerent; quod eſt falſum. cap. 22. S. 6.

28. Porro Chriſtum quoque audiamus ſupremum hujus quæſtionis cognitorem & magiſtrū. Cum duritia auditorum doctrina Chriſti parum proficeret, exclamat, Ioh. 6. 37. *Quidquid dat mihi Pater, ad me veniet. Hæc enim eſt voluntas Patris, ut quidquid dederit mihi, non perdam ex eo quidquam.* I. Obſerva, initium fieri à Patris donatione, ut in Chriſti fidem tradamur. Ergo quod aliquis ad Chriſtum venit, id procedit ex Patris donatione. II. Ne quis excipiat, Deum pro ſuis agnoſcere, qui ſe ipſi tradunt per fidem, notetur ſcopus verborum Chriſti. Quum multi non audirent verbum, multi deficerent, ut mederetur huic ſcandalo, illud potiſſimum urget, firmum manere Dei conſilium, ſic ut non labaſcat electio. Electi enim dicuntur, qui dati ſunt. III. Aſſerit Chriſtus, electos fuiſſe Patris antequam eos daret Filio. At non erant ex ſua natura, ſed alieni cum eſſent trahendo ſuos facit, ſicut dicitur Iohan. 6. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum: niſi illi datum ſit à Patre,* ℣. 65. *qui autem audivit & didicit à Patre, ille ad me venit,* ℣. 45. Quia non omnes credunt, in paucitate credentium manifeſtum apparet diſcrimen: ex eo nempe, quod dati ſunt, quod Patris ſunt, quod ex mundo non ſunt, uti denuo Chriſtus aſſerit Ioh. 17. 9. Cur autem reliqui in hoc peculio

Patris

Patris non cenſentur,cum totus mundus ad Creatorem ſuum pertineat, niſi quod ex interitu, cui mundus eſt deſtinatus, non omnes eripit gratia? Non eſt ergo cõmunis omnium electio. c.22.S.7.

29. X. In ſuperiori argumento Chriſtus ſe ut medium collocat inter Patrem & nos. Alibi tamen jus eligendi ſibi cum Patre communiter vendicat, & ſub eadem diſcretionis gratia. Non de omnibus, ait, loquor. Scio, quos elegerim, Iohan.13.18. Vnde autem elegit? Ex mundo, inquit, Ioh. 15. 19. quem mundum à precibus ſuis excludit, ubi diſcipulos ſuos Patri commendat, Ioh. 17, 9. 1. Cum affirmat, ſe ſcire quos elegerit,non omnes ſed certam aliquam ſpeciem notat generis humani. 11. Non diſtinguit quos elegit qualitate ſuarum virtutum, ſed cœleſti decreto & ſua electione, cujus ſe facit authorem. c.22. S.7.

30. Objici poſſet, Iudam quoque inter electos numerari, cum diabolus eſſet, Ioh. 6. 20. Item, quod datus dicitur Chriſto, Ioh.17.12. Reſp. 1. Electionem illam referri ad munus Apoſtolicum, quod etſi illuſtre eſt ſpeculum favoris Dei,non tamen in ſe continet ſpem æternæ ſalutis. Itaque potuit Iudas eſſe deterior diabolo, quum perfide Apoſtolatum gereret. Hoc in electos nõ cadit, quorum neminem Chriſtus perire ſinit, Ioh. 10. 28. 11.Ad locum Ioh.17.12. Reſp.1. καταχρηστικὴν eſſe loquutionem accommodatam communi hominum opinioni. 2. perſpicue ibidem doceri, Deum gratuita adoptione creare, quos vult habere filios, nec aliam ejus eſſe cauſam, quam arcanum ſuum beneplacitum. c. 22. S. 7.

31. Hic nobis I. objiciunt Patres, qui diſpenſari gratiam cenſuerunt, prout ea quemque bene uſurum Deus præviderit. Reſp. 1. Nos illis op-

ponimus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ponimus Auguſtinum, qui, cum alias in eadem fuiſſet ſententia, eam tamen melius edoctus retractavit & fortiter confutavit, Ep. 106. ad Sextum. Et homil. in Ioh. 8. Alicubi etiam Ambroſium in partes vocat. II. Res ipſa loquitur. Mota erat quæſtio, num juſte faceret Deus, qui certos homines gratia ſua dignaretur. Poterat Apoſtolus ſe verbulo expedire, & operum reſpectum obtendere. At ſine ambagibus ad miſericordiam & voluntatem Dei confugit. III. Concludimus cum Auguſtino, gratiam Dei non inveniſſe eligendos, ſed facere. cap. 22. Sect. 8.

32. II. Ex Thomæ ſententia diſtinguunt, Præſcientiam meritorum non eſſe cauſam prędeſtinationis ex parte Dei prædeſtinantis, ſed ex parte noſtra ſic vocari poſſe, quia gratiam homini prædeſtinat Deus, qua gloriam mereatur. Reſp. I. Deum in electione nihil intueri niſi meram ſuam bonitatem. Faceſſant ergo merita. II. Confundi ordinem finis & mediorum. Nam prædeſtinatio ad gratiam eſt poſterior prædeſtinatione ad gloriam, adeoque ex hac illa fluit. Prius enim eligit, & poſt juſtificat. Itaque prædeſtinatio glorię cauſa potius eſt prædeſtinationis gratiæ. Sed relictis his argutiis dicamus cum Ambroſio, eos, qui electionem meritis aſſignant, plus ſapere quam oportet. cap. 22. Sect. 9.

33. III. Solent reponere, Deum ſibi fore contrarium, ſi univerſaliter omnes invitet, paucos vero electos admittat. Reſp. I. Hanc quidem moderatorum hominum eſſe ſententiam, ut ſpinoſas quæſtiones & curioſitatem vitent: quorum tamen conſilium minime probandum, quia nunquam licet tergiverſari. Sunt tamen alii proterviores, quorum nec cavillationes nec error ferendus eſt.

II. Scri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

II. Scriptura hæc facile conciliat, quando externa prædicatione dicit omnes vocari ad pœnitentiam & fidem, negat tamen omnibus dari reſipiſcentiæ & fidei Spiritum. III. Quod poſtulant, promiſſionum univerſalitate tolli diſcretionem ſpecialis gratiæ, non admittimus, quia duobus modis falſum eſt. 1. quia Deus non eſt obſtrictus certa lege, ut æqualiter vocet omnes. Sicut enim pluviam mittit ubi vult, Amos 4. 7. ita Paulum vetans in Aſiá & Bithynia verbum facere retrahit in Macedoniam, Act. 16. 6. Vnde patet, in Dei manu eſſe hunc theſaurum diſtribuere quibus vult. 2. quia Deus ſalutis promiſſiones peculiariter electis deſtinat. Probamus hoc 1. Ex Eſa. 8. 16. ubi non indifferenter omnes, ſed aliquos, nempe electos, prædicat ſibi fore diſcipulos. Non ergo quibusvis efficaciter prodeſt doctrina. 2. Quia conſtat, rarum eſſe donum fidei. Cujus cauſam aſſignat Eſaias, quod non omnibus patefiat brachium Dei, Eſ. 53. 1. Non ut extenuet hominum culpam, ſed ut oſtendat externa doctrina multorum aures fruſtra verberari. 3. Quia non ſola prædicatio ſed fides facit filios Dei. Et hic ſpecialis ordo datur fidelibus, qui ex Deo nati ſunt, Ioh. 1. 12. IV. Retorquemus argumentum. Nam ſi electio eſt fidei mater, ideo non eſt generalis fides, quia ſpecialis eſt electio. V. Hunc ordinẽ Paulus aſſignat Eph. 1. ŷ. 3, 4. benedictiones ſpirituales ab electione deducens per ſeriem cauſę & effectus. VI. Ideo quoque fides electorum dicitur, Tit. 1. 1. quia fidem nemo proprio motu acquirit, ſed cui datum eſt noſſe myſterium regni, qui præſcitus & prædeſtinatus eſt, uti recte notavit Bernardus. VII. Denique audimus Chriſtum dicentem, Nemo vidit Patrem, niſi qui ex Deo eſt, Ioh. 6. 46. Concludimus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mus, licet vox Euangelii generaliter omnes compellet, tamen fidem eſſe ſingulare Dei donum, & ſolis electis proprium. cap.22. Sect.10.

54. Inſtant, fidei mutuum eſſe cum verbo conſenſum. Reſp. 1. Nempe ubicunque fides eſt. At illa in multis non invenitur, ut in parabola ſeminis Chriſtus docet: non ſolum, quia major pars contumacia peccat, ſed quia non omnes habent oculos & aures, Matth.13.11. 11. Recte quidem electioni conjungitur fides, modo ſecundum gradũ teneat. Hæc eſt enim voluntas Patris, ut non perdam quod dedit, ut quisquis credit, nõ pereat, Ioh.6.49. Eſt ergo fides ſingulare amoris paterni pignus, nec dationem antecedit, ſed ſequitur. Sic Iohan. 10. 4. definiuntur oves, quod vocem Paſtoris ſui norunt, audiunt, & ſequuntur, non autem vocem alienorum. Vnde iſta diſcretio, niſi quia gratia Dei oves facit? Atque hinc ſalus ipſorum certa & tuta eſt, Ioh. 10.29. Hinc denique recte concludit Chriſtus, incredulos non eſſe ex ovibus ſuis, Ioh.10.26. quia non ſunt in numero diſcipulorum, de quibus Eſ.8.16. c.22. S. 10.

35. Dices forſan. Quomodo convenit, Deum ad ſe vocare, quos ſcit non venturos? Reſp. De re ipſa jam conſtat. Ideo reſpondeat Auguſtinus pro nobis. Diſputare vis mecum? Mirare mecum & exclama, O altitudo. Ambo conſentiamus in pavore, ne in errore pereamus. c. 22. S. 10.

36. Porro ex allatis Scripturæ teſtimoniis, quibus perſeverantia exprimitur, inflexibilem ſimul electionis conſtantiam colligimus. c. 22. S. 10.

37. De cauſa Reprobationis non minus certo conſtat, eam extra Dei voluntatem non eſſe quærendam. Nam 1. Eſau quum nihil adhuc mali feciſſet, odio habitus & reprobatus fuit. Rom.9.13.

Iſti

Iſti arguтuli, qui in operibus cauſam ponunt, oculatiores ſcilicet Paulo ſunt, qui probat divinæ Prædeſtinationis fundamentum non eſſe in operibus. II. Itidem cum ſibi objectionem moviſſet, An non rejecto Eſau iniquitas ſit apud Deum, quid facilius erat, quam malitiam Eſavi regerere ad juſtitiæ divinæ patrocinium? At aliam adfert ſolutionem, excitari reprobos, ut Dei gloria per illos illuſtretur. Et annectit clauſulam, Deum miſereri cujus vult, & indurare quem vult. Sicut ergo non poſſumus rationem miſericordiæ aſſignare, quam quoniam illi ita placet, ſic etiam in reprobandis nullam aliam habebimus, quam Dei voluntatem. cap. 22. Sect. II.

38. Hæc equidem modeſtis Chriſti diſcipulis abunde ſatisfacere debebant. Sed quia variis tergiverſationibus & calumniis humana ingenia proterve hic tumultuari ſolent, occurrendum erit, & quæ ab ipſis objiciuntur refellenda. Primum nonnulli reperiuntur, qui invidiæ vitandæ cauſa, electionem quidem fatentur, ſed ita, ut negent reprobationem. Inſcite certe nimis & pueriliter. Nam I. Si nulla datur reprobatio, ne quidem ipſa electio ſtaret. Sane fortuito ſalutem nemo adipiſcitur, nec ſua induſtria ſibi acquirit, ſed ſola electio paucis confert. Quos ergo Deus non eligit, reprobat: quia vult illos ab hæreditate filiorum excludere, incomprehenſibili quidem judicio, quod tamen Angeli ipſi adorant. II. Paulus docet, non tantum Deum miſereri, ſed indurare quos vult. Nec anxie laborat ut Deum excuſet: tantum admonet, nefas eſſe, ſi figmentum cum creatore ſuo velit rixari. Rom. 9. 20. III. Omnis arbor, quam Pater non plantavit, eradicatur. Sic Chriſtus Matt. 15. ꝟ. 13. Qui nõ plantati ſunt, exitio devoti ſunt.

Et

Et hoc reprobationis ſignum eſt. IV. Ex Rom. 9. ℣. 22. Vaſa commemorat iræ apparata ad interitum, quæ Deus fert in multa lenitate, volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam. Alia rurſus vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam, ut in illis notas faceret divitias gloriæ ſuæ. His verbis Apoſtolus ſummum imperium Deo tribuit iræ & potentiæ, omnemque litigandi anſam præcidit. Dantur ergo non electi tantum, ſed & reprobi. cap. 23. Sect. 1.

23. Ad hunc locum Rom. 9. 22. reſpondent adverſarii, I. Deum non prorſus rejicere quos tolerat, ſed eorum reſipiſcentiam ſuſpenſam exſpectare. II. Aliter Paulum de vaſis iræ loqui, aliter de vaſis miſericordiæ. Hæc dicit Deum præparare, ut ſalutis laudem Deo vendicet: illa apparata eſſe ad interitum, ut perditionis culpam in homines rejiciat. Reſp. Ad I. Falſum ſumi. Nam ut bene notavit Auguſtinus, ubi potentia tolerantiæ adjungitur, non recte dicitur, Deum tantum ſinere, ſed potius virtute ſua moderari. Ad II. Concedimus Paulum mitigare phraſim. Et tamen apparatio ad interitum alio trãsferri nequit, quam ad arcanum Dei conſilium, cujus etiam in textu meminit, *Deum excitaſſe Pharaonem:* Item, *Deum indurare quos vult.* Vnde ſequitur, abſconditum Dei conſilium obdurationis eſſe cauſam. Nec male Auguſtinus: Ex lupis oves Deus facit, gratia potentiore duritiem domans. Obſtinatos ideo non convertit, quia potentiorem gratiam ſuam non exerit. c. 23. S. 1.

24. Nunc ipſas criminationes aggrediamur, quas ſtulti homines Deo objectant. I. Tyrannidis Deum accuſant. Etenim ſi nudo ſuo arbitrio homines, à quibus non eſt offenſus, citra proprium meri-

meritum in æternam mortem prædeſtinat Deus, ex libidine magis, quam legitima judicis ſententia ipſis agere videtur. *Reſp.* 1. Quisquis pius eſt, & de arcanis Dei cum reverentia philoſophari didicit, hos cogitationum impulſus nullo negotio frænabit, ubi ſecum reputaverit, divinæ voluntatis cauſam aliquam vel percontari eſſe improbum. Nihil eam antecedit, cui Deus alligetur. Ipſa ſuprema eſt juſtitiæ regula. Et quidquid vult, eo ipſo quod vult, juſtum eſt. Denique majus aliquid & ſublimius Dei voluntate inveniri non poteſt. Adverſus impiorum audaciam, qui palam Deo maledicunt, ipſe Dominus ſua juſtitia, ſine nobis, ſe tuebitur, manſurus victor etiam quando ab homine mortali judicatur, Pſal. 51. 6. Interea commentum abſolutæ potentiæ ut profanum & deteſtabile rejicimus. Non fingimus Deum exlegem, quum ſibi ipſi lex, & voluntas ejus puriſſima omnium legum lex ſit. Sed duo dicimus. 1. Deum non eſſe obnoxium, ut nobis ſuarum actionum reddat rationem. 2. Nos non eſſe idoneos judices in hac cauſa. II. Reſpondemus, homines juſtiſſime damnari, quum peccato vitiati ſint omnes. & damnationis juſtam cauſam in ſe agnoſcere cogantur. Omnes ergo quos Deus ad mortem prædeſtinat, non citra ſuum meritum, ſed propria culpa & naturali conditione morti obnoxii ſunt. Ex damnata maſſà deſumti omnes jure damnationi ſubjacent. Nihil ergo eſt, quod de Dei crudelitate aut iniquitate conquerantur: Proprio conſcientiæ teſtimonio convicti tenentur. Vt ergo centies Deum damnationis authorem eſſe fateamur, nunquam tamen proprium crimen ſupprimendo eluent, ut Dei prætextu ſe excuſent. c. 23. Sect. 2, 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

41. Ad hanc reſponſionem excipiunt. Adhuc injuſtum videri Deum, qui pœnas jubeat homines luere calamitatis, in quam Prædeſtinatione divina lapſus ſit Adam cum omnibus poſteris. Nam ad eam, quæ nunc pro damnationis cauſa obtenditur, corruptionem, Dei ordinatione ante prędeſtinati fuerant. Reſp. Fatemur, voluntate Dei omnes filios Adam in hanc conditionis miſeriam decidiſſe, cujus cauſa in ipſo eſt abſcondita, ad quam tandem voluntatem nobis ſemper redeundum eſt. Sed negamus conſequentiam. quia ſemper vera manet reſponſio Pauli; ô homo, tu quis es, qui reſponſas Deo? Num figmentum dicet, Cur me ſic feciſti; An non habet poteſtatem figulus? &c. Rom. 9. 20. cap. 23. S. 4.

42. Inſtant; hoc eſſe ſubterfugium eorum, qui juſta excuſatione deſtituuntur. Ita Deo adſcribi potentiam, qua quidvis agat, prout libitum fuerit. Sic autem male defendi Dei juſtitiam. Reſp. Paulum recte arguere. Neque enim tergiverſatur, tanquam ſi foret deprehenſus. Sed primum ſupponit, Deum eſſe juſtum, judicem eſſe orbis, injuſtitiam averſari, juſtitiam amare. Sed addit, hujus juſtitiæ rationem eſſe altiorem, quam ut mens humana eam metiri vel comprehendere poſſit. Proinde indignum eſſe, ad noſtræ rationis legem opera Dei redigere. Hiſce concinit 1. dictum Salomonis, Prov. 26. 10. ubi de magnitudine Dei exclamat, in cujus arbitrio eſt pœnas ſumere de ſtultis & transgreſſoribus, quamvis eos Spiritu ſuo non dignetur. 11. Angelorum electorum conſtantia in Dei beneplacito fundata fuit. Aliorum ergo defectio arguit eos fuiſſe derelictos. At hujus rei cauſa nulla poteſt alia adduci, quam reprobatio, quæ in arcano Dei conſilio abſcondita eſt. Ita cum Au-

guſtino

guſtino dicimus, eſſe à Deo creatos, quos in exitium ituros ſine dubitatione præſciebat, idque ita factum, quia voluit. Cur autem voluerit, noſtrum non eſſe rationem exigere. Iam cum de voluntate conſtet, cujus nomine ſuprema juſtitiæ regula nominatur, non recte de iniquitate quæſtionem moveri, ubi juſtitia clare apparet. III. Non poteſt Dei potentia limitari, ut ne quid plus ad agendum valeat, quam mens noſtra capiat: opera Dei ſua magnitudine noſtram intelligentiam longe ſuperant: nec ideo perverſa ſunt, quia carni noſtræ ſunt occulta. IV. Conſideranda nobis ſunt, quæ de incomprehenſibili ſapientia & terribili potentia Iobus & alii Prophetæ prædicant, ut metuere diſcamus. V. Si adhuc oblatrare & calumniari audent, non opus nobis alia defenſione, quam qua ſpiritus Dei per os Pauli uſus eſt. Immenſitas eſt judiciorum Dei, profunda eſt abyſſus, quam ingenii noſtri anguſtiæ non capiunt: noli veſana inquiſitione in hanc te demergere. Inſcrutabilia ſunt Dei judicia: cur ſcrutaris? Imperveſtigabiles ejus viæ: cur inveſtigas? Altitudo eſt: hanc expaveſce. Noli diſputare, ſed cum Auguſtino mirare. In hac admiratione Paulus acquievit: O homo, tu quis es, ut reſponſes Deo? cap. 23. S. 4, 5.

43. II. Objectio. Cujus neceſſitatem Deus hominibus ſua prædeſtinatione impoſuit, nec jure hominibus vitio vertitur, nec jure punitur. Ratio conſequentiæ: quia aliter facere non poſſunt. At peccandi neceſſitatem Deus hominibus prædeſtinatione impoſuit. Ergo. Id vero eſt abſurdum. Reſp. Hæc ab impietate emergit objectio, peccatoris ſcilicet excuſationem ſpectans, ſed cum Dei & ſupremi judicis ignominia. Varie autem reſpõderi ſolet. I. Multi ad Dei præſcientiam recurrunt,

qua

qua Deus mala peccantium prævidet. Et hanc negant impedire, quo minus homo peccator reputetur. At ſic calumniam non effugiunt. Etenim poteſt urgeri, Deum potuiſſe malis, quæ præviderit, occurrere, ſi voluiſſet. Vnde ſequitur, Dei providentia & deſtinato conſilio in hanc cōditionem creatum eſſe hominem. Proinde non eſſe illi vertendum in crimen, quod effugere nō poſſit, quum Dei voluntate conſtringatur. Nondum ergo ſic nodus expeditur. Illud certe conſtare debet apud omnes, in manu Dei eſſe rerum omnium diſpoſitionem, penes ipſum reſidere ſalutis & mortis arbitrium, & quum Deus omnia propter ſemetipſum condiderit, impium quoq; ad diem malum, Prov. 16.4. etiam conſilio ſuo ita ordinaſſe, ut inter homines naſcantur ab utero certæ morti devoti, qui ſuo exitio nomen ipſius glorificent. c.23.S.6.

44. Quod nonnulli cauſantur, nullam ex providentia inferri neceſſitatem, ſed ea conditione fuiſſe homines à Deo creatos, quia futuram eorum pravitatem præviderit, neque nihil neque totum dicunt. Nō urgebimus, quod multi præſcientiam cauſam rerum eſſe volunt. Fatemur ultro, præſcientiam ſolam creaturis nullam inferre neceſſitatem. Sed addimus, ſupervacuam eſſe hanc litem. Nam vita & mors divinæ magis voluntatis ſunt actiones, quam præſcientiæ. Nec hominum eventa, resque omnes futuras alia ratione prævidet, niſi quia ut ita fierent, decrevit. Vnde ſequitur, ordinatione & nutu Dei omnia fieri. c.23.S.6.

45. Excipiunt, nullibi ſcriptum extare, à Deo fuiſſe decretum, ut ſua defectione periret Adam. Ipſum hominem libero arbitrio fortunam ſibi finxiſſe: Deum nihil deſtinaſſe, niſi ut pro merito eum tractaret. Reſp, 1. Sic ambiguo fine Deus condi-

condidiſſet nobiliſſimam ex creaturis, quem tamen Scriptura prædicat facere quæcunque vult. Pſal. 115. 11. Si commentum illud placet, quid fiet Dei omnipotentiæ, quæ omnia moderatur? quid arcano ejus conſilio, quod aliunde non pendet? III. Cunctos mortales poſteros in Adami perſona & ejus culpa morti æternæ mancipatos eſſe ſcriptura clamat. Hoc naturæ adſcribi non poteſt. Ergo ab admirabili Dei conſilio profectum, unde Deus præſcivit, quem exitum eſſet habiturus homo, antequam ipſum conderet, & ideo præſcivit, quia decreto ſuo ſic ordinarat. Quod de toto humano genere concedunt, quid prohibet eos fateri de primo homine? Breviter, nulla cauſa eſt, cur in præſcientiam Dei, aut ejus prædeſtinationem invehantur, quia ſicut ad Dei ſapientiam pertinet, omnium quæ futura ſunt eſſe præſcium; ita ad ejus potentiam ſpectat, omnia ſua manu regere & moderari. Sic Auguſtinus dixit, ad omnipotentiſſimam Dei bonitatem magis pertinére, de malis benefacere, quam mala eſſe non ſinere. Item ſic angelorum & hominum vitam Deum ordinaſſe, ut prius oſtenderet, quid poſſet liberum arbitrium, deinde quid poſſet gratiæ ſuæ beneficium & juſtitiæ judicium. c. 23. S. 7.

46. II. Alii recurrunt ad diſtinctionem voluntatis & permiſſionis. Aſſerunt autem, perire impios permittente tantum, non autem volente Deo. Reſp. 1. Male illos diſtinguere. Cur enim permittit, niſi quia ita vult? II. Ne hoc quidem per ſe probabile eſt, ſola Dei permiſſione, nulla ordinatione hominem ſibi accerſiviſſe interitum. Imo conſtituit Deus, qua conditione præcipuam ex ſuis creaturis eſſe vellet. Concludimus, voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem, & neceſſario

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eſſe futurum quod ille voluerit, ſicut etiam vere futura ſunt quæ præviderit. cap. 23. Sect. 8.

47. III. Reſpondemus ergo nos ad argumentum, negando conſequentiam. Fruſtra enim neceſſitatem hanc vel Pelagiani, vel Manichæi, vel Anabaptiſtæ, vel Epicurei ad impiorum excuſationem prætendunt. 1. Quia prædeſtinatio eſt divinæ juſtitiæ, occultæ quidem, ſed inculpatæ, diſpenſatio. Hinc utrumque certum eſt, iſtos impios dignos fuiſſe tali ſorte, & juſtiſſimum eſſe interitum, quem ex prædeſtinatione ſubeunt. II. Dicimus, ſic ex Dei prædeſtinatione pendere eorum perditionem, ut cauſa & materia in ipſis reperiatur. III. Patet hoc ex lapſu Adæ. Lapſus eſt, quia Deus ſic expedire cenſuit: cur autem cenſuerit, nos latet. Id ſcimus, non cenſuiſſe Deum, niſi quod viderat inde nominis ſui gloriam illuſtrari. Hanc cum audis, de juſtitia non potes dubitare. Rurſus tamen idem homo ſuo vitio cadit. Patet ex rerum creatione, quam bonitatis elogio Deus approbavit. A Deo Adam acceperat puram naturam. Hanc propria malitia corrupit, & ſua ruina totam poſteritatem perdidit. IV. In hanc tam evidentem damnationis cauſam, non illam abſconditam Dei prædeſtinationem inquirere oportuit: quod multo tutius eſt & utilius. Nec pigeat Deo ſua arcana permittere, &, quæ ſcire nec datur nec fas eſt, ignorare. V. Atque hinc apparet, ex neceſſitate quam reprobi evitare nequeunt, nullum excuſationis relinqui prætextum. 1. quia Dei ordinationi ſuæ ſemper conſtat æquitas, licet ejus ratio ſit nobis incognita. 2. quia, ut quærendo reprobi intelligant ſuæ damnationis originem, ſatis eſt, ut ad naturæ corruptionem, unde illa ſcaturit, oculos intendant. A ſe ipſo materiam homo ſuæ calami-

tatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tatis, non à Deo, ſumſit, quando à pura Dei creatione volens degeneravit. cap. 23. S. 8, 9.

48. III. Objectio. Si electio non alio eſt referenda, quam ad divinæ voluntatis arbitrium, ſequitur, apud Deum eſſe acceptionem perſonarum. At hoc Scriptura negat. Ergo in electione Dei eſt meritorum reſpectus. Reſp. 1. Fatemur cum Scriptura, Deum non eſſe perſonarum acceptorem, non eo tamen ſenſu, quo illi judicant. Etenim perſonæ vocabulum nõ hominem ſignificat, ſed quæ in homine aut favorem & dignitatem, aut odium & contemptum conflare ſolent. qualia ſunt divitiæ, potentia, nobilitas, magiſtratus, patria, &c. Item paupertas, ignominia, ignobilitas, & ſimilia. Sic non diſcernit Deus inter Iudæum & Græcum. Act. 10. 34. Rom. 2. 10. nec in judicando divitiarum, libertatis vel ſervitutis ullam habet rationem Gal. 3. 28. Iac. 2. 5. Proinde manet adhuc liberum Deo, rejectis aliis eligere in filios, quos ſibi viſum eſt. 11. Cum fateri cogantur, nihil eſſe in eo qui aſſumitur, quod animum Dei ad ipſum inclinet, ſequitur, Deum non hominem intueri, ſed cauſam electionis à ſua bonitate petere, cui liberum eſſe debet, ſe exerere in quos & quoties placet. Ideo dicitur 1 Cor. 1. 26. non multos nobiles aut ſapientes fuiſſe electos. Vnde conſtat, Deum perſonis non fuiſſe devinctum. cap. 23. S. 10.

49. Si quis inſtet, hac ratione Deum inæqualem juſtitiam exercere, cum eundem tenorem erga omnes debuerit ſervare, noxios omnes punire, ab inſontibus omnibus rigorem judicii abſtinere. Reſp. Sic Deum in ordinem redigunt, ut non liceat ei miſericordia vel judicio uti, prout libitum fuerit. Fatemur communem noxam. Quod aliquibus ſuccurrit, puræ eſt miſericordiæ. Sin mi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nus, aut miſerandi facultate, aut judicio Deum ſpolient, neceſſe eſt. Recte Auguſtinus. Ex corrupta hominum maſſa, quæ fiunt vaſa in honorem, Dei miſericordiæ vaſa ſunt: quod alia fiunt in contumeliam, non iniquitati ſed judicio deputandum. Item, debitam pœnam rependit iis, quos reprobat; iis quos vocat, immeritam gratiam largitur: ſicut in poteſtate creditoris eſt alteri debitum remittere, ab altero exigere. In illis qui non merentur, gratuitam oſtendit gratiam: non omnibus dando, quid omnes mereantur oſtendit. Ita Paulus utrumque docet, Deum omnia concluſiſſe ſub peccato, & tamen nemini eſſe debitorem. Rom. 11. 32, 35. c. 23. S. 11.

50. IV. Objectio. Si talis eſt prædeſtinatio, concidit omnis ſollicitudo, & bene agendi ſtudium. Quid enim intereſt, quomodo ſe quiſque gerat, quando ſuo opere nihil impediri aut promoveri queat immutabilis prædeſtinatio? Ruant ergo quocunque libido tulerit. Etenim ſi ſalutem decrevit Deus, non obfutura ſunt vitia. Sin mortem, fruſtra contra tenditur. Reſp. I. Porcorum diabolica hæc eſt blaſphemia. Scriptura vero præcipit hoc tantum myſterium religioſe cogitare, non in audaciam erigi, & nefaria temeritate inacceſſa Dei ſecreta excutere, ſed ad judicia Dei tremere, & miſericordiam ejus admirando ſuſpicere. II. Facile hæc impietas compeſcitur, ſi finem electionis recte expenderimus, poſitum in vitæ ſanctimonia, ad cujus meditationem ſtimulare nos debet, non autem ad deſidiæ prætextum. Proinde totum electionis ordinem ſacrilege invertunt. Electi ſumus, ut ſanctam vitam traducamus. Eph. 1. 4. non ut ſecure in vitiis pergamus. III. Itaque invertimus argumentum. Si electi ſumus ad ſalutem, neceſſe

eſt,

eſt, ut in bonorum operum ſtudium incumbamus. IV. In eo etiam principium petunt, quod ajunt, reprobatos perdituros operam, ſi vitæ ſanctitati ſtudeant. Hoc enim ſtudium non niſi ex electione oritur. Reprobi vero non deſinunt perpetuis flagitiis iram Dei in ſeſe provocare, & damnationem ſuam evidentibus ſignis confirmare. cap. 23. Sect. 12.

51. Eodem pertinet, quod alii maligne & impudenter calumniantur, ac ſi hæc doctrina omnes ad pie vivendum hortationes everteret. Reſpondeat pro nobis Paulus tam apertus electionis gratuitæ præco, cujus tamen perpetuæ ad pietatem leguntur hortationes, 1. Theſſ. 4. 7. Epheſ. 2, 10. Dicant ergo, Paulum ſecum pugnare. Præcipit Chriſtus, ut in ſe credatur. Verum tamen eſt, neminem venire ad Chriſtum, niſi trahatur à Patre, Ioh. 6. 65. Curſum ergo ſuum habeat prædicatio, neque tamen impediatur prædeſtinationis cognitio. Prædicemus, ut qui habent aures audiant, Matth. 13. 9. Qui auribus carent, in illis impletur quod ſcriptum eſt, ut audientes non audiant, Eſa. 6. 9. Recte Auguſtinus. Non negandum eſt, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt. Non eſt tacendum, quia ſunt qui capere non poſſunt: ſed verum dicendum eſt, ut, qui habet aures, & qui poteſt capere, capiat. Vide Aug. lib. de Perſ. bon. c. 15 & 16. cap. 23. S. 13.

52. Interim libenter damus, ſic docendi rationem eſſe temperandam, ut caveatur, quoad liceat, offenſio. Nam, quæ vere dicuntur, etiam congruenter dicenda ſunt. Non foveatur ignavia, non indulgeatur malitiæ. Noli dicere, Quod jam non credis, ideo fit, quia exitio deſtinatus es. Non etiam in futurum neges crediturOs eſſe qui au-

 diunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

diunt, quoniam reprobati ſunt. Imprecatio hæc magis eſſet, quam doctrina. Illud tamen firmum & ratum maneat, Tunc correctione proficere hominem, quum Deus miſeretur, in cordibus ſalutem operatur, intus agens, & corda movens, homines voluntatibus, quas ipſe in illis operatus eſt, ad ſe trahens; Ille inquam Deus, qui quolibet plantante aut rigante dat incrementum, & qui facit quos voluerit, etiam ſine correptione proficere, cui volenti ſalvum facere, nullum reſiſtit hominis liberum arbitrium. Quod autem ille ſic proficit, ille aliter agit, abſit ut dicamus, judicium luti eſſe, non figuli. Cæterum, quantum ad nos pertinet, quia neſcimus quis ad prædeſtinatorum numerum pertineat, noſtrum officium eſt, ſic affici, ut omnes ſalvos eſſe velimus, omnibus ſalubrem adhibeamus correptionem: Dei autem erit, illis utilem facere quos prædeſtinavit. cap. 23. Sect. 14.

53. Hæc, quæ de electione & reprobatione dicta ſunt, ex utriuſque exſequutione melius eluceſcunt. Nam, ut primum de electione diſſeramus, quum in Dei conſilio ſit abſcondita, non eſt dubium, eam vocatione demum manifeſtari, quam ideo licebit proprie appellare ejus teſtificationem. Quos enim præfinivit, eos & vocavit, & juſtificavit, Rom. 8. 29. Ergo, quos Deus elegit, in filiorum ſuorum locum adoptavit: ſed per vocationem in tanti boni communicationem & poſſeſſionem veniunt. Ideo & ſpiritum adoptionis accipiunt, arrhabonem futuræ hæreditatis, & ſigillum adoptionis ſuæ, Rom. 8. 15. Eph. 1. 13. Neque enim ſufficeret ad ſolidam electionis probationem Euangelii prædicatio, quia hæc reprobis etiam communis eſt. Sed Deus efficaciter electos & datos Chriſto docet, Ioh. 17. 6. & trahit, ita ut

non

non poſſint tantum, ſed etiam velint venire & re ipſa veniant, Ioh. 6. 44, 46. Vide Auguſt. lib. 1. de Gratia contr. Pelag. c. 14. & 31. Et de Prædeſt. Sanct. c. 8. cap. 24. Sect. 1.

54. Quum autem electioni vocatio ſubnectitur, patet, in ea nihil requirendum præter gratuitam Dei miſericordiam. I. Vocat enim, quos elegit, & quidem ex miſericordia: ſecundum illud Pauli, Non eſt volentis, nec currentis, ſed miſerentis Dei. Non equidem, quaſi in nobis aliquis ſit conatus, & voluntas, quam ſi Deus adjuvet, illa ſuas quoque partes habeat in comparanda ſalute. Nam, ſi hæc argutia valeret, licebit retorquere, non eſſe ſolius quoque miſericordiæ, niſi adſit voluntas & curſus. Quod aperte impium eſt, & diſputationi Pauli contrarium, qua hoc proprie agit, ut eorum errorem refutet, qui ſalutis partem hominum voluntatibus & ſtudiis aſſignant; contra Paulus totam ſalutis ſummam Dei miſericordiæ vendicat, ut recte notavit Auguſtinus. II. Nec aliud etiam agunt Prophetæ, quam ut gratuitam Dei vocationem perpetuo deprædicent. III. Idem ex vocationis diſpenſatione conſtat, ad quam requiritur non ſola verbi prædicatio, ſed & ſpiritus illuminatio. De Prædicatione non eſt dubium, eam offerri immerentibus, non quærentibus, non invocantibus Deum, Eſai. 65. 1. Et ne Iudæi dictum Prophetæ non ad ſe, ſed ad gentes tantum pertinere crederent, alibi in memoriam ipſis revocat, unde aſſumſerit patrem eorum Abraham, nimirum ex media idololatria, Ioſ. 24. 3. Qua in parte Deus jam ſatis luculentum gratuitæ ſuæ bonitatis ſpecimem exhibet. Sed hæc externa vocatio non omnibus cedit in ſalutem: quia reprobi teſtimonium hoc amoris repudiant: atq; Deus etiam,

 illuſtran-

illuſtrandæ gloriæ ſuæ cauſa, ſpiritus efficaciam ab illis ſubducit. Ideo IV. notanda eſt interior vocatio, quæ infallibile pignus eſt ſalutis: cujus rei notitiam Iohannes ad ſpiritum refert, qui eſt in nobis, 1. Ioh. 5. 24. Et alibi dicitur, nullas eſſe ad audiendum nobis aures, nullos oculos ad videndum, niſi quos Deus fecerit, ne quis glorietur, ſe Deo vocanti reſpondiſſe. Denique hoc totum pendere à divina electione liquet ex eorum exemplo, qui communiter Pauli concionem audierant, nec tamen credidiſſe narrantur, niſi qui ad vitam æternam erant ordinati, Actor. 13. 14. Vnde ſequitur, omni ex parte vocationem eſſe gratuitam. cap. 24. Sect. 1, 2.

55. Porro duo hic errores vitandi ſunt circa electionis certitudinem & efficaciam. I. Eorum, qui Deo cooperarium faciunt hominem, ut ſuffragio ſuo ratam electionem faciat. At hic error facile refellitur: ſic enim voluntas hominis ſuperior ſtatuitur conſilio Dei. Contra Scriptura docet, non tantum dari nobis, ut credere poſſimus, ſed ipſam fidem eſſe Dei donum. II. Eorum, qui electionem à poſteriori ſuſpendunt, ac tum demum efficacem eſſe cenſent, poſtquam fide euangelium amplexi ſumus, unde vigorem ſuum ſumat. Quod quidem falſo dicitur, niſi confirmationem intelligant quoad nos, qua arcanum Dei conſilium, quod latet, vocatione & fide noſtra eluceſcit, comprobatur, & velut ſigillo conſignatur: quod ipſum non damus tantum, ſed & urgemus. Sane præpoſtere & temere agunt, qui, ut de ſua electione certiores fiant, ſine Dei verbo in æternum Dei conſilium penetrare tentant. Contra dicimus, initium à verbo externo fieri debere, in quo Deus occultæ ſuæ gratiæ teſtis eſt ſufficiens. Vbi autem

Deus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Deus eam nobis patefecit, nihil impedit, quo minus ad cauſam altius aſcendamus, & à fulgore lucis in vocatione ad ipſam electionem aſſurgamus. Indignum enim foret effectum cauſam obruere, & canalem impedire, quo minus ſcaturigo honorem ſuum obtineat. cap. 24. Sect. 3.

56. Hæc doctrina maxime eſt neceſſaria. Nulla enim gravior vel periculoſior eſt tentatio, quam dum de electione ſua dubitantes prava ejus extra viam inquirendę cupiditate fideles Satan ſollicitat. Hoc autem fit, ubi ſine verbo in æternum Dei conſilium homo perrumpere conatur. Sic enim in profundum immenſæ voraginis, in laqueos inexplicabiles, in abyſſum cœcæ caliginis, adeoque in horribilem ruinam ſe præcipitat: quæ juſta eſt humanæ ſtoliditatis pœna, quando ſuo marte ad divinæ ſapientiæ altitudinem contendit. Deinde tanto exitialior eſt hæc tentatio, quod ad nullam aliam propenſiores ſimus fere omnes. Cum nulla, inquiunt, nobis electionis ſit revelatio, quid futurum eſt nobis? Ita prave prædeſtinationem imaginantur homines, & doctrina, quæ pacem & tranquillitatem afferre debebat, conſcientiam diruunt & evertunt. Ne ergo hic naufragium faciamus, ſollicite ab hoc ſcopulo nobis eſt cavendum. cap. 24. Sect. 4.

57. Navigatio vero in hoc prædeſtinationis mari tuta erit, & jucunda, ſi ex verbo Dei recte & ordine illam inveſtigemus, ſi inquirendi exordium ſumamus à Dei vocatione, & in ipſam deſinamus. Hoc ipſum tamen non obſtat, quo minus fideles Dei beneficia ſentiant ex recondita illa adoptione deſcendere, qua ceu teſſera Deus vult nobis confirmare, quantũ de ſuo conſilio ſciri fas eſt. Hoc modo etiam loquuntur fideles Eſa. 25. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Et appoſite Bernardus in Dei propoſito tranquillitatẽ inveniri definit Serm. 23. ſuper Cant. c. 24. S. 4.

58. Vt quæ dicta ſunt melius intelligantur, primum illud tenendum eſt, Chriſtum, ſicut electionis, ita & vocationis noſtræ eſſe fundamentũ. In illo ſolo Patris anima acquieſcit, Matth. 3, 17. Ipſe unus & vitæ fons eſt, & ſalutis anchora, & regni cœleſtis hæres. Illius favore & filii ſumus & ſalutem obtinemus. Non in nobis, ſed in illo electi ſumus. Ideo nec in nobis, ſed in illo electionis certitudinem reperimus, adeoque ne in Deo quidem Patre, ſi illum abſque filio imaginamur. Ipſe eſt, cujus corpori Deus inſerere deſtinavit, quos ab æterno voluit eſſe ſuos. Deniq; in libro vitæ ſcripti ſunt, qui cum illo communionem habent. Chriſtus ergo ſpeculum eſt, in quo electionem noſtram contemplari neceſſe eſt, & ſine fraude licet. Si ergo paternam Dei clementiam, ſi ſalutem quærimus, ad hunc convertendi ſunt oculi, nec alio confugiendum eſt. cap. 24. Sect. 5.

59. Hoc conſilium Dei de noſtra ſalute, hanc certam ſui communionem Chriſtus teſtatus eſt, quando per Euangelii prædicationem docuit, ſe nobis à Patre datum eſſe, nos illum induere, cum ipſo coaleſcere, & vivere, credentes in ipſum non perire, ſed tranſiiſſe à morte in vitam, ſe eſſe panem vitæ, æternam Patris ſapientiam & immutabilem veritatem. Non eſt ergo timendum, ne, quod ſermone ſuo enarrat nobis, à Patris voluntate, qualis ab initio fuit, & ſemper futura eſt, vel minimum variet. cap. 24. Sect. 5.

60. Ad eandem doctrinam nos praxis in precibus revocat. Fides quidem electionis nos ad invocationem Dei animat. Sed præpoſterum eſſet hic cum Deo paciſci, Domine exaudi me, ſiquidem

electus

electus ſum. Nam vult Deus nos promiſſionibus ſuis eſſe contentos, nec alibi quærere, an futurus ſit nobis exorabilis. cap. 24. Sect. 5.

61. Ad hanc fiduciam ſtabiliendam multum facit, quod electionis firmitudo cum vocatione noſtra conjuncta eſt. Nam quotquot Pater ſalvos eſſe vult, eos Chriſti notitia illuminatos in ejus protectionem tradit, & illi committit, ut in vitam æternam cuſtodiantur. Quoſcunque porro Pater Filio dedit, hos Chriſtus in fidem & tutelam ſuam recepit. Ergo, ſi reſcire libet an ſalus noſtra Deo curæ ſit, quæramus an Chriſto eam commendaverit. Si dubitamus an Chriſtus nos in cuſtodiam ſuam receperit, ſuccurrat, Chriſtum ſe nobis paſtorem ſponte offerre, noſque in ovium ſuarum numero agnoſcere, ſi vocem ejus audiamus. Ita de præſenti gratia nulla erit dubitatio. c. 24. S. 6.

62. At vero ſubit futuri ſtatus anxietas. Multi enim vocati, pauci electi. Matth. 22, 14. Paulus monet, ut qui ſtat, videat ne cadat, 1 Cor. 10. 12. Vetat idem ſuperbire, jubet timere, quia Deus poteſt rurſum ſuccidere, Rom. 11. 20. denique experientia docet, perſeverantiam non omnibus contingere. Sed enim hac ſollicitudine Chriſtus nos liberavit. Promittit enim Ioh. 6. 37, 39, 40. Eum qui venerit ad me, non ejiciam foras. Hæc eſt Patris voluntas, ne quid perdam ex iis, quæ dedit mihi, ſed ut illud reſuſcitem. Et ego reſuſcitabo credentẽ in me noviſſimo die. Ita Ioh. 10, 27. Ego vitam æternam do meis ovibus, nec peribunt in æternum, nec quiſquam eas de manu mea poteſt rapere, non magis quam de manu Patris mei. Nec poteſt à ſalute avelli planta, quam Pater plantavit, Matth. 15. 13. Nec exeunt à nobis, qui ex nobis ſunt, 1 Ioh. 2. 19. Hinc illa magnifica Pauli

gloria-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

gloriatio, non niſi in dono perſeverantiæ fundata, Rom. 8. 38. Ejuſdemque certa aſſeveratio, Qui in vobis opus bonum incepit, perficiet uſque in diem Chriſti. Phil. 1. 6. Quo argumento ſuam quoque fidem David ſtabilit, Pſal. 138. 8. Denique ſicuti Chriſtus oravit pro Petro, ne fides ejus deficiat, ſic etiam pro omnibus electis orat, Luc. 22. 32. Iam vero repulſam apud Patrem nunquam paſſus eſt. Omnes hę promiſſiones reſpiciunt in futurum. Ex quibus colligimus, nos eſſe extra periculum defectionis. Itaq; confidamus, nos ſalvos fore perpetuo, quia nos ſuos eſſe ſemel voluit. c. 24. S. 6.

63. Hinc facilis eſt reſponſio ad ea, quæ ſolent objici. I. Ajunt multos quotidie deficere, qui Chriſti videbantur. Reſp. 1. Negamus, tales certa cordis fiducia, qua electionis certitudo ſtabilitur, Chriſto adhæſiſſe. Si enim fuiſſent ex nobis, utique permanſiſſent nobiſcum. 1 Ioh. 2. 19. 11. Fatemur, habere vocationis ſimilia cum electis ſigna. Sed non concedimus ipſis certum illud electionis ſtabilimentum, quod fideles ex Euangelio petere jubemus. Ita ratum manet, omnes à Patre Chriſto datos eſſe, à quibus vera fide recipitur, nec eo cuſtode quemquam ex illis periturum. c. 24. S. 7.

64. II. Objicitur etiam locus Rom. 11. 20. Reſp. 1. Alia eſt ſecuritas fidelium, quam Paulus non diſſuadet: alia eſt ſupina carnis ſecuritas, quæ faſtum & aliorum contemtum ſecum trahit, Dei reverentiam exſtinguit, acceptæ gratiæ oblivionem inducit, qualis Gentilium vocatorum eſſe poterat adverſus abdicatos Iudæos. Hanc Paulus damnat. 11. Iubet etiam timere, non eo timore quo conſternati vacillent, ſed qui ad ſuſpiciendam humiliter Dei gratiam inſtituat, nihil de eius fiducia diminuat. 111. Adde, quod non agat de ſingulis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

gulis hominibus, ſed generatim ſectas ipſas alloquitur, in quas veluti partes diviſa erat Eccleſia. Proinde monet Paulus Gentiles, non eſſe cur inflati ſint, quod ſubrogati fuerint in locum Iudæorum, quin potius hoc timoris & modeſtiæ illis debere eſſe cauſam. IV. Nihil magis contrarium eſt ſpei naturæ, quam ambigere quid de nobis futurum ſit, quam alias oſtendimus in futurum tempus extendi, etiam ultra mortem. c. 24. S. 7.

65. III. Objiciunt dictum Chriſti, de multis vocatis, paucis electis, Matth. 22. 14. Reſp. I. Diſtingui oportere vocationem univerſalem à ſpeciali. Illa eſt, qua per prædicationem Euangelii omnes pariter ad ſe invitat Deus, etiam quibus in mortis odorem proponitur. Hæc eſt, qua utplurimum ſolos fideles dignatur, interiori ſpiritus ſui lumine efficiens, ut verbum prædicatum cordibus eorum inſideat. Interdum tamen ejus quoque luminis facit participes, quos ad tempus duntaxat illuminat, deinde ſuæ ingratitudinis merito deſerit & majori percutit cœcitate. II. Dicimus parabolam Chriſti primum loqui de externa vocatione. Nam Deus veluti Rex aliquis vocatores ſuos emittit, ut multos invitent, & illis recuſantibus atq; impedimenta cauſantibus, etiam ex triviis obvium quemlibet. Poſtea introducit Deum veluti bonum convivatorem circumire menſas, comiter inviſere hoſpites, & quem invenerat non indutum veſte nuptiali, foras ejicere & punire. Hoc membrum de iis agit, qui fidei profeſſione in Eccleſiam ingrediuntur, ſed Chriſti ſanctificatione nequaquam induti. Hæc Eccleſiæ dehoneſtamenta non perpetuo ſuſtinet Deus, ſed extra projicit. Hinc recte dicitur, paucos eſſe electos ex magno vocatorum numero, non ea tamen vocatione, unde fideles ſuam

æſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

æſtimant electionem, quæ ſecum affert ſpiritum regenerationis, arrham & ſigillum futuræ hæreditatis. De qua Eph. 1. 13, 14. & Pſal. 15. 1, 2. & Pſal. 24. 6. Alia eſt vocatio, quæ impiorum & hypocritarum quoq; eſt communis, qui tandem ejiciendi ſunt ex loco quem male occupāt. Atq; hanc doctrinam doceri neceſſe eſt, ne ægre ferant animi fideles ſibi Iſmaëlitas miſceri, quoniam ſciunt tandem detracta larva eſſe ejiciendos. c. 24. S. 8.

66. IV. Objicitur ex Ioh. 17. 12. Neminem periiſſe ex illis qui Chriſto à Patre dati fuerant, niſi filium perditionis. Reſp. Eſſe impropriam loquutionem. Inter oves Chriſti non erat, ſed locum tenebat. Quod inſtant, electum fuiſſe cum Apoſtolis, Ioh. 6. 70. Reſp. Alia eſt electio ad miniſterium, quæ etiam Iudæ competit. Alia electio eſt ad Salutem, à qua manifeſte excluditur. Ioh. 13. 18. Hæc qui non diſtinguit, errat. c. 24. S. 9.

67. Ex quibus omnibus facile eſt colligere quam pernitioſe erraverit Gregorius Magnus, quando dixit, nos vocationis præſentis eſſe conſcios, de electione & in futurum eſſe incertos. Quo argumento ad trepidationem omnes hortatur, nempe, quod ex operum meritis electionem ſuſpenderet. Interea ſine conſolatione ſuos relinquebat, quod eos ad divinæ bonitatis fiduciam non transferret, cujus ex prædeſtinatione certa datur confirmatio. Quanquam enim Scriptura ſæpius ad modulum ſenſus noſtri loquatur, ut cum Ezech. 13. 9. legimus, non eſſe ſcribendos in catalogo ſervorum Dei, ac ſi tum demum inciperet ſcribere, quos inter ſuos recenſet: attamen, teſte Chriſto, ſcimus filiorum Dei nomina ſcripta eſſe in libro vitæ ab initio. Luc. 10. 20. Phil. 4. 3. Quid ergo? Nempe his verbis indicatur eorum abjectio, qui inter electos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ctos videbantur eſſe præcipui. Quo ſenſu eadem verba exſtant Pſ. 69. 29. Sed ut hoc fiat evidentius, notare oportet rationem ſive ordinem, quem Deus ſervat in vocatione. Etenim electi nec ſtatim ab utero, nec eodem omnes tempore, ſed prout viſum eſt Deo, in ovile Chriſti per vocationem aggregantur. Antequam hoc fiat, ab aliis non differunt, niſi quod ſingulari Dei gratia proteguntur, ne pereant. Quod non in extremam uſque impietatem feruntur, id non fit ex aliqua illis ingenita bonitate, ſed quod Deus in ipſorum ſalutem excubat. Scribi ergo tunc dicuntur, quando efficaciter vocantur. c. 24. Sect. 9, 10.

68. Qui ab ipſa nativitate inſitum electionis ſemen ſomniant, cujus virtute ſemper ad pietatem homines illi ſint inclinati, nec ſcripturæ auctoritate quod dicunt probant, & ipſa redarguuntur experientia. Exemplis conantur probare, ante illuminationem non fuiſſe à religione alienos. ut Pauli, Phil. 3. 5. Cornelii, Act. 10. 2. Reſp. I. de Paulo illis concedimus. In Cornelio dicimus hallucinari. Iam enim regeneratus erat, ut præter perſpicuam euangelii revelationem nihil illi deeſſet. II. Paucis exemplis non convincent omnes electos pietatis ſpiritu ſemper eſſe prçditos: non magis, quam ſi quis demonſtrata quorundam Ethnicorum integritate, colligat omnes idololatras probitatis fuiſſe ſtudioſos. III. Reclamat Scriptura, quæ tale ſemen electionis in ſtatu ante regenerationem non agnoſcit. Epheſii deſcribuntur ut mortui in peccatis, in quibus ambulabant: ut natura filii iræ, ſicut & cæteri: ſine ſpe, ſine Deo in mundo: ut tenebræ ſine luce. Eph. 2. 1, 12. & 5. 8. & 4. 18. Vnde Apoſtolus concludit, non eſſe mentiendum nec furandum, &c. ne quis ad ſolam ignorantiam Dei

ante

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ante vocationem hæc detorqueat. Itidem Corinthii dicuntur ante Chriſtum cognitum impliciti fuiſſe manifeſtis flagitiis, 1 Cor. 6.9, 11. Et Romani præbuiſſe membra ſerva iniquitati, Rom. 6.19. Si tales fuerunt, quomodo ſemen electionis in illis germinabat? Quin potius oſtendere debuit Paulus, quantum Dei beneficentiæ obſtricti eſſent, qua factum ſit, ne in tantas fœditates prolaberentur. Sic etiam Petrus debuiſſet ob ſemen hoc electionis hortari ſuos ad gratitudinem, cum contra præteritum tempus ait ſufficere datum Gentium libidinibus, 1 Pet. 4.3. Si exempla quærimus, quale juſtitiæ germen in Rahab meretrice, in Manaſſe, in latrone converſo reperient? Ioſ. 2. 1. 2 Reg. 21. 16. Luc. 23. 42. Faceſſant ergo homines curioſuli. Firmum maneat cum ſcriptura, omnes inſtar ovium declinaſſe in viam ſuam, Eſ. 53. 6. Ex hac perditione quos Deus eruere ſtatuit, eos in ſuam opportunitatem differre, hactenus tamen conſervare, in blaſphemiam irremiſſibilem ne devolvantur. c. 24. S. 10, 11.

69. Hactenus de Electione & Vocatione diximus. Sequitur de Reprobatione & ejus exſequutione. Quemadmodum enim ſuæ erga electos vocationis efficacia ſalutem, ad quam eos æterno conſilio deſtinarat, perficit Deus: ita ſua habet adverſus reprobos judicia, quibus conſilium de illis ſuum exſequitur. Quos ergo ad damnationem & mortem creavit, ut iræ ſuæ eſſent organa & ſeveritatis exempla, eos ut in finem ſuum perveniant, nunc audiendi verbi ſui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis excæcat & indurat. c. 24. S. 12.

70. Prioris judicii multa ſunt exempla, in quibus unum hoc præ reliquis eſt illuſtre. Quatuor annorum millia effluxerunt ante Chriſti adventum,

tum, quibus ſalutaris doctrinæ lucem cunctis gentibus occultavit: non quia indignos judicavit: poſteri etenim nihilo fuerunt digniores, cujus rei teſtem citamus experientiam, nec non Malachiam, qui poſtquam coarguiſſet enormia populi crimina, nihilominus venturum redemptorem denuntiat, Mal. 4. 1. Cujus rei, quod hæc gratia aliis datur, aliis non datur, arcano Dei conſilio cauſa altior fruſtra quæritur. Si calumniari aut tergiverſari quis voluerit, illud ad Dei gloriam abunde ſufficiet, neminem perire immerentem; quod autem nonnulli liberentur, gratuitæ eſſe Dei beneficientiæ. C. 24. S. 12.

71. Poſterioris judicii quotidiana exſtant documenta, & multa in Scripturis continentur. Nam I. conſtat, ubi eadem fere concio apud centum habetur, viginti verbum illud fide ſuſcipere, reliquos aut nullius penſi habere, aut ridere, aut rejicere. Si quis dixerit, diverſitatem hanc ex iſtorum provenire malitia, nondum ſatisfecit, quia & illorum ingenium eadem malitia occuparetur, niſi Dei gratia corrigeretur. Ideo illud Pauli nobis debet ſemper in mentem venire, Quis te diſcernit? 1 Cor. 4. 7. Item illud Lucæ, Act. 13. 48. Crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam æternam. De illis ergo qui non credunt quid ſentiemus, niſi quia ſunt vaſa iræ in contumeliam. Poſſet quidem Deus & hos convertere. Cur ergo non facit? quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt. Sic rectius cum Auguſtino loquemur, quam cum Chryſoſtomo tergiverſabimur, quod Deus volentem trahat. Sic enim diſcrimen non in Dei judicio, ſed in ſolo hominum arbitrio ſitum eſſet. Atqui tantum abeſt, ut ad Deum accedere poſitum ſit in proprio hominis motu, ut etiam piis opus ſit ſingulari ſpiri-

tus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tus inſtinctu & cordis apertione, exemplo Lydiæ, Act. 16. 14. Quod non de una muliere, ſed de omnibus Deum timentibus dictum intelligatur. c.24. S.12,13.

72. II. Ex Scriptura vero luce clarius apparet, Deum multis verbum ſuum mittere, quorum cœcitatem magis velit aggravari. Pharaoni jubet mandata ſua deferri, cujus tamen indurationem jam ante prædixerat, Ex. 4.21. Ezechielem præmonet, ſe ipſum mittere ad populum rebellem & contumacem, Ezech. 2.3. & 12.2. Ieremiæ prædicit, futuram ejus doctrinam in ignem, ut populum perdat, Ier. 1.10. Inſignis eſt locus Eſaiæ 6.9. Audite, & ne intelligatis. Obſtina, aggrava, obline, ne videant, audiant, intelligant, ne converſi ſanentur. Eandem ſententiam Iohannes applicat Iudæis, Ioh. 12. 39. Ideoque negat eos potuiſſe credere. Ecce Deus media adhibet, ſed ut magis obſurdeſcant, & fiant cœciores. Chriſtus ipſe Matt. 13.11 teſtatur ſe Apoſtolis parabolas exponere, quas ænigmatibus involutas populo tradit, quia illis datum ſit noſſe myſteria regni, vulgo non item: ipſius nempe culpa, non vitio verbi, cui ſatis erat lucis ad convincendam impiorum conſcientiam. cap.24. Sect. 13.

73. Reſtat nunc ut videamus, cur id Dominus faciat, quod eum facere palam eſt. Qui hoc fieri reſpondent, quoniam ſua impietate homines meriti ſunt, bene quidem & vere dicunt, ſed diſcriminis rationem nondum exponunt, cur alii obediant, alii obdurati perſiſtant. Ad illud ergo neceſſario eſt veniendum, quod Paulus ex Moſe annotat, Rom. 9. 17. Deum eos ab initio excitaſſe, ut oſtenderet nomen ſuum in univerſa terra. Proinde, quamvis patefacto Dei verbo ex malitia ſua non obtem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

obtemperent, addendum tamen eſt, ideo in hanc pravitatem addictos eſſe, quia juſto ſed inſcrutabili Dei judicio ſuſcitati ſunt ad gloriam ejus ſua damnatione illuſtrandam. Eodem pertinet, quod de filiis Heli narratur, noluiſſe Deo auſcultare, quia Dominus eos voluerit occidere, hoc eſt, quia eos ſemel exitio deſtinaverat immutabile ejus decretum. Ita cauſa notatur, cur in contumacia deſerti fuerint, nec tamen negatur, hanc ab ipſorum nequitia profectam fuiſſe. His adde dictum Iohannis c.12.38. Nemo credidit, ut impleretur illud Eſaiæ c.53.1. Quis credidit ſermoni noſtro? Non liberat eos à culpa, tamen ſatis fuit innuiſſe, quod ſine Spiritu ſancto inſipida eſt hominibus Dei gratia. Nec alio tendit vaticinium Eſaiæ c.54.13. Erunt omnes docti à Deo, quod Chriſtus citat Ioh.6.45. quam ut doceat Iudæos eſſe reprobos & indociles, quia ad eos non pertineat Dei promiſſio. Idem confirmat Paulus 1 Cor. 1.23,24. Chriſtum Iudæis eſſe ſcandalum, & gentibus eſſe ſtultitiam, vocatis eſſe potentiam & ſapientiam Dei. In illis docet, quid fere contingat, quoties prædicatur Euangelium: in his, quid gratiæ ſit tribuendum. Quo ſenſu illos paulo poſt à Deo dicit eſſe electos, 1 Cor.1.27. c.24. S.14.

74. Hic impii obſtrepunt & quiritantur, Deum miſeris creaturis inordinata potentia in ſævitiæ ſuæ ludum abuti. Reſp. 1. Nihil pati reprobos, quod Dei juſtiſſimo judicio non conveniat, quia tot nominibus Deo ſint obnoxii, ut de mille interrogati ne in uno quidem ſatisfacere queant. 11. Etſi omnium rationem non aſſequamur, non eſſe cur aliquid de ſublimitate ſapientiæ Dei neſcire recuſemus. c.24. S.14.

75. Sed quoniam objici ſolent pauci Scripturæ

loci,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

loci, quibus videtur negare Deus, ſua ordinatione fieri ut iniqui pereant, qui Deo reclamante ipſi mortem ſponte ſibi accerſunt, his quoque occurrendum erit. Ac I. ex Ezech. 33. 11. adfertur Deum nolle mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. Reſp. 1. Male hoc ad totum genus humanum extendi. Nam plurimos Deus ad reſipiſcentiam non invitat, quorum animi magis ſunt flexibiles, quam eorum, qui vocati magis indureſcunt: ut de Ninivitis & Sodomitis Chriſtus teſtatur, Matth. 13. 23. Cur ergo pœnitentiæ januam illis non aperit? Proinde non recte voluntas Dei, cujus meminit Propheta, opponitur æterno Dei conſilio, quo electos diſcrevit à reprobis. 11. Senſus Prophetæ eſt, non placere Deo mortem peccatoris, modo reſipiſcat. Cui pœnitentia detur, hoc loco non docet: quod alibi tamen Ezechiel, omneſque inſuper Prophetæ & Apoſtoli ſatis clare demonſtrant. Iubet ergo Deus & vult reſipiſcere, quos ad ſe invitat, nec tamen omnium corda tangit, ut experientia teſtatur. Si quis inſtet, Deum ergo fallaciter agere, reſpondemus, vocem externam inexcuſabiles reddere eos, qui audiunt neque obſequuntur, ſic tamen ut vere ſit teſtimonium gratiæ, piis quidem, ut confidant, ſi reſipuerint, ſibi paratam eſſe veniam: impiis cedit ad criminis duplicationem, quod tantæ clementiæ non reſpondent. c. 24. S. 15.

76. II. Vrgent locum Pauli, 1 Tim. 2. 4. Deum velle omnes ſalvos fieri. Reſp. 1. Paulus etiam addit, Deum velle, ut omnes ad cognitionem veritatis perveniant. Hoc ſi æterno Dei conſilio fixum eſſe volunt, dicant nobis, qui factum eſt ut nunquam pura doctrinæ ſalutaris cognitio ad quoſdam pervenerit, alii vix obſcura quædam rudimenta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

menta guſtaverint, Deut. 4. 7. II. Scopus Pauli manifeſtus eſt. Iuſſerat precationes fieri pro Regibus & Principibus. Hoc abſurdum videri poterat, quando multi non tantum à corpore Chriſti alieni, ſed ejus quoque infenſiſſimi hoſtes erant. Reſpondet, hoc gratum eſſe Deo ut pro omnibus preces habeantur; quia vult omnes ſalvos fieri, hoc eſt, quia nulli hominum ordini viam ad ſalutem præcluſerit. III. Eadem eſt ratio aliorum locorum, ut quod dicitur, velle miſereri omnium, &c. His enim locis non docetur, quid de ſingulis Deus occulto ſuo judicio ſtatuerit, ſed omnibus paratam eſſe veniam, qui modo ad eam requirendam ſe converterint. Si hoc non placet, concilient verba illa cum dicto Pſal. 115.3. Deus facit omnia, quæcunque vult. Item, Exod. 33.19. Miſerebor, cujus miſerebor. Ergo miſericordiam non omnibus impartitur. Colligimus, illis locis non de ſingulis hominibus, ſed hominum ordinibus agi. IV. Non aſſerit Paulus, quid ſemper & ubique & in omnibus faciat Deus, ſed liberum ei relinquit, ut tandem Reges quamvis inimiciſſimos participes faciat cœleſtis doctrinæ. cap. 24. Sect. 16.

77. III. Objiciunt etiam his affinem Petri locum, 2. Petr. 3. 9. Deum neminem velle perire, ſed ut omnes veniant ad pœnitentiam. Reſp. I. Ex verbis ipſis patet ſolutio. Nec enim alia voluntas recipiendi ad pœnitentiam intelligi poteſt, quam quæ paſſim traditur. Paratus eſt recipere eos, qui miſericordiam implorant. Et huc pertinent hortationes: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, Zach. 1. 3. Nihilominus ſtat immotum, converſionem eſſe in manu Dei: neminem ad Deum accedere, niſi qui divinitus prævenitur: Deum quibuſdam dare carneum, aliis cor lapideum

deum relinquere, Ezech. 30.26. Item, Deum dar
pœnitentiam, 2 Tim. 2.25. ne putemus in homi
nibus eſſe ſitam. Denique pro hoc arcano ſpiritu
motu orat Eccleſia: Converte me Domine, &
convertar: ubi convertiſti me, egi pœnitentiam
cap. 24. Sect. 16.

78. IV. Objiciunt, ſi ita ſe res habet, parum cer-titudinis & fidei ſupereſſe promiſſionibus Euan-gelicis, quæ tamen de voluntate Dei teſtantur. Si enim videbitur Deus velle, quod inviolabi ejus de-creto adverſatur. Reſp. Negamus conſequentiam. Vniverſales fatemur eſſe promiſſiones, quæ tamen Prædeſtinationi non ſunt contrariæ. Ea enim eſt promiſſionum natura, ut tum demum efficaces ſint, cum fide recipiuntur. Quod ubi non fit, abo-lita eſt promiſſio. Sane promittendo nihil aliud vult, quam omnibus eſſe expoſitam miſericor-diam, ſi modo eam ſerio expetant. Hoc non ali facitunt, niſi quos illuminavit Deus. Porro illu-minat, quos ad ſalutem prædeſtinavit. Manet ergo promiſſionibus ſua veritas, nec ulla eſt diſſenſio inter gratiæ oblationem & electionem æternam. cap. 24. Sect. 17.

79. Excipiunt, fruſtra omnes nominari, omni-bus ſalutem indiſcriminatim denuntiari. Reſp. Nihil minus. I. quia tanto tutius piorũ conſcien-tiæ acquieſcunt, quod intelligunt, nullam eſſe pec-catorum differentiam, modo adſit fides. II. Im-piis nihil eſt quod prætexant, quia oblatum bene-ficium ſua ingratitudine reſpuunt. III. Denique quum tam piis quam impiis Euangelium offertur, fides, hoc eſt, illuminatio inter utroſque diſtin-guit: quæ & ipſa electionem æternam pro regula habet. cap. 24. Sect. 17.

80. V. Objiciunt querimoniam Chriſti, Mat-

thæi 23.37.

thæi 23.37. Quoties volui cōgregare te, & noluiſti. Reſp. Poſſemus dicere, Chriſtum in perſona hominis loqui: ſed addimus, definiendam eſſe illam Dei voluntatem, quam Iudæos repudiaſſe ſæculis omnibus Chriſtus exprobrat. Nempe quod ſedulo incubuerit Deus ad colligendum & retinendum illum populum. Hinc non ſequitur, hominum malitia irritum factum eſſe Dei conſilium. c. 24. S. 17.

81. Excipiunt, ita duplicem in Deo conſtitui voluntatem. Reſp. Et nos hoc abſurdum eſſe concedimus, modo fidus adſit interpres. Sed I. obſervare debebant, hac phraſi quod humanum eſt ad Deum transferri, ſicut alibi dicitur protenſis brachiis rebellem populum mane & ſero vocaſſe, Eſai. 65. 2. In quibus figura negligi non debet. II. Dicimus, voluntatem Dei poſſe conſiderari multiplicem, non in ſe ſed quoad ſenſum noſtrū, ſicut & ſapientia Dei varie multiplex proponitur, Eph. 3. 10. quæ nunc attonitos reddit ſenſus, donec cognoſcere nobis dabitur, velle Deum mirabiliter, quod nunc videtur voluntati eſſe adverſum. cap. 24. Sect. 17.

82. VI. Cavillantur, injuſtum eſſe, ut Deus, qui omnium Pater eſt, quenquam abdicet, niſi ſua culpa promeritum. Reſp. I. Cur etiam porcorum & canum cauſam non agunt, quum ad eos uſque pateat Dei liberalitas? II. Reſpondeant, cur Deus uni populo ſe devinxerit, ut ejus eſſet Pater, non item aliis. III. Audiant Chriſtum utrumque aſſerentem, Deum ſolem ſuum producere ſuper bonos & malos, & tamen non niſi benedictis Patris hæreditatem eſſe repoſitam, Matt. 5. 45 & 25. 34. cap. 24. Sect. 17.

83. VII. Ajunt, Deum nihil odiſſe eorum, quæ fecit. Reſp. Vt hoc illis concedamus, ratum

tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tamen manet, reprobos Deo exoſos eſſe, & quidem optimo jure. quia nihil niſi maledictionem proferre queunt, quum ſint ſpiritu Dei deſtituti. cap. 24. Sect. 17.

84. VIII. Addunt, Non eſſe diſcrimen Iudæi & Gentilis, Ideoque omnibus indiſcriminatim proponi Dei gratiam. Reſp. Sic eſt: ſed ſimul admittant, quod Paulus etiam definit, Deum pro beneplacito ex Gentibus & Iudæis vocare quos vult, ut nemini ſit obſtrictus. c. 24. S. 17.

85. IX. Obtendunt, Deum omnia clauſiſſe ſub peccato, ut omnium miſereatur. Reſp. Nempe, quia omnium qui ſalvi fiunt ſalutem miſericordiæ ſuæ vult adſcribi, quamvis non omnibus ſit commune hoc beneficium. c. 24. S. 17.

86. Poſtremo, ad omnia quæ adducta ſunt & adduci poſſunt, cum Paulo reſpondemus, O homo, tu quis es, qui litigas cum Deo? In qua exclamatione libenter acquieſcimus. Etenim perverſe faciunt, qui divinam juſtitiam metiuntur humanæ juſtitiæ modo; ut recte dixit Auguſtinus. cap. 24. Sect. 17.

COROLL. I. *An Calvinus aliud objectum Prædeſtinationis ſtatuat, quam hominem conſideratum in maſſa corruptionis. Reſp. nobis non videri.*

II. *An Calvini ſententia de Reprobatione faciat Deum authorem peccati. Reſp. Negatur.*

DISPVTATIO X,

De Reſurrectione ultima & vita Æterna.

Ex lib. 3. cap. 25.

1. QVidquid hactenus de ſalute noſtra expoſitum fuit, eo tendit, ut ſciamus Chriſtum deſtructa morte vitam & immortalitatem pro-

duxiſſe

duxiſſe in lucem per Euangelium, nosque veluti cives & domeſticos Dei tranſiiſſe à morte in vitam, adeoque cum Chriſto conſidere in cœleſtibus, ut ad plenam felicitatem nihil deſit. Sed quia adhuc peregrini ſumus, quamdiu hoc carnis ergaſtulo incluſi tenemur, & adhuc ſub dura militia exercemur, ita ut nullus victoriæ Chriſti fructus conſtare videatur, altius animi erigendi ſunt ad ultimam beatitudinem & vitam æternam, quæ nunc cum Chriſto abſcondita eſt in Deo, ſed tum, quando Chriſtus vita noſtra apparuerit, clariſſime in nobis apparitura eſt in gloria, 2 Timoth. 1. 10. Eph. 2. 6. Col. 3. 3. Accedunt porro profanorum hominum ludibria, quibus noſtra ſimplicitas impetitur, quod ſpretis bonis præſentibus felicitatem latentem quaſi fugitantem umbram captemus: denique ab omni parte tentationes violentæ nos obſident, quibus ſuſtinendis longe eſſent animi noſtri impares, niſi expliciti rebus terrenis cœleſti vitæ eſſent devincti. Ideo ad continuam beatæ reſurrectionis meditationem aſſuefaciendi ſumus. Sect. 1.

2. Ad eam rem opus nobis eſt, *ſpe, fide, patientia*. Speramus enim quę non apparent, Rom. 8. 26. *Fides* vero eſt demonſtratio rerum inviſibilium & hypoſtaſis rerum quas ſperamus, Hebr. 11. 1. *Patientia* opus eſt, ne defatigati vel retro flectamus curſum vel ſtationẽ deſeramus. Finis vero eſt ſalus, quæ in Cœlo eſt repoſita, 1 Pet. 1. 8. Col. 1. 5. Ideo ſobrie, juſte & pie vivimus in hoc ſæculo, & Chriſtum, quem non vidimus, ſumma cum lætitia diligimus, quia expectamus beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, oculis & mentibus in Chriſtum defixis, ut vere in nobis impleatur, cor noſtrum eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ubi theſaurus noſter eſt, Tit. 2. 12. Matth. 6. 21.
Quam autem hoc ſit difficile, vel ex eo conſtat, quod tam rara fides ſit in mundo. Sect. 1.

3. Idcirco credentes ad hunc ſummum bonorum finem enixe contendunt: de quo etiam Philoſophi inter ſe certarunt: nemo tamen excepto Platone agnovit ſummum hominis bonum eſſe conjunctionem cum Deo: quanquam ne hanc quidem recte intellexit. Hoc credentium eſt privilegium, quod felicitas unica & perfecta ipſis in hac quoque peregrinatione nota eſt, cujus deſiderio quotidie accenduntur, donec plena fruitio eos ſatiet. Qua de cauſa ad reſurrectionem ſemper animos attollunt. Sic Paulus fecit, Phil. 3. 8. ubi hac nota quoque inſignit fideles, quod converſatio ipſorum ſit in cœlis, unde Servatorem ſuum expectant, ℣. 20. Idque tanto alacrius eſt faciendum, ne mundus nos deſides occupet. Et ne flaccеſcant animi, ſocias nobis Paulus adjungit creaturas, quas ait cum gemitu exſpectare revelationem filiorum Dei, Rom. 8. 19. Pudeat ergo nos in corruptione noſtra tabeſcere. Vt autem acrius pungamur, idem Paulus ultimum Chriſti adventum noſtram vocat redemtionem, ℣. 22. & ad Hebr. 9. 28. Chriſtum ait denuo abſque peccato conſpiciendum in ſalutem. Hæc nos redemtio ad ſuum uſque effectum in omnibus ærumnis ſuſtinere debet. S. 2.

4. Hoc ſtudium in nobis acuet doctrinæ hujus neceſſitas, & ipſum rei pondus. Nam 1. recte contendit Paulus, niſi mortui reſurgant, totum Euangelium inane & fallax eſſe: cujus concideret non authoritas tantum, ſed & tota ſumma, quia in ſe adoptionem & ſalutis noſtræ plenitudinem complectitur. Ideo ſic Chriſtum recipere convenit per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

fectæ ſalutis authorem, ut ſimul credamus eum cœleſti immortalitate & gloria veſtitum, quo totum corpus capiti conforme reddatur. 11. Res eſt creditu difficilis, putredine conſumta corpora iterum reſurrectura. Hinc carnis reſurrectio ne Philoſophis quidem omnibus probata fuit, quamvis animas immortales eſſe aſſererent. Vt hoc obſtaculum ſuperaret fides, duo adminicula Scriptura ſuppeditat: alterum in perſona & exemplo Chriſti: alterum in Dei omnipotentia. Sect. 3.

5. Primum occurrat nobis Chriſti reſurgentis imago, qui in natura noſtra immortalitatem adeptus pignus nobis eſt futuræ reſurrectionis. Nam 1. ideo etiam mortificationē ejus circumferimus in noſtra carne, ut vita ejus manifeſtetur in nobis, 2 Cor. 4. 10. 11. Non licet eum ſeparare à nobis, neque enim ſua cauſa privatim mortuus, aut victoriam reſurgendo adeptus eſt, ſed quod inchoatum eſt in capite, in membris impleri oportet: ſervato tamen cujusque gradu & ordine. Chriſtus tertio die incorruptus prodiit nec ſenſit corruptionem, Pſal. 16. 10. eadem tamen fiducia ad nos pertinet ſecundum menſuram donationis. Eodem ſpectat locus, Phil. 3. 21. Rom. 8. 10, 11. Reſurrexit ergo Chriſtus ut nos haberet ſocios futuræ vitæ. Suſcitatus eſt à Patre, quatenus eſt Eccleſiæ caput, & quidem virtute ejuſdem & communis ſpiritus, adhoc ut eſſet reſurrectio & vita. In hac reſurrectionis imagine fulcire oportet animos noſtros. Tantum caveamus, ne longioris moræ nos tædeat aut pigeat, quia noſtrum non eſt proprio arbitrio temporum articulos metiri. Illud ſufficiat Chriſtum eſſe primitias dormientium; nos, qui Chriſti ſumus, ſuo ordine reſurrecturos, 1 Cor. 15. 23. Sect. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

6. Cæterum ut de veritate reſurrectionis Chriſti certo nobis conſtet, diligenter colligere & expen- dere debemus, quot & quam variis modis Deu illam teſtatam fecerit. Non exſpectes aut Pilati, au Sacerdotum, aut totius populi teſtimonium. Nam indigni erant hoc Chriſti aſpectu. Obſignatur ta- men à Pilato ſepulchrũ, & milites excubias agunt nihilominus tertio die corpus Chriſti non reper- tur. A diſcipulis ſubreptum eſſe ne vel minima ſu- ſpicio ſupereſt. Primum mulierculæ pavidæ, po diſcipuli fere exanimes, partim amore Chriſti, par- tim ſua incredulitate ad ſepulchrum rapiuntur quod vacuum reperiunt; Angelorum, quos ſplen- dor cœleſtis commendabat, vocem audiunt, *Sur- rexit; non eſt hic.* Chriſtus ipſe non ſemel diſcipu- lis ſuis videndum & palpandum ſe exhibet, mul- tos dies inter eos de myſteriis regni diſſerit, n Apoſtolis tantum ſed quingentis fratribus ſim visus, tandem videntibus Apoſtolis aſcendit cœlum. Auritos habes & oculatos teſtes om fide dignos. Iam miſſio Spiritus S. illuſtre præb documentum, non ſolum vivere Chriſtum, ſ ſummum obtinere imperium. Ejus non mort ſed viventis viſione proſtratus eſt Paulus: Steph nus in vitæ certitudinem confirmatus. Tot & ta authenticis teſtimoniis fidem derogare, pravæ ret & furioſæ obſtinationis. Sect. 3.

7. Alterum probandæ reſurrectionis firm mentum ſenſus noſtros dirigit ad immenſam I Potentiam, Phil. 3. 21. Ne cogites quid fieri p ſit naturaliter. Miraculum eſt, quod ſenſus n ſtros abſorbet. Et tamen naturæ quoq; & ſem tis documento non impoſſibilem eſſe demonſt Paulus, 1 Cor. 15. 36. Adde miracula, quæ ſe omnes mundi plagas oculis noſtris ingerũt. Hu

virtu

virtutis divinæ fiducia perſuaſi fideles, rebus quoque deſperatis, ad illum reſurrectionis diem animos attollunt, *Eſa.* 26. 19. *Iob.* 19. 25. Etiam Ezech. 37. 8. ubi Deus populo reditus ex Babylone ſpem fecit, materiam ſperandi ex reſurrectione ſumit. Hinc Chriſtus vocem Euangelii vivificam eſſe comprobat, Ioh. 5. 28. Hinc Paulus inter medias pugnas triumphat, quod potens ſit Deus ſervare depoſitum, 2 Tim. 1. 12. Quibus & hoc addi poteſt, quod Deus juſtus judex ſit, qui & piis & impiis rependet, in manifeſtatione Chriſti cum Angelis potentiæ glorificandus in ſanctis ſuis, &c. 2 Timoth. 4. 8. 2 Theſſ. 1. 6. Sect. 4.

8. In antitheſi, hujus doctrinæ hoſtes nobis ſunt redarguendi. Et I. quidem Athei, qui vellent abolitam omnem reſurrectionis memoriam. De quibus videre eſt Eccl. 9. 4. & 3. 21. In quorum numero etiam fuerunt Sadducæi, negantes ullam eſſe reſurrectionem & animarum immortalitaté, Matth. 12. 18. Luc. 20. 27. Quorum incredulitatem vel ſolus ſepeliendi mos plus ſatis refutat, ſacer & inviolabilis apud omnes, ipſo naturæ inſtinctu omnibus impreſſus, & arrha futuræ vitæ. Neque ex errore nata eſt hæc ſepulturæ religio, ſed ſancte apud Patres ſemper viguit, & inter gentes quoque mos idem remanſit, ut perpetua eſſet reſurrectionis effigies & memoria. Quod profectu caruerit iſta Ceremonia, inde accidit, quod finem ejus non ſpectarunt. Itaque profeſſi quod non credebant, una cum corporibus reſurrectionis memoriam ſepeliverunt. Sect. 5.

9. II. Chiliaſtæ, qui mille annos aſſignant filiis Dei ad futuræ vitæ hæreditatem fruendam. At 1. Scriptura clamat finem nullum fore nec Electorũ beatitudini, nec Reproborum ſupplicio. His Ora-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

culis fidem inhærere neceſſe eſt. 2. Opinio hæc contumelioſa eſt Chriſto & regno ejus. Nam ſi pii non induentur immortalitate, ne Chriſtus quidem immortalem gloriam adeptus eſt. Et ſi finem habebit eorum beatitudo, ſequitur Chriſti regnum eſſe temporarium. Hujus enim ſoliditati illa innititur. 3. Eadem via totam Chriſti gratiam & virtutem labefactant: quarum complementum non aliter conſtat, niſi obliterato peccato & abſorpta morte vita æterna ad plenum inſtauretur. S. 5.

10. Nec ſuffragatur illis, quod ex Apoc. 20.5. adferunt de numero millenario, quia ibi non agitur de æterna Eccleſiæ beatitudine, ſed tantum de variis agitationibus, quæ Eccleſiam adhuc in terris laborantem manebant. Sect. 5.

11. III. His accedunt Reproborum patroni, qui nimiam Deo ſævitiam adſcribere non verentur, ſi æternis pœnis Reprobi addicantur. Negamus autem injurium eſſe Dominum, ſi regno ſuo privet, qui eo ſe indignos per ingratitudinē reddiderunt. Neque obeſt, quod peccata eorum ſint temporaria. Majeſtas enim & Iuſtitia Dei, quam violarunt, eſt æterna. Merito igitur non perit iniquitatis memoria. Porro blaſphemum eſt, quod ajunt pœnam excedere modum delicti. Etenim nimis parvo æſtimant Dei Majeſtatem, dum non pluris faciunt ejus contemptum, quam animę unius exitium. Sect. 5.

12. IV. Curioſi quidam homines ſomniarunt totum hominem in morte interire, ſed animas cum corporibus reſurrecturas. Atqui belluinus eſt hic error, de quo alias in loco de Creatione hominis diximus. Hic breviter reſpondemus, partim ex abſurdis, partim ex Scripturæ locis. Nam 1. nihil eſt abſurdius, quam ex Spiritu, qui ad imaginem

ginem Dei formatus eſt, flatum evanidum facere & temporarium. Item templum Spiritus S. redigere in nihilum. Denique eam noſtri partem, in qua maxime divinitas & immortalitatis notæ effulgent, his dotibus ſpoliare: ut jam melior corporis quam animæ futura ſit conditio. Prętereа Scripturæ loca ſunt valde illuſtria. Paſſim hoc corpus tugurio comparat, ex quo morientes migramus. Sic nos à brutis animalibus diſcernit. Petrus morti propinquus dicit ſe tabernaculũ deponere, 2 Pet. 1. ℣. 14. Paulus fidelibus dicit ædificium eſſe in cœlis, ubi terreſtris domus fuerit diſſoluta. adjungit nos peregrinari à Domino, dum manemus in corpore, ſed expetere Dei præſentiam in abſentia corporis. Vbi jam erunt animæ & Domino præſentes, niſi ſint ſuperſtites corporibus? 2 Cor. 5. 1. 4. 6. Idem tradit nos eſſe aggregatos ad Spiritus juſtorum, Hebr. 12. 23. quia Patres etiam mortui eandem pietatem nobiſcum colunt. Latroni dicitur hodie mecum eris in Paradiſo, Luc. 23. 43. Chriſtus omnesque pii morientes Deo commendant animas ſuas, Luc. 23. 46. Stephanus ſuam animam Chriſto tradit in cuſtodiam, Actor. 7. 59. Petrus Chriſtum vocat fidelem animarum Paſtorem & Epiſcopum, 1 Petr. 2. 25. Ergo animæ corporibus exutæ retinent ſuam eſſentiam. Quocirca falſa eſt iſtorum hominum opinio. Sect. 6.

13. Porro de intermedio animarum ſtatu curioſius inquirere neque fas eſt, neque expedit. Quærunt alii quem locum occupent, & an cœleſti gloria jam fruantur, nec ne. At 1. de loco futilis eſt quæſtio. Scimus non eam eſſe animæ dimenſionem quæ eſt corporis. Et cum beata fidelium collectio vocetur ſinus Abrahæ, ſufficit morientium piorum animas excipi à communi fidelium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

patre ad eundem fidei fructum. 2. Scriptura dicit Chriſtum illis præſentem & eas recipere in paradiſum, ut conſolationem percipiant, Matth. 5. 8. Ioh. 12. 32. Reproborum vero animas cruciatus meritos perpeti, Matth. 5. 26. Stultum certe eſt de rebus incognitis altius iuquirere quam Deus ſcire permittit. Hic ergo cognitionem ſiſtamus. Quin etiam jubet ubique Scriptura pendere ab exſpectatione adventus Chriſti, & gloriæ coronam eouſq; differt. His ergo finibus contenti ſumus. Et quandoquidem omnia ſuſpenſa tenentur, donec Chriſtus appareat redemtor, ſatis nobis ſit, animas quidem piorum in beatam quietem à laboribus concedere, ubi plenam fruitionem gloriæ exſpectant, reprobos vero catenis vinctos teneri donec ad ultimum ſupplicium trahantur, Iud. ℣. 6. S. 6.

14. V. Non minus prodigioſus eſt eorum error, qui immortales Spiritus eſſe concedunt, ſed novis & aliis corporibus hominem indutum iri affirmant. I. Manichæorum hoc fuit delirium, qui carnem negabant reſurrecturam, quod immunda eſſet. Quæ ratio non valet. Nam 1. etiam animæ ſunt immundæ, quas tamen à ſpe cæleſtis vitæ non arcent. 2. Quod nunc immundum eſt poteſt divinitus purgari. Itaque reſurrectioni non obſtat. 3. Quod naturaliter carnem dicerent immundam, quia creata eſſet à Diabolo, mera fuit inſania. II. Dicimus ſic carnis tolli reſurrectionem quam Scriptura tam aperte prædicat. Nam 1. quorſum juberet Paulus ut mundemus nos ab omni inquinamento, non tantum ſpiritus ſed & carnis? 2 Cor. 7. 1. Cur denuntiat unumquemque reportaturum in corpore ſuo ſive bonũ ſive malum? 2 Cor. 5. 10. Idem 2 Cor. 4. 10. dicit vitam Chriſti manifeſtandam in carne noſtra mortali.

Rurſus

Rurſus 1 Theſſ. 5. 23. precatur, ut Deus corpora noſtra conſervet integra in diem Chriſti. Alibi corpora noſtra facit templa Dei atque Spiritus S. & membra Chriſti, 1 Cor. 6. 15. Quin ſingulas partes corporis, linguas & manus ſibi Deus ſanctificari præcipit, 1 Tim. 2. 8. Iubet ut Deum glorificemus non in anima ſolum ſed etiam in corpore; & rationem adfert, quia utrumque eſt Dei, 1 Cor. 6. 20. An hæc dicent in pulverem redigi abſque ſpe ulla reſtaurationis? 2. Etiam hoc corpus reſurgere manifeſte indicat Paulus, 1 Cor. 15. ỳ. 53. Hoc corruptibile, hoc mortale induet incorruptionem & immortalitatem. Quaſi digito corpora hæc noſtra monſtrans, qualitatis mutationé promittit, nova fabricari ſatis aperte negat. Item Rom. 14. 11. Chriſtum dicit fore Iudicem mundi; & probat ex Eſa. 49. 18. quia ipſi flectetur omne genu. Vnde ſequitur non nova corpora ad tribunal ſiſti. Etiam Daniel. c. 12. 2. multos dormientium non ex elementis, ſed ex pulvere & ſepulchris evocat. 3. Idem dictat aperta ratio. Si enim mors homini ex lapſu accidentalis eſt, conſequitur inſtaurationem ad idem corpus pertinere, quod mortale eſſe cœpit. Atque hoc ipſum urget Paulus apud Athenienſes, Act. 17. 32. quorum riſus non parum valet ad fidem noſtram confirmandam. 4. Chriſtus vetat metuere eos, qui occidunt corpus, animam occidere non poſſunt: jubet contra metuere Deum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehenna ignis, Matt. 10. 28. At nulla timendi cauſa, ſi hoc corpus non eſt ſupplicio obnoxium. 5. Idem Chriſtus dicit, Ioh. 5. 28. omnes qui ſunt in monumentis reſurrecturos ad vitam vel judicium. At animæ non requieſcunt in ſepulchris. Ergo corpora reſurgent. 6. Si novis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

corporibus donandi, perit capitis & membrorum conformitas. Chriſtus enim non novum corpus, ſed quod prius in terris geſſit, iterum recepit, Iohan. 2.19. Alioquin cui bono fuiſſet novum corpus, quod in ſacrificium non fuiſſet oblatum? 7. Perit etiam noſtra cum Chriſto in reſurrectione ſocietas, quam tantopere urget Paulus, 1 Cor. 15. ℣. 12. Cujus documentum & ultimæ reſurrectionis veluti præludium exhibitum fuit in corporibus ſanctorum exeuntibus è ſepulchris Chriſto moriente, Matth. 27. 52. Quale præludium & potius arrha in Henoch & Elia jam pridem præceſſit. Sect. 7.

15. Quum hæc tam clara ſint, non opus erat aliis argumentis. Alia tamen addamus, quæ hanc opinionem ex mera incredulitate conflatam penitus convellant. 1. Baptiſmus corpori applicatur in ſigillum futuræ reſurrectionis, Col. 2. 12. Symbola S. Cœnæ ore percipimus in communionem & fiduciam ejuſdẽ vitæ. Paulus hortatur ut membra exhibeamus arma juſtitiæ: & poſt ſubjungit, qui Chriſtum ſuſcitavit à mortuis, vivificabit & mortalia veſtra corpora, Rom. 6. 13. & 8. 11. An ergo fruſtra applicabimus pedes, manus, oculos & linguas in obſequium Dei? Sane Paulus hoc negat, quando aſſerit, corpus non ſcortationi ſed Domino & Dominum corpori. Deus autem ſuſcitavit Chriſtum & nos quoque reſuſcitabit. Addit, corpora noſtra eſſe templa Spiritus S. & membra Chriſti. Et videmus reſurrectionem cum caſtitate corporis conjungi: imo pretium redemtionis ad corpora extendi, 1 Cor. 6. 13, 14, 15, 19, 20. 11. Iam quam abſurdum foret, Pauli corpus, in quo ſtigmata Chriſti portans eum glorificavit, orbari coronæ præmio? Galat. 6. 17.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Quorſum illa gloriatio pertineret, exſpectamus redemtorem è cœlis, qui corpus noſtrum abjectum conforme reddet glorioſo ſuo corpori? Phil. 3. ℣. 21. Per multas afflictiones corpora noſtra Deus exercet, Act. 14. 22. & victoriæ laude non ornabit? Quin hæc ſpes nos ſuſtentat in cruce, quod ſperamus nos Chriſti comites fore & anima & corpore. III. Hac ipſa fide Patres ſub Lege ſepeliendi ritu uſi ſunt, non ex ſuperſtitione, ſed quod reconditis corporibus ſcirent paratam eſſe novam vitam. Huc etiam ſpectarunt aromata, & alia immortalitatis Symbola. Eodē fine Spiritus S. in narrandis ſepulturis diligenter inſiſtit, Chriſtus ipſe hoc officium admiſit, Matt. 26. 10. Ideo Abraham tam ſollicitè uxoris ſepulchrum procuravit, Gen. 23. 4, 19. Iacobus etiam oſſa ſua in terram promiſſam referri voluit, Gen. 47. 30. Quo certe opus non fuiſſet, ſi de corpore in nihilum redigendo cogitaſſet. IV. Hoc ipſum docent reſurrectionis & ſuſcitandi voces. Certe non reſurgit quod poſt demum creatur. Nec ſtaret illud Chriſti, Quidquid dedit mihi Pater non peribit, ſed ſuſcitabo illud in noviſſimo die. Eodem tendit dormiendi verbum, quod non niſi in corpora competit. Vnde & Cœmeteriis nomen eſt impoſitum. Sect. 8.

16. Huc etiam pertinet quæſtio de modo reſurrectionis, de qua tamen ſobrie agendum eſt. Neque enim ſine cauſa Paulus hoc Myſterium vocat, 1 Cor. 15. 51. I. Tenendum eſt, nos in eadem carne quam geſtamus reſurrecturos, quoad ſubſtantiam, ſed aliam fore qualitatem, ſicuti eadem Chriſti caro ſurrexit quoad ſubſtantiam, ſed aliis dotibus refulgens. Quam cōditionis præſtantiam Paulus egregie declarat ſimilitudine carnis

humanæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

humanæ & belluinæ: item ſtellarum 1 Cor. 15. 39. Breviter non peribit corpus, ſed induet, depoſita corruptione, incorruptionem. II. Quum Deus omnia Elementa præſto habeat ad ſuum nutum, nihil impediet, quo minus terra & aqua & ignis reddant, quæ ab illis conſumta videntur, teſte Eſaia, 26. 21. III. Notandum eſt diſcrimen inter pridem mortuos & quos dies ille ſuperſtites inveniet. Nam ut Paulus aſſerit, mortui primum reſurgent, ſed viventes ſubito immutabuntur, 1 Cor. 15. 51. 1 Theſſal. 4. 15. Quæ immutatio ipſis erit vice mortis, ut verum maneat illud Apoſtoli, Hebr. 9. 27. Statutum eſſe omnibus mortalibus ſemel mori. Omnes enim exuent mortale corpus & morte renovabuntur, etſi non fiat corporis & animæ ſeparatio. S. 8.

17. Alia hic & difficilior quæſtio exoritur, quo jure reſurrectio communis ſit impiis, quę ſingulare eſt Chriſti beneficium, Ioh. 11. 25. An ergo Chriſtus promiſcue omnes vivificat, ſicut omnes in Adamo moriuntur? atqui minus conſentaneum eſt, ut impii in ſua cæcitate conſequantur, quod pii ſola fide accipiunt. Reſp. I. Diſtinguendo reſurrectionem, quoniam alia eſt Iudicii, alia vitæ ſalutaris reſurrectio. Ad illam impii, ad hanc pii reſurgent, Matth. 25. 32. II. Diſtinguimus etiam benedictiones divinas. Omnes enim propriæ ſunt Chriſti & membrorum ejus. Ex his tamen nonnullæ ad impios quoque exundant, ita ut benedictiones piorum interdum obſcurent. Exemplo ſit, quod Deus ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, Matth. 5. 45. & quoad præſentis vitæ uſum impiis liberaliter & aſſidue quævis ſuppeditat: hoc tamen diſcrimine, ut piorum legitima ſit poſſeſſio, impiis in majorem cedant damnationem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

utque magis reddantur inexcuſabiles. III. Quia poſſet excipi, non apte cum terrenis beneficiis reſurrectionem conferri, addimus, ex quo impii à Deo ſunt alienati, interitum revera fuiſſe prome-ritos, admirabili tamen Dei conſilio medium repertum fuiſſe ſtatum, ut extra vitam in morte viverent. Levis enim foret pœna, ſi morte abſumerentur, niſi pœnas contumaciæ ſuæ daturi etiam inviti traherentur ad tribunal Chriſti. Plane ergo accidentalis eſt impiis reſurrectio. Proinde utrumque verum, & futuram reſurrectionem non juſtorum tantum ſed etiam impiorum, Actor. 24. ṽ. 15. & tamen reſurrectionem una cum cœleſti gloria ad ſolos fideles pertinere. Quia Chriſtus proprie non venit niſi in mundi ſalutem. Vnde etiam in Symbolo ſola fit mentio vitæ æternæ. Sect. 9.

18. Conſequens eſt ut agamus de fine reſurrectionis. Abſorpta enim per victoriam morte, 1 Cor. 15. 54. ſequetur vita & felicitas æterna. Hujus tum excellentia tum modus in conſiderationem merito venit. Ad illam deſcribendam ne quidem omnium hominum linguæ ſufficiant. Itaque coléda nobis eſt in hac parte ſobrietas, ne per audaciam in ſublime transvolantes fulgor cœleſtis gloriæ nos obruat: & fugiendæ quæſtiones omnes partim frivolæ, ex quibus nulla poteſt elici utilitas, partim noxiæ, quod qui ſibi in illis indulgent pernitioſis ſpeculationibus ſeſe implicant: idque tanto magis faciendum, quod immodica, plus quam fas eſt, ſciendi cupido nos titillat. Satis ſit nobis, regnum Dei claritate, gaudio, felicitate, gloria fore refertum. Hæc ipſa tamen involuta & à ſenſu noſtro manere remotiſſima, donec venerit ille dies, quo Deum videbimus ſicut eſt:

1. Ioh.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

1 Ioh.3.2. Hac de cauſa Prophetæ, cum beatitudinem illam cœleſtem nullis verbis exprimere poſſent, ſub rebus corporeis illam fere delinearunt. Et tamen, ut aliquo ſuavitatis illius guſtu in nobis deſiderii fervorem accenderent, in hoc præcipue cogitando immorantur, Deum in ſe omnium bonorum plenitudinem continere, nihilque ultra ad felicitatem eſſe expetendum. Gen. 15. ℣.2. Pſal. 16.6. & 17.15. 2 Pet. 1.4. 2 Theſſ. 1. ℣.10. In hoc ergo felicitatis omne genus conſtat, quod Deus gloriam ſuam, virtutem & juſtitiam cum electis participabit, adeoque ſe ipſum fruendum dabit. Sect. 10.

19. De modo gloriæ extra omnem controverſiam eſſe debet quod, Scripturæ docent, non fore æqualem gloriæ modum in cœlis, ſicut in terris Deus dona ſua non æqualiter ſanctis diſtribuit. Sane peculiarem ſibi coronam Paulus pro ratione laborum & Chriſtus Apoſtolis pro dignitate muneris aſſignat, 1 Theſſ. 2.19. Matt. 19.28. Ita & Daniel c. 12.3. de Doctoribus loquitur. Etiam paſſim Scriptura non ſolum vitam æternam fidelibus, ſed ſpecialem cuique mercedem promittit, 2 Tim. 1.18. Mat. 19.29. Denique ſicut gloriam corporis ſui in membris multiplici donorum varietate inchoat Chriſtus in terris, ita etiam perficiet in cœlis. S. 10.

20. Spinoſas quæſtiones quas homines vani movere ſolent prorſus rejicimus. Sciſcitantur, quot gradibus Prophetæ ab Apoſtolis & hi rurſus à Martyribus, nec non à conjugatis virgines differant. Item quandoquidem filii Dei nulla re tunc indigebunt ſed ſimiles erunt Angelis Dei, quorſum pertineat orbis reparatio? Quaſi vero vel aſpectus & ſola notitia tantę amænitatis, etiam ſine

uſu,

uſu, non exſuperet omnem felicitatem omnium adminiculorum, quibus nunc juvamur. Nunc enim vel morbi uſum beneficiorum Dei impediunt aut prohibent, vel ſua cuique intemperies curſum abrumpit. unde ſequitur liquidam & ab omni vitio puram fruitionem abſq; uſu vitæ corruptibilis abunde ad felicitatis cumulum ſufficere. Alii quærunt an non ſcoriæ & aliæ in metallis corruptelæ reſtitutioni repugnent. Quod ut aliquatenus concedamus, tamen cum Paulo vitiorum reparationem exſpectamus, ad quam creaturæ gemunt & parturiunt, Rom. 8.32. Alii etiam longius progrediuntur, & quia tunc ſobolis benedictio finem ſumtura ſit, rogant, quæ melior conditio genus humanum maneat. Atqui diſcernere oportebat incrementa ſtatus vitæ præſentis, à meta perfectionis, cujus longe alia eſt ratio. Concludimus non eſſe certius omnium quæſtionum ſimplicioribus compendium, quam contentos eſſe ſpeculo & ænigmate dum peregrinamur, donec cernamus facie ad faciem. Ita facile placitorum & contentionum labyrinthos effugiemus. Sane pauci curant qua ſit eundem in cœlos, omnes autem quid illic agatur ante tempus appetunt, & ad certamina pigri ac lenti triumphos imaginarios ſibi jam depingunt. S. 11.

21. Vitæ æternæ oppoſita eſt æterna reproborũ damnatio cujus gravitatẽ nulla deſcriptio æquare poteſt. Per res tamen corporeas ejus tormenta & cruciatus figurantur, per tenebras, fletum, ſtridorem dentium, ignem inextinguibilẽ, vermem qui ſine fine cor arrodit, Mat. 8.12, & 22.13 & 3.12. Marc. 9.43. Eſai. 66.24. & 30.33. His loquendi formulis non eſt dubium, quin Spiritus S. voluerit ſenſus omnes horrore conturbare, & impiorum

miſe-

miſeram ſortem depingere, quod videlicet nihil ſi calamitoſius, quam ab omni ſocietate Dei in perpetuum alienari, imo majeſtatem Dei ſibi ſentire adverſam, ut effugere nequeant, quin ab ipſa urgeantur: indignatione Dei velut ignis violentiſſimi attactu abſorberi: omnes creaturas velut diro furore in perniciem ſuam ſentire armatas: nullam invenire requiem infelicis conſcientiæ præ ſenſu iræ Dei infeſti, in æternum vexari, diſcerpi, diſſipari, mortiferis aculeis lancinari, onere denique manus Dei conteri, & in his malis ſine ulla ſpe remedii æternum mori & perire. Quod Apoſtolus luculenter expreſſit, quum dicit infideles daturos pœnas interitus æternas à facie Domini & à gloria virtutis ejus, 2 Theſſ. 1. 9. Quo pertinent etiam figuræ corporeæ, quibus utuntur Prophetæ, præludia futuri judicii in Sole & Luna totoque mundi opificio exaggerantes. Denique Pſalmus nonageſimus memorabilem continet ſententiam, Deum ſolo aſpectu cunctos mortales diſſipare & in nihilum redigere, cultores tamen ſuos cruce urgere & ad properandum incitare, donec ipſe ſit omnia in omnibus. S. 12.

THESES THEOLOGICÆ.

DISPVTATIO I,
De Eccleſia, ejuſque Notis.

Ex lib. 4. cap. 1, 2,

THESIS I.

PROXIMO libro expoſitum fuit, quomodo per fidem participes ſumus tum Chriſti, tum ſalutis per ipſum partæ. Porro nobis dic endum eſt de externis mediis ſive admi-

adminiculis, quibus fides in nobis gignitur, creſcit, & ſuos facit progreſſus uſque ad finem. Ea namque eſt ruditas & ſegnities noſtra, quin imo ingenii vanitas, ut his ſubſidiis plane indigeamus. Hunc vero theſaurum Deus apud Eccleſiam depoſuit. Et ob eandem cauſam Paſtores dedit & doctores, etiam ſacramenta inſtituit, ut procul disjunctos ad ſe adduceret. Quare poſtulat docendi ratio, ut de Eccleſia, ejus notis, regimine, poteſtate & diſciplina, item de ſacramentis tractemus: poſtremum etiam nonnihil de politico ordine agemus. Vbi vero opus erit, veritatem à Papatus corruptelis vindicabimus. Sect. 1.

2. Principium faciemus ab Eccleſia, in cujus ſinum aggregari nos oportet, cujus miniſterio alimur & cura materna regimur, donec perveniamus ad fidei metam. Sicut enim Pater nobis Deus eſſe voluit, ita Eccleſiam matrem dedit, neque id ſub Lege modo, ſed etiam ſub nova & cœleſti Hieroſolyma, Galat. 4. 26. Quæ vero Deus conjunxit, ſeparari fas non eſt. S. 1.

3. In ſymbolo profitemur nos credere Eccleſiam, non in Eccleſiam. Nam etſi hæc particula IN à nonnullis interponitur, ita ut etiam Concilium Nicenum illam retineat, ſimul tamen ex ſcriptis veterum, puta Auguſtini & Cypriani, videre licet fuiſſe olim citra controverſiam receptum, ut dicerent ſe Eccleſiam credere, non in Eccleſiam. Et ſententiam ſuam hac ratione confirmant, quod in Deum credere, eſt animum in ipſum tanquam veracem reclinare, & fiducia in ipſo acquieſcere. Atqui hoc in Eccleſiam non cadit, ſicut nec in remiſſionem peccatorum aut carnis reſurrectionem. Servemus ergo loquendi formulam, quæ rem proprie exprimit. S. 2.

4. Porro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

4. Porro *Credendi* verbum non tam ad viſibilem quam vel maxime ad inviſibilem Eccleſiam nos revocat. Bifariam enim de Eccleſia S. literæ loquuntur. Interdum eam intelligunt, quæ revera eſt coram Deo, in qua nulli ſunt niſi vera Chriſti membra, & ſub ſe ſanctos atque electos omnes comprehendit, qui fuerunt, ſunt, & erunt. Sæpe autem Eccleſiæ nomine univerſa hominum multitudo diffuſa per orbem deſignatur, quæ Deum & Chriſtum ſe colere profitetur in verbi & ſacramentorum miniſterio. In hac multi ſæpe permixti ſunt hypocritę qui nihil Chriſti habent prętertitulum & ſpeciem. Hinc fit, ut non raro inter filios Dei & profanos diſcrimen nullum appareat. Tum vero diabolus & hoſtes Dei omnem lapidem movent, ut Chriſti gratiam diruant. Sæpiſſime triſtis undique occurrit confuſio & vaſtitas, ut nihil Eccleſiæ reſiduum eſſe videatur. Ideo dicimus nos credere Eccleſiam, I. quia Deus eam mirabiliter ſemper conſervat, etiam in latebris, ſicut tempore Eliæ, 1 Reg. 19. 18. Neque enim extingui aut ſterilis reddi poteſt ſanguis Chriſti, quin fructum aliquem producat. II. quia nobis arcana Dei electio, quæ fundamentum eſt Eccleſiæ & interior vocatio ſpectanda eſt: quo fit, ut ſolus ille norit qui ſui ſunt, quos ſub ſignaculo ſuo incluſos tenet, Eph. 1. 13. Soli proinde Deo Eccleſiæ ſuę cognitionem permittimus. III. quia talem Eccleſiæ unitatem cogitamus, in quam nos eſſe inſitos & ſub capite Chriſto reliquis membris coadunatos vere ſumus perſuaſi. Sect. 2, 7.

5. Hinc etiam Catholica & univerſalis dicitur, quia Chriſtus in partes diſcerpi non poteſt, à quo ſicut electi omnes tanquã ab uno capite pendent,

ita

ita in unum veluti corpus coaleſcunt, tanquam membra ejuſdem corporis, quæ una fide, ſpe, charitate, & eodem Spiritu ſimul vivunt: nec in eandem modo vitæ hæreditatem, ſed in unius Dei ac Chriſti participationem vocati ſunt. Sect. 2, 7.

6. In Symbolo additur, *Sanctorum communicatio.* Quæ particula non eſt negligenda, quod exprimat Eccleſiæ qualitatem. Hac enim lege in ſocietatem Chriſti aggregantur ſancti, ut inter ſe mutuo accepta beneficia communicent: non ſane ut tollatur donorum Spiritus S. diverſitas, aut ordo politicus in diſtinctione dominiorum & poſſeſſionum tollatur, ſed ut demonſtretur communitas in unitate cordis & animæ omnium credentium, Act. 4. 32. Eph. 4. 4. Neque enim poſſunt non habere omnia communia, qui Deum habent communem Patrem, & Chriſtum commune caput. S. 3.

7. Hujus articuli de Eccleſia & Sanctorum communione non exiguus eſt fructus. 1. Quod nos ſcimus ejus Eccleſiæ eſſe membra, quæ corruere non poteſt. Nam 1. ſtat cum Dei electione ac providentia invariabilis. 2. conjuncta eſt cum firmitudine Chriſti, qui membra ſua non patietur à ſe divelli. 3. Hinc ſecuri ſumus, dum in Eccleſiæ ſinu continemur, veritatem ſemper nobis conſtaturam. 4. Sentimus ad nos pertinere promiſſiones factas Eccleſiæ, quod nunquam commovebitur, quod ſalus erit in Sion, Pſal. 46. 6. Ioël. 2. 32. Abd. ℣. 17. Breviter Eccleſiæ participatio nos in Dei ſocietate continet. II. In ipſo nomine Communionis maxima eſt conſolatio. Si enim ad nos communiter pertinet, quidquid ſuis ac noſtris membris largitur Dominus, certe omnibus eorum bonis ſpes noſtra confirmatur. S. 3.

8. Cæ-

8. Cæterum ad amplexandam Eccleſiæ unitatem nihil opus eſt Eccleſiam oculis cernere, aut manibus palpare, quia totum hoc in fide noſtra ſitum eſt: quæ ideo non eſt deterior, quod inviſibilem apprehendat, quoniam non eſt noſtrum, ſed ſolius Dei ab electis reprobos diſcernere. Hoc ſolum ſtatuamus certo in animis noſtris, omnes qui Dei clementia per Spiritus S. efficaciam in Chriſti participationem venerunt, in Dei peculium & propriam poſſeſſionem eſſe ſegregatos, ac quum ſimus in eorum numero, tantæ gratiæ nos eſſe conſortes. Sect. 3.

9. Quamvis autem hæc ita ſe habeant, tamen articulus Symboli ad externam quoque Eccleſiam aliquatenus pertinet, ut ſe quisque noſtrum in fraterno conſenſu cum omnibus Dei filiis contineat, ut Eccleſiæ deferat quam meretur authoritatem, ut denique ſe gerat ſicut ovis ex grege. Huc facit, præter illam Eccleſiæ communionem, cujus ante meminimus, I. matris elogium, quo viſibilis Eccleſia inſignitur, quia non alius eſt in vitam ingreſſus, niſi ipſa nos concipiat in utero, pariat, ſuis uberibus alat, ſub gubernatione ſua nos ad finem vitæ tueatur, & propter infirmitatem noſtram velut diſcipulos in ſchola ſua toto vitæ curſu contineat. II. Quod extra ejus gremium nulla eſt ſperanda peccatorum remiſſio, nec ulla ſalus, Eſa. 37.32. Ioël 2.32. Ezec. 13.9. Pſ. 106.4. Quibus locis paternus Dei favor & vita ſpiritualis ad gregem Dei reſtringitur, ut ſemper exitialis ſit ab Eccleſia diſceſſio. III. Quod Chriſtus, ut omnia impleret, verbi Miniſterium apud Eccleſiam depoſuit, & dedit alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Paſtores & Doctores ad inſtaurationem Sanctorum & ædificationem

tionem corporis, donec in unitate fidei perveniamus in virum perfectum, &c. Eph. 4. 11. Videmus inſtitui paſtores, & omnes his regendos tradi, idque hoc fine, ut in virilem ætatem adoleſcamus. Ita rurſus commendatur nobis cura & educatio Eccleſiæ. Atque eandem notam jam pridem innuerat Eſaias cap. 59. 21. *Spiritus meus & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ex ore tuo & ſeminis tui*, &c. Nec alio ſenſu Paulus fidem dicit eſſe ex auditu, Rom. 10. 17. quia fidem non inſpirat Deus, niſi Euangelii prædicatione & organo. IV. Hoc conſilio voluit olim ſacros haberi conventus ad ſanctuarium, ubi doctrinâ Sacerdotum fidei conſenſus aleretur. Ideo templum magnificis titulis ornat, quod ſit requies, ſanctuarium, domicilium Dei, ubi ſedeat inter Cherubim, ut ſe hujus ordinis authorem demonſtret, in eoq; ſe præſentem eſſe teſtetur, ne mortalis hominis conſpectus quidquam deroget reverentiæ ac dignitati, quam cœleſtis doctrina ex authoritate & præſentia Dei meretur. V. Horſum etiam pertinet quod vetitis mediis ſuperſtitioſis ſubſtituit & promittit Prophetas, per quos ſingulis ætatibus populum ſuum voluit edoceri, Levit. 19. 31. Nec contentus dediſſe Legem, ſacerdotes addidit interpretes, ex quorum labiis populus verum illius ſenſum inquireret. Sic & nos hodie, non per Angelos ſed per homines inſtituit, & magiſtros dedit, quorum opera in verbi lectione adjuvemur. Cujus rei duplex eſt utilitas, 1. ut obedientiam noſtram probet, dum Miniſtros non ſecus ac Deum loquentes audimus. 2. Vt infirmitati noſtræ conſulat, per interpretes humano more nobiſcū agens, potius quam tonando à ſe abigens. Cujus utilitatis omnes pii ſibi conſcii ſunt. VI. Singularis hæc eſt

præro-

prærogativa, quod dignatur ora & linguas hominum ſibi conſecrare, ut in illis vox Dei ſonet. Et huic ordinario medio Deus nos alligavit, licet alioquin externis mediis non ſit adſtrictus. Itaque ingrati ſunt, qui hominum contemtu putant exinaniri doctrinæ authoritatẽ. Noſtrum potius eſt obedienter amplecti ſalutis doctrinam, quæ mandato & ore Dei proponitur. Sect. 3, 4, 5.

10. Multos hic impellit vel ſuperbia, vel faſtidium, vel æmulatio, ut ſibi perſuadeant ſe privatim legendo & meditando poſſe ſatis proficere. Hinc contemnunt publicos cœtus & prædicationem ſupervacuam reddunt. At vero I. ita ſacrum unitatis vinculum, quantum in ſe eſt, ſolvunt vel abrumpunt. II. Impii hujus divortii pænam juſtam non effugiunt, quin ſe teterrimis erroribus & deliriis faſcinent. III. Cum nemo facile dixerit, Deo claudendas eſſe aures, videmus tamen, quantum certamen Prophetæ & pii doctores ſuſtinuerint contra impios, non alia de cauſa, quam quod jugum hoc ſubire noluerunt, ut miniſterio hominum docerentur. IV. Hoc perinde eſt ac faciem Dei, quæ nobis in doctrina affulget, delere. Quorſum enim facies Dei in ſanctuario toties commendatur, niſi quia Legis doctrina & Propheticæ exhortationes erant illis viva Dei imago? Pſal. 105, 4. 2 Cor. 4. 6. Atque huc pertinet, quod dum Moſes loquitur de habitaculo, ſimul teſtatur Deum memoriam nominis ſui ibi poſuiſſe, Exod. 20. 24. nempe quod ſine pietate nullus eſſet illius uſus, & quod in hoc ſpeculo doctrinæ ſpiritualem vellet Deus eſſe cognitionem. Vnde & templum non facies Dei tantum, ſed ſcabellum pedum vocari ſolet, ad tollendam omnem ſuperſtitionem, Pſal. 99. 5. & 132. 7. Nam quæ templa

gentes Deo ædificarunt ex craſſa opinione, mera fuit cultus ejus profanatio, cujus poſt etiam rei citantur Iudæi, Act.7.48. Sane ſolius Dei eſt templa ſibi ſermone ſuo in legitimum uſum ſanctificare. Qui vero temere injuſſu ejus quidpiam tentare audent, figmentis ſuis malum ſine modo propagant. Quod vero Xerxes Græciæ templa exuſſit vel diruit, quod abſurdum putaret Deos parietibus & tegulis includi, inconſiderate factum eſſe dicimus. Etſi enim Deus ſua immenſitate omnia replet, quia tamen nobis propinquus eſſe vult, his adminiculis quodammodo ad nos deſcendit, quo nos ſurſum ad ſe evehat, ut tamen neque locũ mutet, nec terrenis mediis affixus ſit. V. Quam vero hæc adminicula nobis neceſſaria ſint & utilia, vel ſolum Davidis exemplum docere poteſt, cujus gemitus & lamentationes paſſim leguntur, quod tyrannorum ſævitia prohiberetur tabernaculi ingreſſu, Pſal.84.1. VI. Audivimus etiam ſupra ex Eph.4.non aliter ædificari Eccleſiam, quam externa prædicatione, nec alio vinculo ſanctos inter ſe retineri, niſi dum uno conſenſu diſcendo & proficiendo ordinem Eccleſiæ à Deo præſcriptum ſervant. Quocirca nemo gravetur uti hoc pietatis exercitio. VII. Denique artes hæ ſunt apoſtatarum, qui ſcindendis Eccleſiis inhiant, ut hac ratione Chriſtianos à caulis Eccleſiæ diſtractos, in fauces luporum projiciant. Eo magis ergo nobis ſunt fugiendæ. Sect. 5.

II. Porro de efficacia miniſterii nonnulli certant, aliis ejus dignitatem hyperbolice amplificantibus, aliis contendentibus perperam ad homines transferri, quod proprium eſt Spiritus. ſed facile res poteſt tranſigi. Alias enim Deus Spiritum ſuum cum prędicatione conjungit, & fructum inde pro-

mittit

mittit illuminationis, converſionis, regeneratio-
nis, &c. ut Mal.4.6. Ioh.15.16. 1. Petr. 1. 2.
1 Cor.4.15. & 9.2. 2 Cor.2.4. Gal.3.2. Hinc
Paulus non modo ſe cooperarium Deo facit, ſed
partes ſibi aſſignat conferendæ ſalutis, 1 Cor. 3.9.
non tamen ut vel tantillum ſibi, ſeorſim à Deo
tribueret, 1 Theſſ.3.5. Gal.2.8. Alias Deus, ſe a
externis mediis ſeparans, initium & totum cur-
ſum fidei ſibi vendicat, miniſtris ſeparatim nihil
reſiduum facit, 1 Cor.3.7. & 15. 10. Ergo ſacri-
legium erit, ſi mentis illuminationem & renova-
tionem cordis ſibi homo arroget. Hunc tamen
docendi modum nec fruſtra placuiſſe Deo, nec
fruſtra jugum hoc modeſtiæ fidelibus impoſitum
fuiſſe, facile ex fructu intelliget, quisquis ſe doci-
lem miniſtris obtulerit. S. 6.

21. Hactenus quid de inviſibili & viſibili Ec-
cleſia judicandum ſit expendimus. Illam ut ſolius
Dei oculis conſpicuam nos credere neceſſe eſt.
Nam eſt hæc ſingularis Dei prærogativa, noſſe qui
ſui ſunt, 2 Tim.2.19. quod ipſe eventus quotidie
comprobat, quando qui perditiſſimi videbantur,
Dei bonitate in viam reducuntur, & qui præ aliis
ſtare videbantur, corruunt. Ita nimirum arcana
Dei judicia longe ſenſum noſtrum ſuperant, ne
temeritate in ea nos præripiamus. Rurſus ita eos
novit Deus, qui nec ſe nec eum norunt, ut plu-
rimæ ſint oves, quoad arcanam prædeſtinatio-
nem, quæ nondum in Eccleſiam viſibilem ſunt
ingreſſæ. Et ex iis qui palam Deum profitentur,
ſolius Dei oculi vident, qui & ſine fictione ſancti
ſunt & in finem uſque perſeveraturi. Eccleſiæ vi-
ſibilis alia eſt ratio. Nam quia ejus communio-
nem obſervare & colere jubemur, intereſt noſtra
ut eam agnoſcamus. Ideo Dominus certis notis
cam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eam nobis deſignavit, verbi nempe prædicatione & ſacramentorum adminiſtratione, ex quibus judicari poteſt, quinam ad Eccleſiam pertineant; hac tamẽ cum diſtinctione: ut ſi de ſingulis membris quæſtio ſit, quinam ex illis habendi ſint pro Dei filiis & Eccleſiæ membris, omnes eos tales agnoſcamus, qui fidei confeſſione & vitæ exemplo, & ſacramentorum participatione nobiſcum Deum ac Chriſtum profitentur. Nec tamen hic fidei certitudo neceſſaria eſt, ſed ejus loco ſufficit judicium charitatis. Vbi vero quæritur de toto Eccleſiæ corpore, cujus notitia ſaluti noſtræ magis eſt neceſſaria, certioribus notis opus eſt, quibus Eccleſiæ facies conſpicua fiat. Vbicumque ergo Dei verbum ſincere prædicatur & auditur, ubi ſacramenta ex Chriſti inſtitutione adminiſtrantur, illic aliquam eſſe Dei Eccleſiam non eſt ambigendum, *Mat. 18.20. S. 7,8,9.*

13. Ordo tamen hîc aliquis & gradus obſervandus eſt. Primo occurrit Eccleſia univerſalis, ex quibuscunque gentibus collecta multitudo, variiſque locorum intervallis diſperſa, ejuſdem tamen religionis vinculo & conſenſu colligata. Sub hac deinde comprehenduntur Eccleſiæ particulares per oppida & vicos diſpoſitæ, ſic ut unaquæque nomen & authoritatem Eccleſiæ jure obtineat. Ad has ſinguli pertinent homines, qui pietatis profeſſione in illis cenſentur, etiamſi revera ſint extranei, tantiſper certe, donec publico judicio excluſi ſint. Cæterum non eadem eſt ratio in privatis hominibus, & in ipſis Eccleſiis æſtimandis. Vſu enim venire poteſt, ut quos non approbamus eſſe Eccleſiæ membra, ſuum tamen in Eccleſia locum relinquamus, & pro fratribus habeamus propter Eccleſiæ conſenſum, donec legitime locus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

illis adimatur. Sed de toto corpore aliter ſentiendum eſt, in quo ſi verbi miniſterium & ſacramentorum adminiſtratio vigeat, non eſt dubium, quin pro Eccleſia haberi & cenſeri mereatur, idque propter hanc cauſam, quia illa duo ſine fructu in Eccleſia non ſunt. Ita & Eccleſiæ univerſali ſuam ſervamus unitatem, nec cœtus particulares ſua authoritate fraudamus. S. 9.

14. Quod diximus verbi prædicationem & ſacramentorum obſervationẽ nuſquam eſſe poſſe, quin fructificent, non ſic intelligi debet, quaſi mox fructus illic exoriatur, ubicunque verbum prædicatur, ſed nullibi recipi & ſtatam habere ſedem, niſi ut ſuam efficaciam proferat. Itaque pro eo tempore neque fallax neque ambigua apparet Eccleſiæ facies, quum reverenter auditur Euangelium & ſacramenta non negliguntur. Et hujus Eccleſiæ vel authoritatem ſpernere, vel monita reſpuere, vel conſiliis refragari, vel caſtigationes ludere nemini impune licet, multò minus ab ea deficere ac unitatem ejus abrumpere. Ratio. I. quia tanti Eccleſiæ ſuæ communionem facit Dominus, ut pro deſertore religionis habeat, qui ſe à ſocietate Eccleſiæ contumaciter alienarit. II. Quia non poteſt authoritas Eccleſiæ violari, quin ſuam ipſius imminutam Deus cenſeat. III. Quia Eccleſiam voluit eſſe fidam veritatis ſuæ cuſtodem & nutricem noſtram, quæ nos ſpiritualibus alimentis paſcat, 1 Timoth. 3. verſ. 15. IV. quia Eccleſiam dicit eſſe ſponſam, & corpus, & plenitudinem Chriſti, Eph. 5. ℣. 27. & 1. 23. Ergo qui diſcedit ab Eccleſia graviſſime peccat, Deum & Chriſtum abnegat, ſacrilega adhæc perfidia violat conjugium, quod Chriſtus cum Eccleſia contraxit. V. quia deſertores illi, dum ruinam veritatis

veritatis moliuntur, digni ſunt quos Deus in ira ſua conterat. S. 10.

15. Harum notarum cognitio & ex arbitrio Dei æſtimatio cumprimis eſt neceſſaria. I. quia Satan omnibus ſeculis nihil magis molitur, quam iſtas notas abolere & delere, ut germanam Eccleſiæ diſtinctionem tollat, aut certe injecto earum contemtu per manifeſtam defectionem nos ab Eccleſia abripiat. II. Cum periculoſa ſit hæc tentatio, neceſſe eſt, in conſpectu ſemper eſſe hæc ſigna, quibus ſufficienter Eccleſia deſcribitur, ne aut temere & ſuperbe ſpernamus veram, aut decepti ſub Eccleſiæ titulo honorem indebitum tribuamus falſæ. S. 11.

16. Quamdiu ergo purum verbi miniſterium & purus in celebrandis Sacramentis ritus in Eccleſiæ ſocietate conſtabit, noſtrum eſt huic Eccleſiæ adhærere, etiam tum quando multis alioquin vitiis forte ſcatebit, idque tam doctrinæ, quam morum reſpectu. S. 12.

17. Poterit enim fieri ut vel in doctrinæ vel Sacramentorum adminiſtratione vitii quidpiam obrepat, quod tamen nos ab Eccleſiæ communione alienare non debeat. Nam, I. non ſunt unius formæ omnia veræ doctrinæ capita. Quædam ita neceſſaria cognitu ſunt, ut fixa omnibus eſſe oporteat; ut ſunt, Vnum eſſe Deum, Chriſtum eſſe Deum & Dei Filium: In Dei miſericordia ſalutem conſiſtere: & ſimilia. Quædam controverſa eſſe poſſunt, ut fidei unitatem non dirimant, modo abſit contentionis libido & aſſerendi pervicacia, ut, ſi quis animas, ubi ex corpore demigrarint, dicat ſtatim convolare in cœlum: alius nihil auſit de loco definire, Domino tamen vivere certo ſtatuat. II. Paulus ad Phil. 3. 15. jubet ut idem ſentiamus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

addit autem, ſi quid aliter ſapitis, Dominus hoc quoque vobis revelabit. Patet diſſenſionem eſſe poſſe in Eccleſia de rebus non neceſſariis, quæ tamen diſſidii materia eſſe non debeat. III. Nemo eſt qui non aliqua ignorantiæ nubecula obvolutus ſit. Aut nullam ergo relinquamus Eccleſiam oportet, aut hallucinationem condonemus in iis rebus, quæ citra ſalutis jacturam ignorari poſſunt. IV. Nec tamen idcirco patrocinari velimus ullis erroribus vel minutiſſimis; illud ſolum dicimus non temere ob quaſlibet diſſentiunculas deſerendam nobis eſſe Eccleſiam, modo ſalva maneat doctrina, qua conſtat pietatis incolumitas & rectus ſacramentorum uſus. V. Interim quisque faciet ex officio, ſi decenter & ordine pro menſura gratiæ, quam accepit, nitatur emendare quod diſplicet, 1 Cor. 14,30. S. 12.

18. In vitæ imperfectione toleranda indulgentiores eſſe debemus, partim quia facilis hic eſt lapſus, partim quia non vulgariter Satan nobis inſidiatur. Etenim fuerunt ſemper, qui falſa abſolutæ ſanctitatis perſuaſione, omnium hominum conſortium aſpernati ſunt, in quibus humanum aliquid ſupereſſe videbant: quales olim fuerunt Cathari & Donatiſtæ & ex Anabaptiſtis hodie nonnulli ſunt. Alii rurſus ex inconſiderato juſtitiæ zelo, nullam illic Eccleſiam eſſe judicant, ubi doctrinę non reſpondet vitæ fructus. Quorum juſtiſſima quidem eſt offenſio, nimia tamen peccant moroſitate, quod offenſioni ſuæ modum ſtatuere neſciunt. Nam. I. immoderatam exercent ſeveritatem, ubi Deus clementiam exigit. II. Dum à factione malorum declinare ſe putant, à legitima Eccleſia diſceſſionem faciunt. S. 13.

19. I. Allegant Eccleſiam Chriſti ſanctam eſſe

Reſp

Reſp. Audiant viciſſim Chriſtum Eccleſiam nobis depingentem ſub parabola retis, in quo mali & boni piſces colliguntur: Et agri, in quo bonum ſemen zizaniis inficitur: Et areæ, in qua triticũ ſub palea deliteſcit, Matt. 13.47.24. Mat. 3.12. Et hanc fore Eccleſiæ conditionem, ut bonis mali ſint permixti, ad diem uſque judicii, pronuntiat Dominus, quando boni piſces in littore ſeligentur & tempore meſſis bonum triticum expurgatum in horreum tandem recondetur. Proinde fruſtra Eccleſiam nullo nævo inſperſam quærunt. S. 13.

20. II. Clamant rem eſſe intolerabilem, quod vitiorum peſtis ita paſſim graſſetur. R. Et hic quoque Apoſtolum audiant. Inter Corinthios, totum prope corpus labes occuparat; nõ una erat peccati ſpecies ſed plurimę: non levia errata, ſed horrenda flagitia: non ſola erat morum corruptio, ſed etiam doctrinæ, 1 Cor. 1.11. & 3.3. & 5.1. & 6.7. & 9.1. & 15.12. Attamen non quærit Paulus ab illis diviſionem, nec eos plane à Chriſti regno abdicat, ſed Eccleſiam Dei agnoſcit, quod illic miniſterium verbi & ſacramentorũ adhuc vigeret, 1 Cor. 1.2. Sic apud Galatas idem Apoſtolus Eccleſias reperit, quos tantum non velut Euangelii deſertores increpat, Gal. 1.6. Quis jam audeat Eccleſiæ titulum denegare iis, quibus decima pars iſtorum criminum impingi nequeat? S. 14.

21. III. Objiciunt graviter Corinthios objurgari, quod flagitioſum hominem in Eccleſia ferant. Item, nefas eſſe cum homine probroſæ vitæ vel panem vulgarem comedere, 1 Cor. 5.2. 11. quanto minus panẽ Domini? R. 1. Eccleſias bene moratas ſceleratos in ſinu ſuo non ferre, multo minus ad Cœnam indignos admittere. Sed poteſt accidere, ut nõ ſedulo ſemper advigilent Paſtores,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

interdum etiam plus juſto ſint indulgentiores, ut etiam impediantur, quo minus quam vellent ſeveritatem exercere poſſint. Atque hoc vitium eſſe non negamus, & recte ab Apoſtolo reprehendi aſſerimus. Sed addimus. 11. Etſi in officio ſuo ceſſet Eccleſia, non ideo protinus cuique privato ſeparationem licebit facere. Eſt quidem hominis pii ab omni privata improborum conſuetudine ſe ſubducere: Sed aliud eſt malorum fugere contubernium, aliud ipſorum odio Eccleſiæ communionem renuntiare. S. 15.

22. Quod inſtant ſacrilegium eſſe, cum improbis panem Domini participare, in eo rigidiores ſunt quam Paulus. Nam cum hac de re agit, 1 Cor. 11.28. non exigit, ut tu alium examines, aut unusquisque totam Eccleſiam, ſed ut ſinguli ſe probent. Nihil ergo nobis obeſt, ſi quis indignus ſe nobiſcum ingerat. Eodem ſenſu dicit, unumquemque *ſibi* edere & bibere judicium, ℣. 29. Et meritò. Non enim aliis ſed nobis edimus. Qui vero recipiendi aut repellendi ſint, id ad totius Eccleſiæ cognitionem ſpectat. Ergo iniquum erit alterius iniquitate aliquem privatum pollui, quum eum arcere ab acceſſu Cœnæ nec potuerit nec debuerit. S. 15.

23. Et ſic quidem reſpondimus iis qui ex inconſiderato juſtitiæ zelo ſeparationem moliuntur: quæ tentatio etiam piis oboriri poteſt. Docet tamen experientia hanc nimiam moroſitatem in plærisque ex ſuperbia magis & falſa ſanctitatis opinione quam ex vera ſanctitate & vero ejus ſtudio naſci. Qua de re bene & prudenter monet Auguſtinus. In exercenda diſciplina maximè ſpectandam eſſe unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Id fieri ſufferendo nos invicem. Alioquin medi-

cinæ

cinæ vindictam ſuperfluam, pernitioſam, adeoque ne medicinam quidem eſſe. Multos, ne luce veritatis carere videantur, umbram rigidæ ſeveritatis obtendere, quum ſint filii mali, tumidi, inſidioſi & turbulenti, qui ad ſacrilegium ſchiſmatis uſurpant, quæ corrigendis moderatiori curatione fraternis vitiis adhiberi debebant. Nobis miſericorditer corripiendum, quod poſſumus: quod non poſſumus, patienter ferendum, & cum dilectione lugendum, donec aut emendet Deus aut in meſſe eradicet zizania. Hoc conſilium longè ſanius eſt, quam dum animoſi juſtitiæ vindices eſſe volumus, à regno cœlorum deſciſcere. Cogitemus in externa ſocietate Deum Eccleſiæ ſuę communionem velle coli; in magna multitudine complures eſſe ſanctos, etſi oculos noſtros fugiant: & ex iis qui morbidi videntur, multos non placere ſibi in vitiis ſuis, ſed ad integritatem aſpirare: non ferendum eſſe de homine judicium ex uno facto; plus ſubeſſe ad colligendam Eccleſiam momenti, in verbi & ſacramentorum miniſterio, quam ut quorundam impiorum culpa vis illa tota evaneſcere queat: denique in cenſenda Eccleſia pluris eſſe divinum quam humanum judicium. S. 16.

24. IV. Inculcant denuo non abs re Eccleſiam vocari ſanctam. Vrgent loca Eph. 5.25. Ioël. 3. 17. Eſa. 35. 8. quibus dicitur Eccleſiam ſanctificari à Chriſto, ut ſit ſponſa glorioſa, non habens maculam aut rugam: Ieruſalem fore ſanctam, in quam impuri non ſint ingreſſuri. Reſp. 1. Si Eccleſiam nolunt admittere, niſi numeris omnibus abſolutam, nullam relinquent, ut poſt monſtrabitur. Ideo 11. videndum nobis qua excellat ſanctitate. Atqui certum eſt non momento eam abſolvi, ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Dominum quotidie operari in rugis ejus & maculis abſtergendis. Si ergo quotidie Eccleſia proficit, nondum ad ſanctitatis metam pervenit. Deinde non ideo ſancta dicitur, quod nullus in ejus membris nævus reperitur, ſed quia toto ſtudio ad ſolidam puritatem aſpirat. Hinc Dei benignitate ſanctitas tribuitur, quam nondum plene conſequuta eſt. III. His rebus fidem facit experientia. Conſtat Deum ex corrupta Adami maſſa, ſemper aliquam ſibi Eccleſiam collegiſſe, ne ulla foret ætas, quæ ſuam miſericordiam non experiretur, ſecundum promiſſiones Pſ. 89.4. & 132.13. Ier. 31.35. Iam qualis illa fuerit, teſtantur horrendæ deſcriptiones, quibus Prophetæ Ieroſolymitanæ Eccleſiæ morbos deplorant. Conqueruntur omnia fuiſſe corrupta, in religione & moribus, in plebe, in magiſtratu, in ſacerdotibus. Idem teſtatur Chriſti & Apoſtolorum ſeculum. Quam deſperata erat Phariſæorum impietas? quæ tunc paſſim regnabat diſſoluta vivendi licentia? Attamen nec Prophetæ diſceſſionem moliti ſunt, nec novas aut ſeparatas Eccleſias ſibi erexerunt: nec Chriſtus aut Apoſtoli potuerunt impediri, quo minus iiſdem ſacris cũ populo uterentur. Vnde hoc? Nempe quia tenebat eos unitatis ſtudium: quia reputabant Deum illic verbum ſuum depoſuiſſe & mandatis cæremoniis coli voluiſſe: quia ſciebant malorum ſocietate minime pollui, qui pura conſcientia iiſdem ſacris communicant. Si religio fuit ſanctis Prophetis ob plurima & maxima ſcelera totius pene populi ſe ab Eccleſia alienare, certe nimium ſibi arrogant, qui quod ſuo judicio non omnes Chriſtianæ profeſſioni ſatisfaciunt, audent ab Eccleſiæ communione deficere. Si Prophetæ & Apoſtoli non movent, ſaltem Chriſti authoritati acquieſcant.

quieſcant. Fixum igitur utrumque illud maneat, I. Nihil excuſationis eum habere, qui externam Eccleſiæ communioné, ubi verbum prædicatur & ſacramenta adminiſtrantur, ſponte deſerit. II. Nihil obſtare vel paucorum, vel multorum, ne paſtorum quidem vitia, quo minus pura ſint & ſalutaria myſteria homini Deum timenti, etſi ſimul ab impuris attrectentur. Quisque ergo in hoc laboret, ut ipſe bonum ſit frumentum, vas aureum & argenteum, reliquos Domino relinquat, cujus ſolius eſt aream ventilare & purgare. S. 17. 18. 19.

25. V. Clamant iſti moroſi & ſuperbi homines, quando docemus fideles, tota vita gemendũ eſſe ſub vitiorum onere, & ad veniam eſſe confugiendum, hoc modo nos abduci à perfectione, quæ tamen non frigide aut lente ſit urgenda. Reſp. Conſequens admittimus, conſequentiam negamus. Quin imo diabolicum eſſe dicimus, hominum animos perfectionis fiducia imbuere, dum adhuc in curſu ſunt. Patet. 1. Ex eo quod Eccleſiæ in ſymbolo peccatorum remiſſio non ſine cauſa ſubnectitur. Hanc enim non conſequuntur, niſi ſoli illius cives & domeſtici, Eſai. 33. ℣. 24. Primum quidem ſtatuenda eſt Eccleſia, in quam ſine peccatorum remiſſione non datur ingreſſus, Oſ. 2. 18. Ier. 33. 8. Ideo etiam in Eccleſiæ ſocietatem ablutionis ſigno initiamur. Sic ergo nos Deus ſibi reconciliat per miſericordiam ſuam, quam non promiſit niſi in ſanctorum communione. Sed ſecundo loco addendum eſt nos in Eccleſiam per remiſſionem peccatorum non ſemel tantum recipi, ſed per eandem in ipſa conſervari. Nam 1. ſi Domini miſericordia ſemel tantum nobis obtingeret, ſanè irrita & nulli uſui futura eſſet. Vnusquisque enim piorum per totam vitam ſibi

conſcius eſt multarum infirmitatum, quæ Dei miſericordia indigent. Ita careremus vera conſolatione. II. Non fruſtra quotidie Dominus eundē reconciliationis nuntium deferri jubet. III. Niſi aſſidua in remittendis delictis Domini gratia ſuſtentemur, momentum unum in Eccleſia vix perſiſteremus. At vocat nos Deus in æternam ſalutem. Ergo arctè illud tenendum eſt, peccatis noſtris ſemper veniam paratam eſſe ex divina liberalitate, intercedente Chriſti merito per Spiritus ſanctificationem. IV. Hujus boni impertiendi gratia claves Eccleſiæ datæ ſunt, non eorum tantum cauſa qui primum ab impietate convertuntur, ſed magis ut hoc officio fungantur perpetuo inter fideles. Quod Paulus docet, quum ſcribit legationem recōciliationis depoſitam eſſe apud miniſtros, 2 Cor. 5. 20. Nempe quia Eccleſiæ miniſterio aſſidue remittuntur peccata, idque tam publice quam privatim, prout neceſſitas poſtulat, quia multi pro ſua infirmitate ſingulari conſolatione indigent. VndePaulus non tantum pro communi concione, ſed etiam per domos teſtificatus eſt pœnitentiam in Deum, & fidem in Ieſum Chriſtum. Tria ergo hæc probe obſervanda. I. Quantalibet ſanctitate polleant filii Dei, hac tamen ſemper eſſe conditione, quamdiu in mortali corpore habitant, ut ſine peccatorum remiſſione conſiſtere nequeant coram Deo. II. Hoc beneficio neminem frui, niſi maneat in Eccleſiæ communione. III. Per Eccleſiæ paſtores hoc beneficium diſpenſari in prædicatione Euangelii & ſacramentorum adminiſtratione. Proinde non alibi quærendam remiſſionem peccatorum quam in Eccleſia. S. 20, 21, 22.

26. Huic errori affinis peſtilens Novati opinio & quo-

& quorundam hoc ſeculo Anabaptiſtarum, qui fingunt regenerari populum Dei in Baptiſmo in Angelicam vitam, quæ nullis ſordibus carnis vitietur. ſi vero poſt Baptiſmum quis delinquat, lapſo ſpem veniæ nullam faciunt. Reſp. Merum hoc eſſe delirium, quod paſſim Scriptura refutat. Fons erroris eſt, quod non aliam agnoſcunt peccatorum remiſſionem, niſi qua primum regeneramur. Opponimus autem. I. Mandatum Chriſti, quo jubentur ſancti quotidie hanc vocem repetere, *Remitte nobis debita noſtra.* Confitentur ergo ſe eſſe peccatores. Deinde non eſt vana hæc petitio: quia Dominus aſſiduam peccatorum cõfeſſionem poſtulans, ſimul etiam veniam promittit. Iam vero totam orationem exauditum iri à Patre teſtatus eſt. Et hanc quoque abſolutionem peculiari promiſſione obſignavit, Matt. 6. 14. Proinde nimiæ eſt audaciæ, aut à peccato ſanctos eximere, aut ſi impegerint, à gratia prorſus excludere. II. Mandatum Chriſti de condonandis delictis fratrum ſeptuageſies ſepties, & quidem hoc nomine, ut Dei clemẽtiam imitemur, Mat. 18. 22. 35. Non ergo ſemel aut bis condonat Deus, ſed quoties delictorũ veniam peccatores à Deo petunt. III. Exempla piorum in Veteri Teſtamento. Patriarchæ nefario ſcelere in fratris necem conſpirant, tandem vendunt in ſervitutem. Simeon & Levi ſæviunt immaniter in Sichimitas. Ruben cubile paternum contaminat. Iudas ad nurum ingreditur. Nec tamen è populo electo expunguntur, quin potius in capita futuri populi eriguntur. David regeneratus & adulterio & homicidio ſeipſum polluit. Et tamen veniam eſt conſequutus. Huc refer infinita miſericordiæ divinæ erga Iſraëlitas defectores documenta. IV. Promiſſiones quamplurimas

quibus

quibus ſe Dominus placabilem populi ſui offenſis fore teſtatus eſt, Deut. 30. 3. Ier.3.1. 12. Ezech. 18.23.32. quo loco etiam affectus hujus paterni rationem notari videmus, quia Deus nolit mortem peccatoris ſed ut convertatur & vivat. Et ad has promiſſiones etiam reſpexit Salomon in oratione ſua qua templum dedicavit, 1 Reg.8.46. Vnde liquet etiam graviſſima ſcelera converſis remitti. V. Quotidiana pro peccatis ſacrificia, tanquam remedia aſſiduis peccatorum morbis ordinata, quibus Deus prævidit populum ſuum laboraturum. VI. Abundantiam gratiæ divinæ in Novo Teſtamento. Etenim ſi olim ſanctis Patribus parata fuit Dei indulgentia in condonandis peccatis, non eſt dubium, quin jam clementia Patris magis exuberet, poſtquam adventu Chriſti ad plenum ſe exeruit bonitas Domini, miſericordiæ opulentia eſt effuſa & reconciliatio noſtra adimpleta, Tit.1.9. & 3.4. 2 Timot.1,9. Mat.10.33. Marc. 6.38. VII. Documenta hujus rei in variis exemplis.ut Petri abnegantis Dominum poſt inſignem ejus confeſſionem, Mat.26.39. Theſſalonicenſium inordinate viventium, quos Paulus invitat ad pœnitentiam, 2 Theſſ.3.6. Ne Simoni quidem Mago venia denegatur, Act.8.22. Paulus Galatas defectionis, Corinthios magnorum flagitiorum arguit. Neutros tamen à Dei miſericordia excludit, quin hoc potius agit ut ipſos adeoque inceſtuoſum illum ad pœnitentiam invitet, Gal.1.6. & 3.1.& 4.9. 1 Cor.12.21. VIII. Pactum Domini, quo paternas quidē virgas filiis delinquentibus minitatur, miſericordiam tamen ſuam non ablaturum ſolemniter jurat: quod pactum æternū eſſe ſcimus & inviolabile, Pſ.89.31. IX. Denique ipſa Symboli diſpoſitio, quando Eccleſiæ ſubjungitur

gitur peccatorum remiſſio, ſatis admonet perpetuam in Eccleſia reſidere delictorum gratiam. Sect. 23, 24, 25, 26.

27. Sed enim quidam argumentis hiſce constricti, non quodlibet peccatum irremiſſibile faciunt, ſed voluntariam tantum legis transgreſſionem, ita ut nullum peccatum venia dignentur, niſi ſicubi erratum fuerit ignorantia. Reſp. I. Ex ipſa lege, quæ non tantum pro ignorantiis redimendis, ſed etiam pro expiandis fidelium voluntariis peccatis mandavit offerri ſacrificia, Lev. 4. 2. &c. & Levit. 16. 16. 21. II. Nihil eſt apertius, quam unicum Chriſti ſacrificium valere ad remittenda ſanctorum voluntaria peccata, quandoquidem Dominus hoc olim carnalibus hoſtiis teſtatum fecerit. III. Davidem adulterum & homicidam, Patriarchas fratricidas, Corinthios ſcortatores & contentioſos, Petrum abnegantem Chriſtum, quis ignorantiæ prætextu excuſare audeat? Ergo Dei miſericordiæ ne malignitate noſtra viam præcludamus. S. 28.

28. Denique objiciunt nobis authoritatem Patrum, qui peccata, quæ quotidie remittuntur fidelibus, interpretabantur leviora errata, quæ ex infirmitate carnis obrepũt. Adhæc cenſebant pœnitentiam ſolennem, quæ pro gravioribus flagitiis tum exigebatur, non magis iterandam quam Baptiſmum. Reſp. I. Sententiam Patrum ſanè accipiendam eſſe. Neque enim mens illorum fuit, aut præcipitare in deſperationem eos, quia prima pœnitentia excidiſſent, aut ſanctorum errata tanquam minutula elevare. Sciebãt enim quam multis modis & quam graviter dubitationibus, juramentis non neceſſariis, ira, convitiis, &c. Deum ſæpenumero etiam ſancti offendant. Sed ita voluerunt

runt peccata hæc diſtinguere à publicis criminibus, quæ cum magno offendiculo in Eccleſiæ cognitionem veniebant. II. Quod adeo difficulter ignoſcebant publicis iſtis criminibus, non ideo factum eſt, quia difficilem illis apud Dominum veniam putarent, ſed ut hac ſeveritate alios à ſimilibus flagitiis deterrerent. III. Verbum tamen Domini moderationem majorem præſcribit, quando vetat eo uſque diſciplinæ rigorem intendere, ut peccator à triſtitia abſorbeatur. S. 29.

29. Hactenus de Eccleſiæ notis egimus. Summa eſt, I. Vbicunque illibatum extat verbi & Sacramentorum miniſterium, nullis morum vitiis aut morbis impediri, quo minus Eccleſiæ nomen ſuſtineat. II. Illud ipſum ne leviculis quoque erroribus vitiari, quo minus legitimum æſtimetur. Porro errores venia dignos eſſe, quibus præcipua religionis doctrina nõ lædatur aut opprimatur: in Sacramentis vero, qui legitimam authoris inſtitutionem non aboleant aut labefactent. Hinc ex adverſo patet, ſimul ac in arcem religionis mendacium irrupit & ſacramentorum uſus corruit, Eccleſiæ interitum conſequi. Si enim Eccleſiæ fundamentum eſt doctrina Apoſtolorum & Prophetarum, Eph. 2. 20. hac ſublata non poteſt illius ædificium amplius conſtare. Si etiam Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis, 1 Timoth. 3. 15. certum eſt non eſſe Eccleſiam, ubi regnat mendacium & falſitas. c. 2. S. 1.

30. Hic intelligere licet, quidnam Eccleſiæ ſub Papiſmo ſuperſit. Pro verbi miniſterio mendaciis conflata illa regnat gubernatio. In locum Cœnæ Domini fœdiſſimum ſubiit ſacrilegium. Cultus Dei non ferenda ſuperſtitionum congerie eſt deformatus: doctrina tota ſepulta & exploſa: publici con-

conventus idololatriæ & impietatis ſcholæ ſunt. Nullum ergo periculum eſt, quod ab illa diſceſſimus, ne ab Eccleſia Chriſti divellamur. Eccleſiæ etenim communio non eſt vinculum idololatriæ & impietatis, ſed timoris Dei & obedientiæ veritatis. cap. 2. S. 2.

31. Magnificè quidem ſuam nobis Eccleſiam commendant, quaſi nulla alia in mundo eſſe videatur. Hinc veluti re confecta omnes clamant, eſſe ſchiſmaticos qui à ſuæ Eccleſiæ obedientia ſe ſubducunt, omnes eſſe hæreticos, qui contra ejus doctrinam mutire audent. Pro ratione allegant ex vetuſtis annalibus, quid in Italia, Gallia, Hiſpania olim fuerit Eccleſia: ſe à ſanctis illis viris originem ducere, qui ſana doctrina fundarunt Eccleſias, doctrinamque ſuo ſanguine ſtabiliverunt. Hanc Eccleſiam ſuam perpetua Epiſcoporum ſucceſſione fuiſſe conſervatam. Cõmemorant quanti hanc ſucceſſionem fecerint Irenæus, Tertullianus, Origenes, Auguſtinus & alii. Eo tandem omnia recidunt, ſe ideo veram habere Eccleſiam, quia ex quo eſſe cœpit, perpetua ſerie Epiſcopi alii aliis ſucceſſerint. Reſp. Quam hæc ſint frivola facile poteſt demonſtrari. I. Poſſemus jure quærere cur non citent Africam, Ægyptum & totam Aſiam. Sed quia in his Eccleſiis dicunt deſiiſſe Epiſcoporum ſucceſſionem, reſpondeant ergo de Græcorum Eccleſia, apud quos illa nunquam fuit interrupta. Ajunt Græcos eſſe ſchiſmaticos, quia deſciverint à ſede ſua Apoſtolica. Quid ergo ipſos mereri dicemus, quum à Chriſto defecerint? Breviter reſpondemus, evanidum eſſe prætextum ſucceſſionis, niſi Chriſti veritatem à patribus acceptam poſteri incorruptam retineant. II. Quod Romanenſes hodie nobis, id olim Iudæi objiciebant

bant Prophetis. Glorioſe jactabant templum, ce-
remonias, ſacerdotia, &c. quibus rebus metie-
bantur Eccleſiam: ſic etiam Papiſtæ in externi
larvis hærent, quæ ſæpius longe abſunt ab Eccle-
ſia, citra quas Eccleſia optime conſtare poteſt.
His omnibus recte dicitur à Ieremia cap. 7. 4. N
gloriemini in verbis mendacibus: quia Dominu
nihil uſpiam ſuum agnoſcit, niſi ubi verbum ſuun
auditur. III. Quam autem Deus minime ſit per-
ſonis aut locis aut externis obſervationibus alliga-
tus, ex variis locis conſtare poteſt. 1. Ezech. 10. 4
Dei gloria extra templum transmigrat & locum
ſine ſanctitate relinquit. Atqui ſedem illam ſib
ſtatam fore pollicitus erat. Nempe polluitur tem-
plum, quia pravis ſuperſtitionibus cultum De
corruperant ſacerdotes. 2. Eadem eſt contentic
Pauli cap. 9. 10. & 11. Epiſt. ad Romanos. Iu-
dæis veritatis hoſtibus nihil ad externam Eccle-
ſiæ formam deeſſe videbatur. Atqui negat Paulus
eos eſſe Eccleſiam, quia Chriſtum non amplecte-
bantur. 3. Idem arguit ad Galat. cap. 4. 22. ubi
Iſmaëlem cum Iſaaco comparat. Summa eſt, mul-
tos in Eccleſia tenere locum, ad quos non perti-
net hæreditas, quia non ſunt progeniti ex libera
matre. Huc facit diſtinctio duplicis Ieroſolymæ.
Item filiorum Dei qui genuini ſunt, & eorum qui
ſerviliter nati & educati veros Dei filios deſpi-
ciunt, quibus tamen dicitur, Ejice ancillam & fi-
lios ejus. Si externa profeſſio ſufficeret, Iſmaël
quoque circumciſus erat & antiquitate ac jure
primogenituræ præcellebat. Sed negat Paulus cen-
ſeri inter filios, niſi qui geniti ſunt ex puro & le-
gitimo doctrinæ ſemine. 4. Eadem ratione pu-
gnat Deus apud Malachiam cap. 2. Gloriabantur
impii ſacerdotes pacto, quod Deus pepigerat cum
patre

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

patre ipſorum Levi verſ. 4. 5. Concedit Deus dignitatem ſacerdotii in ſingulari pretio habendam eſſe, ſed hac conditione, ut ſacerdotes pacto reſpondeant. Hoc quia non fecerint dignos eſſe dicit qui repudientur, ℣.8. 9. Nihil ergo valet ſucceſſio, niſi poſteri æquabili tenore ſe conforment majoribus. 5. Nemo auſit aſſerere, quia Caiphas ab Aarone continua ſerie multis piis ſacerdotibus ſucceſſit, ideo ſceleratum ſuæ ætatis cœtum Eccleſiæ titulo dignum fuiſſe. 6. Ne in terrenis quidem imperiis hoc verum eſt, quia Nero, Caligula, Heliogabalus ſucceſſerint Brutis, Camillis, Scipionibus, &c. ideo tyrannidem ipſorum verum eſſe Reipublicæ ſtatum. Quanto minus ferri poteſt, ut in Eccleſiæ regimine, omiſſa doctrina, ſucceſſio in perſonis tantum collocetur? IV. Sanctos Doctores falſo nobis obtrudunt, quibus nihil minus fuit propoſitum quam ex nuda Epiſcoporum ſubrogatione Eccleſias demonſtrare. Sed quod extra controverſiam eſſet, nihil à principio uſque ad illam ætatem mutatum eſſe in doctrina, pro confeſſo ſumunt, ab hæreticis oppugnari doctrinam unanimi conſenſu hactenus retentam. Atque hoc novis erroribus conficiendis ſufficiebat. V. Merum ergo fucum faciunt ex Eccleſiæ nomine, quam, ſi vera ſit, nos ut decet reverenter colimus. Illi vero pro ſacra Chriſti ſponſa fœdam meretricem ſubſtituunt. VI. Adverſus hanc fallaciam benè nos monuit Auguſtinus. Eccleſia, inquit, nonnunquam obſcuratur multitudine ſcandalorum: aliquando tranquilla & libera apparet: aliquando tribulationum & tentationum fluctibus operitur & turbatur. Et pro exemplo profert doctiſſimos Eccleſiæ magiſtros, qui vel pro fide exulaſſent, vel toto orbe latitaſſent.

VII. De-

VII. Denique quaſcunque larvas aut inanem fulgorem obtendant adverſarii, nobis ſatis eſt, Eccleſiam non eſſe, ubi verbum Dei nõ apparet. Hac perpetua nota ſuos ſignavit Dominus noſter, Ioh. 18.37. & 10.4, 14. & 8.47. Qui audit vocem Chriſti, eſt ex veritate: eſt ovis Chriſti: novit vocem Paſtoris ſui, non alienorum: cognoſcitur à Paſtore ſuo, & eſt ex Deo. Hoc ſymbolum non fallit. Vbicunque ſpectatur, Eccleſiam certo deſignat: ubi abeſt, nihil reſtat quod veram Eccleſiam oſtendat. Paulus ait ſuper doctrinam Apoſtolorum & Prophetarum fundatam eſſe Eccleſiam, non ſuper hominum judicia aut ſuper ſacerdotia, Epheſ. 2.20. Breviter cum Eccleſia ſit regnum Chriſti, non regnat autem niſi per verbum ſuum, non poteſt jam eſſe obſcurum, quin mendacii verba ſint, quibus Chriſti regnum abſque ejus ſceptro eſſe fingitur. cap. 2. S. 2, 3, 4.

32. Iam vero quod reos ſchiſmatis & hæreſeos nos agunt, quod diſſimilem doctrinam prædicamus, & ſeorſim conventus habeamus ad preces, Baptiſmi & Cœnę adminiſtrationem, aliasque ſacras actiones exercendas, non longa defenſione opus habet. Nam, 1. Hæretici & ſchiſmatici dicuntur, qui Eccleſiæ communionem dirimunt. Hæc duobus vinculis continetur, ſanæ doctrinæ conſenſione & fraterna charitate. Illam hæretici falſis dogmatibus corrumpunt: hanc in fidei ſimilitudine ſchiſmatici diſrumpunt. Porro & illud notandum eſt, charitatis conjunctionem ſic ab unitate fidei pendere, ut hæc illius regula eſſe debeat & finis. Ad Eccleſiaſticam ergo unitatem requiritur, ut mentes in Chriſto conſentiant & voluntates in Chriſto conjunctæ ſint: teſte Paulo, Eph. 4.5. Phil. 2. 2.5, Ita Cyprianus Eccleſiaſticæ con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

concordiæ fontem à Chriſti Epiſcopatu deducit, & ad exprimendam membrorum Chriſti connexionem individuam, ad caput, ad Chriſtum perpetuo nos revocat. Tum vero inde hæreſes & ſchiſmata naſci pronuntiat, quod ad veritatis cognitionem non reditur, nec caput quæritur, nec cœleſtis magiſtri doctrina ſervatur. Hinc ſequitur oportuiſſe nos ab ipſis recedere, ut ad Chriſtum accederemus, ſine ulla hęreſeos aut ſchiſmatis culpa. Sed. II. addimus, quod puram veritatis profeſſionem ferre non potuerint, quod anathematibus nos expulerint. Cum ejectos nos eſſe conſtet, idque propter Chriſti nomen factum fuiſſe parati ſimus probare, de cauſa prius quærendum erat, quam aliquid de nobis definiatur. III. Hac ratione etiam Apoſtolos ſchiſmatis damnare poſſent. His enim prædicit Chriſtus, fore ut à ſynagogis propter nomen ſuum ejicerentur. At illæ ſynagogæ tunc habebantur legitimę Eccleſię. Hoc exemplum ſatis nos abſolvit. cap. 2. S. 5. 6.

33. Cæterum quæritur, quo loco nobis eſſe debeant Eccleſiæ omnes quas Papiſtica tyrannis occupavit. Rem ipſam penitius inſpiciamus. Non eſt dubium quin vera tum extiterit apud Iudæos & Iſraëlitas Eccleſia, quum doctrinam veritatis habebant in Lege: quum ejus miniſterium eſſet penes ſacerdotes & Prophetas: quum Circumciſionis ſymbolo aliisque ſacramentis exercebantur ad fidei confirmationem. Vbi deſerta Lege degenerarunt ad idolomaniam & ſuperſtitionem, illa pręrogativa pro parte exciderunt. Eccleſię titulum adhuc ſervare videbantur, quatenus apud eos Deus verbi ſui prædicationē & myſteriorū obſervationē depoſuerat. Quatenus vero Domini verbū palam & impune conculcabatur, miniſterium,

nervus

nervus & anima Eccleſiæ, diſſipabatur, ſine exceptione Eccleſia dici non merebatur. Vt ergo conſtet quales fuerint Eccleſiæ, notemus primum in ipſa defectione fuiſſe gradus quoſdã, quo tempore Iſraël & Iuda à puro Dei cultu deflexit. Neque enim utriusque eadem eſt ratio. Ieroboam, fabricando vitulos, adorationi locum non licitum dedicavit, & religionem prorſus corrupit. Sub regno Achabi res etiam in deterius prolapſæ ſunt. Qui ſucceſſerunt, partim Achabo, partim Ieroboamo ſimiles eſſe voluerunt, omnes ad unum tamen impii & idololatræ. Iudæi ſe primum impiis moribus & ſuperſtitioſis inquinarunt. Manebat tamen Ieroſolymis & Legis doctrina, & ſacerdotium, & ritus, quales Deus inſtituerat. Itaque habebant pii tolerabilem aliquem Eccleſiæ ſtatum. Poſt variæ ſequutæ ſunt mutationes, aliis regibus cultum Dei falſis ſuperſtitionibus pervertentibus, aliis diſſipatam religionem inſtaurantibus. Tandem ipſi ſacerdotes templũ Dei profanis & abominandis ritibus polluerunt. c. 2. S. 7, 8.

34. Age nunc cum his conferamus religionis ſtatum, prout eſt in Papatu. Certè ut vitia ſua maximè extenuent, negare non poterunt, quin religionem corruptam habeant, ut fuit in regno Iſraëlitico ſub Ieroboamo. Quanquam & idololatria laborant craſſiori & in doctrina nihilo ſunt puriores. Volunt tamen nos adigere ad Eccleſiæ ſuæ communionem. Hinc duo poſtulant à nobis. I. Vt precibus, ſacrisque & ceremoniis ſuis omnibus communicemus. II. Vt quidquid poteſtatis & jurisdictionis Eccleſiæ ſuæ tribuit Chriſtus, id ſuæ Eccleſiæ tribuamus. De primo ſic reſpondemus, Prophetas qui fuerunt Ieroſolymis, rebus etiam admodũ corruptis, non tamen ſacrificaſſe aut

oraſſe

oraſſe ſeorſim. Nam mandato Dei aſtricti erant templo Salomonis; Leviticos ſacerdotes, nondum abdicatos quamvis indignos, locum ſuum tenere noverant: ad nullum porro ſuperſtitioſum cultum adigebantur, nullas cæremonias vel ſpectare vel uſurpare cogebantur, niſi à Deo inſtitutas. In hac parte cauſa noſtra plane eſt alia. Nō poſſumus vix ullum cum Papiſtis habere conventum, in quo nō aperta idololatria nos polluamus, præſertim in Miſſa ipſorum. Contra ſe res habet in regno Iſraëlitico. Multa adhuc reliquerat Ieroboam, nempe Circumciſionem, ſacrificia, Legem eandem, eundem cum Patribus Deum, ſed propter vetitos cultus, quidquid illic agebatur Deus damnabat. Nominent nobis Prophetam unum vel virum pium, qui ſemel adoraverit aut ſacra fecerit in Bethel. Proinde non debet tanti valere Eccleſiæ communio, ut ſi ad profanos ritus degenerat, ſequi eam protinus neceſſe ſit. cap. 2. S. 9.

35. De altera poſtulatione magis etiam contendimus. Fatemur quemque debere Eccleſiæ judicium revereri, monitionibus parere, caſtigationibus commoveri, communionem in omnibus religioſe colere. Proinde ſi Papiſtæ Eccleſia ſunt, ſubjectionis & obedientię neceſſitas nos manebit. Id vero concedere ipſis neutiquam poſſumus, non magis quam olim Prophetæ in profana conventicula conſentire licuit, quæ ſi quis Eccleſias fuiſſe dixerit, ſequitur in Iſraële Heliam & Micheam, in Iuda, Eſaiam, Ieremiam & alios, quos ſui ſæculi Prophetæ, ſacerdotes, & populus oderant & execrabantur, alienos à Dei Eccleſia fuiſſe. Rurſus ſi illæ Eccleſiæ fuerunt, ergo Eccleſia non columna veritatis ſed firmamentum erit mendacii & idolorum receptaculum. Itaque Prophetæ neceſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ceſſe habuerunt ab eorum cœtuum conſenſion[e] deſciſcere. Eadem ratione nec nos Papiſticos cœ[tus] idololatria, ſuperſtitione, impia doctrina con[tam]inatos pro Eccleſiis agnoſcimus. Porro ſi Ec[cl]eſiæ ſunt, habent poteſtatem clavium. At clave[s] individuum habent nexum cum verbo, quod il[li] profligarunt. Deinde valebit apud ipſas promiſſi[o] Chriſti, Quidquid ligaveritis, &c. At vero abdi[c]ant à Chriſti communione, qui ſe ſervos eju[s] non fictè profitentur. Denique pro verbi miniſte[r]rio habent ſcholas impietatis & errorum omn[is] genus ſentinam. Proinde ſecundum hanc ratio[n]nem Eccleſiæ non ſunt, aut nullum reſtabit ſym[-]bolum, quo legitimi fidelium cœtus ab infidelium conventibus diſcernantur. cap. 2. S. 10.

36. Hoc ipſo tamen non negamus, quin aliquid Eccleſiæ in Papatu ſuperſit, ſicut & olim inter Iudæos peculiares quædam Eccleſiæ prærogativæ: idque propter conſtantiam divinæ bonitatis, qua fœdus illud, invita eorum impietate, ſubnixum erat. Nec potuit illorum perfidia fides Dei ſuperari, nec circumciſio impuritate eorum ita profanari, ut non maneret à parte Dei ſignum fœderis. Vnde factum eſt ut liberos ex illis natos pro ſuis agnoſceret, Ezech. 16. 20. Eodem modo poſtquam fœdus ſuum Deus in Italia, Gallia, Germania, Hiſpania, Anglia depoſuit, ubi Antichriſti tyrannide oppreſſæ ſunt, ut fœdus ſuum inviolabile maneret, Baptiſmum ibi conſervavit, qui invita humana impietate vim̃ ſuam retinet: itemque alias reliquias, ne Eccleſia prorſus interiret. Ita in ipſa quoque vaſtatione veluti ſemirutum ædificium manſit. cap. 2. S. 11.

37. Huc facit quod Antichriſtum in templo Dei ſeſſurum prędixerunt Daniel & Paulus, Dan. 9. 27.

2 Theſſ.

2 Theſſ. 2, 4. Hunc Antichriſtum dicimus eſſe Pontificem Romanum. Ex eo quod ſedes ejus futura eſt in templo Dei, innuitur regnum ejus tale futurum, quod nec Chriſti, nec Eccleſiæ nomen aboleat. Quocirca non negamus ſub ejus tyrannide manſiſſe Eccleſias, ſed quas impietate profanarit, immani dominatione afflixerit, falſis doctrinis corruperit, ut nulla pene facies Eccleſiæ appareat. Quatenus igitur populi ſui reliquias disjectas illic Deus mirabiliter conſervat, quatenus permanent nonnulla Eccleſiæ ſymbola, atque ea præſertim, quorum efficaciam nec Diaboli aſtutia nec humana pravitas deſtruere poteſt, eatenus aliquas ibi eſſe Eccleſias non diffitemur. At nos litigamus de vera & legitima Eccleſiæ conſtitutione, quæ in communione tum ſacrorum tum potiſſimum doctrinæ conſiſtit. Hæ notæ quia illîc deletæ ſunt, dicimus unumquemque cœtum & totum corpus carere legitima Eccleſiæ forma. cap. 2. S. 12.

DISPUTATIO II,

De Eccleſiæ Miniſtris, eorumque electione, & vocatione, atque officio.

Ex lib. 4. cap. 3, 4, 5.

1. HActenus de Eccleſia in genere egimus. Iam de ordine dicendum eſt, quo Dominus Eccleſiam ſuam gubernari voluit. Ipſius quidem ſolius eſt regnare in Eccleſia, & præeminere per verbum ſuum. Sed quia viſibili præſentia nobis non adeſt, viſum ei fuit hominum miniſterio voluntatem ſuam nobis declarare, non quod jus ſuum & honorem in eos transferat, ſed ut per os ipſorum ſuum ipſe opus agat. Et hoc quidem ſupra attigimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mus. cap. 1. Sect. 5. Sed plenius tamen nobis eſt repetendum. Cur non per ſe ipſum, ſine alio quovis adminiculo aut organo, non etiam per Angelos ſed per homines hoc fieri voluerit, complures ſunt cauſæ. I. Vt amorem ſuum manifeſtet, quo nos dignatur, quando ex hominibus legatos ſumit, qui voluntatis ſuæ apud nos ſint interpretes, & perſonam ſuam repræſentent: ex quorum ore, velut ex ſanctuario, reſponſa hominibus reddit, ut hoc experimento comprobet, non fruſtra nos vocari templa Dei. II. Sic optime & utiliter nos ad humilitatem exercet & ad obediendum verbo ſuo aſſuefacit, quando Deus, qui de cælo tonare poterat & fulgore ſuæ Majeſtatis nos confundere, per homines nobis ſimiles, ſæpe etiam dignitate inferiores nos alloquitur; nos vero Dei miniſtris dociles nos exhibemus. Sic enim experimentum Deus capit obſervantiæ noſtræ, & quanti à nobis fiat. Et hac de cauſa dicitur ſapientiæ theſaurum in vaſis fictilibus depoſuiſſe, 2 Cor. 4. 7. III. Nihil ad fovendam mutuam charitatem & tuendam unitatem fuit aptius, quam hoc vinculo homines inter ſe colligari, ut unus Paſtor reliquos doceret, alii diſcipuli communem ex uno ore doctrinam exciperent. Voluit Deus alterum alterius indigere opera, ne quisque ſibi ſufficiat, aut ſuperbe alios contemnat præ ſe, aut ab illis cõtemnatur. IV. Hanc unitatis rationem quoque innuit Paulus Epheſ. 4. ℣. 5, 7, 11. Eſt autem ille locus illuſtris in hac materia & plura ſuppeditat argumenta. Docet 1. miniſterium hominum præcipuum eſſe nervum, quo fideles in uno corpore cohærent. 2. Non aliter incolumem ſervari Eccleſiam, niſi his præſidiis fulciatur. 3. Sic Chriſtum nunc implere omnia, dum per miniſtros ſuos dona ſua Eccleſiæ diſtribuit,

diſtribuit, ſeipſum præſentem exhibet, ſpiritus ſui virtutem conjungit inſtitutioni, ne inanis ſit vel otioſa. 4. Sic inſtaurationem ſanctorum peragi, corpus Chriſti ædificari, nos in Chriſto adoleſcere, inter nos coaleſcere, ſic denique omnes in unitatem Chriſti redigi. Ergo quiſquis hunc ordinem aut hoc genus regiminis abolere ſtudet vel quaſi minus neceſſarium elevat, is molitur diſſipationem & ruinam Eccleſiæ. V. Solis lumen ac calor, item cibus & potus vitę præſenti fovendæ & conſervandæ non ſunt tam neceſſaria, quam eſt paſtorale munus conſervandę in terris Eccleſiæ. VI. His accedant elogia, quibus hujus ordinis dignitatem, tanquam rei præſtantiſſimæ, ſcriptura commendat. Nempe pulchros eſſe pedes Euangelizantium, Eſai. 52.7. Apoſtolos eſſe lucem mundi & ſalem terræ, Matt. 5.13, 14. Eſſe loco Chriſti, Qui vos audit me audit, Luc. 10.16. Euangelii miniſterium eſſe adminiſtrationem Spiritus & juſtitiæ & vitæ æternæ, 2. Corinth. 3.6, 8, 9. & 4.6. Ita ſane illam gubernandæ Eccleſiæ rationem per miniſtros non ſancivit tantum, ſed ab omni contemtu Deus vindicavit. VII. Nec verbis modo hujus neceſſitatem, ſed etiam exemplis declaravit. Cornelius ab Angelo ad Petrũ docendus amandatur, Act. 10.3. Et Paulus, tametſi à Chriſto vocetur, tamen ad Ananiam remittitur Actor. 9.6. Vterque hominis magiſterio cõmittitur. Audeant nunc contemnere, vel ſupervacuum ducere miniſterium, cujus uſum tam præclaris documentis Deus teſtatum eſſe voluit. cap. 3. Sect. 1, 2, 3.

2. Conſtituta miniſterii neceſſitate, ſecundo loco videndum eſt, quinam ex Chriſti inſtitutione regimini Eccleſiæ præſint. Hi à Paulo nominantur. 1. Apoſtoli. 2. Prophetæ. 3. Euangeliſtæ.

4. Paſtores. 5. Doctores. Eph. 4.11. Ex his tre[s] priores Dominus initio regni ſui excitavit: duo ul[ti]mi ordinarium in Eccleſia munus habēt. c. 3. S. 4[.]

3. Apoſtolica functio conſtat ex mandato Chri[ſti], Marc. 16.15. Vbi jubentur, ubicumque gen[tium] poterunt ſpargere Euangelium, regnum Chri[ſti] erigere. Non ergo certi fines, ſed totus orbi[s] illis aſſignatur redigendus in obedientiam Chriſt[i]. Quod etiam Paulus ſe feciſſe gloriatur, Rom. 1[5.] 18, 19, 20. Primi fuerunt hi architecti Eccleſi[æ] per totum orbem fundandæ. cap. 3. S. 4.

4. Prophetas vocat non quoſlibet divinæ vo[luntatis] luntatis interpretes, ſed qui ſingulari revelatio[ne] excellebant. quales nunc vel nulli exſtant vel m[i]nus conſpicui. Euangeliſtæ Apoſtolis erant dign[i]tate minores, officio tamen proximi, adeoque v[i]ces eorum gerebant. Tales fuerunt Timotheus, T[i]tus, Lucas, fortaſſis etiam ſeptuaginta diſcipu[li] quos ſecundo loco ab Apoſtolis Chriſtus deſign[a]vit. cap. 3. Sect. 4.

5. Tres illæ functiones non fuerunt perpetu[æ] in Eccleſia, ſed inſtitutæ ad illud modo tempu[s] quo erigendæ erant Eccleſiæ, ubi nullæ antea fu[e]rant, vel certe à Moſe ad Chriſtum traducend[æ]. Hæc munera extraordinaria nuncupamus, qu[æ] in Eccleſiis rite conſtitutis locū non habent. N[on] negamus tamen quin extra ordinem Apoſto[los] quoque poſtea, vel ſaltem Euangeliſtas eorum [lo]co interdum excitarit Deus: ut noſtro temp[o]re factum eſt per eos, qui Eccleſiam ab Antichr[iſti] defectione reduxerunt. cap. 3. S. 4.

6. Paſtoribus & Doctoribus ordinariis nu[n]quam carere potuit Eccleſia. Inter hos illud diſc[ri]minis eſt, quod Doctores, nec diſciplinæ, nec [ſa]cramentorum adminiſtrationi, nec monitionib[us]

aut exhortationibus præſunt, ſed tantum ſcripturę interpretationi. Paſtorale autē munus hæc omnia in ſe continet. Habent autem Doctores ſimilitudinem aliquam cum Prophetis veteribus. Excellentius quidem fuit Propheticum munus, propter ſingulare revelationis donum. In officii tamen ratione & fine conveniunt. Paſtores eandem cum Apoſtolis, quibus Euangeliſtas conjungimus, provinciam ſuſtinere videntur, excepto quod certas ſinguli Eccleſias regunt. Et quidem ex ratione etymi omnes Miniſtri Eccleſiaſtici poſſent vocari Apoſtoli, quia miſſi ſunt & nuntii. Paulus etiam Andronicum & Iuniam inter Apoſtolos numerat, Rom. 16. 7. Tamen cum proprie loqui volumus, duodecim illos, quibus Paulum accenſemus, peculiari hoc titulo ſecundum Scripturam inſignire oportet, Matth. 10.1. cap. 3. S. 4, 5.

7. Quod ſit munus Paſtorum, ex Lege Apoſtolis data, quorum in locum ſuccedunt, colligi poteſt. Nam ſicut illis mandatum eſt, ut prædicent Euangelium, baptizent, & ſymbola corporis & ſanguinis Chriſti diſtribuant, Matth. 28.19. Luc. 22.19. Sic paſtoribus incumbit, ut Chriſti doctrina populū inſtituant, ſacra myſteria adminiſtrent, rectam diſciplinam exerceant & conſervent. Hinc miniſtri & diſpenſatores verbi vocantur, 1. Corint. 4. 1. qui ſint tenaces ſanæ doctrinę, per quam poſſint hortari & contradicentes refellere, Tit. 1.9. Docendi autem ratio non publica tantum, ſed privata quoque eſſe debet, exemplo Pauli Actor. 20. 20, 31. Denique ita præeſſe oportet, ut non otioſam habeant dignitatem, ne ſanguinem eorum qui pereunt de manibus ipſorum requirat Deus, Ezech. 3. 17. 1 Corinth. 9. 16. Vnde ſequitur eos, qui has officii mandati partes negligunt, falſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

prætexere Apoſtolorum perſonam. cap. 3. Sect. 6.

8. Quod ſingulis paſtoribus ſuas aſſignamus Eccleſias, non impedit, quo minus etiam alias juvare poſſint, ſive quid inciderit turbarum, quod eorum præſentiam requirat, ſive de re aliqua obſcuriore petatur conſilium. Vt tamen uni Eccleſiæ ſint alligati, utque ſuis quiſque finibus contentus in alienam provinciam non irrumpat, id putamus eſſe neceſſarium. 1. ad Eccleſiæ pacem retinendam, ne ſimul omnes tumultuentur. 2. ad confuſionem vitandam, ne ſine vocatione quilibet incerti diſcurrant, & ne vacuas Eccleſias deſerant, de ſuis magis commodis, quam de Eccleſiæ ædificatione ſolliciti. Ita Paulus per ſingulas Eccleſia presbyteros conſtituit, Act. 14. 22. Idemque Titum oppidatim facere præcipit, Tit. 1. 5. Quo pertinent Philippenſis, Coloſſenſis, & Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopi & presbyteri, quorum idem meminit, Phil. 1. 1. Col. 4. 17. Act. 20. 18. Quiſqui vero unius Eccleſiæ regimen ſuſcepit, ei ſe obligatum eſſe ſciat, ita ut nec de migratione debea cogitare, nec prout commodum putarit liberatio nem quærere. Transferri tamen poterit, ſi ita publica poſtulet utilitas, atque id rite fiat & ordin non privato conſilio, ſed publica authoritat cap. 3. Sect. 7.

9. Quod Epiſcopos, presbyteros, paſtores & Miniſtros promiſcue vocavimus, ex uſu Scriptur fecimus, quæ vocabula iſta confundit, Tit. 1. 5, Phil. 1. 1. Act. 20. 17, 28. cap. 3. S. 8.

10. Hactenus ea officia recenſuimus, quæ i verbi miniſterio conſiſtũt, de quibus agitur Eph. Sed Rom. 12. 7. 1. Cor. 12. 28. enumerantur p teſtates, donum ſanationum, interpretatio, g bernatio, pauperũ curatio. Ex his quædam offic

fueru

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

fuerunt temporaria. Duo autem ſunt, quæ perpetuo manent, gubernatio, & cura pauperum, cap. 3. Sect. 8.

11. Gubernatores fuiſſe cenſemus ſeniores è plebe electos, qui cenſuræ morum & exercendæ diſciplinæ una cum Epiſcopis præeſſent, quos Apoſtolus innuit, Rom. 12. 8. Hinc collectus eſt ſenatus conſcriptus ex viris piis, gravibus, & ſanctis, penes quem erat juriſdictio in corrigendis vitiis. Eſtque hoc gubernationis munus ſæculis omnibus neceſſarium. cap. 3. Sect. 8.

12. Cura pauperum diaconis mandata fuit. Videtur autem Paulus duos facere diſtinctos gradus, Rom. 12. 8. quum inquit, qui largitur, faciat hoc in ſimplicitate: qui miſeretur in hilaritate. Priore membro videtur deſignare diaconos, qui eleemoſynas adminiſtrabant. Altero eos qui ſe pauperibus & ægrotis curandis dedicaverant, præſertim viduas, de quibus 1. Tim. 5. 10. quod ſolum publicum officium mulieres obire poterant. Ita duo erunt genera Diaconorum. Latius quidem patet nomen Διακονίας, ſed ſcriptura hos ita ſpeciatim vocat, quos eleemoſynis diſpenſandis gerendæque pauperum curæ Eccleſia præficit, velut publicos pauperum ærarios, quorum origo, inſtitutio & functio deſcribitur, Act. 6. 3. c. 3. S. 9.

13. De vocatione Miniſtrorum etiam agendum eſt. Vult Deus ordine omnia & decenter in Eccleſia fieri. Itaque ne homines imperiti ac turbulenti temere ad docendum vel regendum ſeſe ingerant, hæc cautio ſit, ne quis ſine vocatione publicum in Eccleſia munus uſurpet. Omnino enim, ut quis cenſeatur verus Miniſter, hæc duo requiruntur, ut. 1. ſit rite vocatus. 2. Vt ſuæ vocationi reſpondeat. Ideo Paulus, cum ſua in mu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nere obeundo fidelitate, vocationem ſemper fere conjunctim allegat. Quanto minus ergo licebit alteri alicui mortalium hunc honorem ſibi poſtulare, ſi vel utroque vel altero iſtorum ſit deſtitutus. cap. 3. Sect. 10.

14. Hæc tractatio de vocatione in quatuor capitibus verſatur: ut ſciamus 1. quales. 2. qualiter. 3. à quibus ſint inſtituendi miniſtri. 4. quo ritu ſint initiandi. Primum autem diſtinguimus externam vocationem, quæ ad publicum Eccleſiæ ordinem ſpectat, ab arcana illa, cujus ſibi quisque Miniſter coram Deo conſcius eſt. Eſt autem hoc boni cordis noſtri teſtimonium, quod neque ambitione, neque avaritia, aut alia cupiditate, ſed ſincero Dei timore, & ædificandæ Eccleſiæ ſtudio, munus oblatum recipiamus. Atque hoc unicuique neceſſarium eſt, ſi velit miniſterium ſuum Deo approbare. Opus tamen eſt altera quoque ſolenni Eccleſiæ vocatione; coram qua rite vocatus cenſebitur, etiam is, qui mala conſcientia acceſſit, modo non ſit aperta ejus nequitia. c. 3. S. 11.

15. I. Quales vocandi ſint, Paulus duobus locis, 1 Tim. 3. 2, 3, 4, &c. Tit. 1. 9. copioſe explicat. Summa huc redit, non eſſe eligendos, niſi qui ſint ſanæ doctrinæ, & ſanctæ vitæ, nec aliquo vitio notabiles, qui ad ſuſtinendum onus quod imponitur non ſint impares aut inepti. De Senioribus & Diaconis ſimilis eſt ratio. Sic Chriſtus miſſurus Apoſtolos armis & inſtrumentis neceſſariis exornavit, Luc. 21, 15. & 24, 49. Marc. 16, 15. Act. 1. 8. Paulus etiam Timotheum monet, ne cuiquam cito manus imponat, 1. Tim. 5, 22. Quod autem privatos homines ſolemus dicere ad Miniſterium eſſe vocatos, quos aptos & idoneos ad id obeundum videmus, hoc inde fit, quod eruditio cum

pietate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

pietate aliiſque dotibus conjuncta, quædam præparatio eſt ad miniſterium. Neque enim fruſtra his donis inſtructi videntur, quia Dominus, quos tanto muneri deſtinavit, his armis pręparatos mittere ſolet. Ideo Paulus de officiis diſputans, 1. Corinth. 12, 7. dona prius recenſet, quibus vocati pollere debent. Sed ordinis cauſa hæc cura potiſſimum Eccleſiam ſpectat, cap. 3. Sect. 11, 12.

16. II. Qualiter eligendi ſint, non ad ritum, ſed ad religioſum timorem referimus, qui ſervandus eſt in electione. Huc pertinent jejunia, & potiſſimum preces, quibus ſpiritus conſilii & diſcretionis à Deo poſtulatur. Sic fecerunt fideles, Actor. 14, 23. In re ſane maxime omnium ſeria nihil tentandum, niſi cum ſumma reverentia & ſollicitudine. cap. 3. Sect. 12.

17. III. A quibus electio fieri debeat, ex Apoſtolorum inſtitutione certo definiri non poteſt. Quia enim extraordinarium erat miniſterium, non humana electione, ſed ipſius Domini ore vocari debuerunt, ut aliqua inſigniori nota conſpicui eſſent. Hinc quum alius Apoſtolus Iudæ eſſet ſubſtituendus, duos in medium producunt, ut Dominus ſorte declaret, utrũ ex iis elegerit, Act. 1, 23. Hoc ſenſu Paulus ſe, nec ab hominibus, nec per hominem, creatum fuiſſe Apoſtolum dicit. Prius omnibus quoq; piis miniſtris eſt cõmune: omnes enim à Deo vocari convenit. poſterius proprium & ſingulare Paulo fuit, ne tantum inſtar vulgaris alicujus Epiſcopi delectus eſſe videatur, ſed ut verus Apoſtolus, nihilo reliquis Apoſtolis inferior, ſalvam prædicationis ſuæ & Apoſtolatus dignitatem obtineat, Gal. 1, 1, 12. Ordinarii vero Epiſcopi, ut ab hominibus deſignentur, ordo legitimæ vocationis poſtulat. Quod ita verum eſt, ut etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

aliquoties Dominus Eccleſiaſticę vocationis diſci-
plina eos uti voluerit, quos ſingulari prærogativa
per ſeipſum deſignaverat. Sic Paulo & Barnabæ
imponuntur manus, Act. 13,3. Et Matthiæ electio
teſtimonium accipit è cælo, nec tamen omnino
præteritur Eccleſiæ politia, Act. 1,23.c.3.S. 13,14.

18. Quæritur nunc, à totane Eccleſia eligi Mi-
niſter debeat, an à collegis tantum & ſenioribus,
an vero unius authoritate conſtitui poſſit. Qui-
dam hoc jus ad unum hominem deferunt, quia
Paulus Titum juſſerit oppidatim conſtituere preſ-
byteros Tit. 1. 5. Et Timotheo ſcripſerit ne manus
cito imponeret, 1. Tim. 5. 22. Reſp. His locis qui-
dem doceri, Timotheum & Titum præfuiſſe ele-
ctionibus, non ita tamen, ut ſoli excluſis aliis ſuo
arbitrio omnia diſponerent. Nam ne Paulus qui-
dem hoc ſibi arrogavit. Imo cum dicitur una cum
Barnaba preſbyteros conſtituiſſe per Eccleſias,
modus ſimul innuitur, quod fecerint χειροτονή-
σαντες; unde patet creationem illam populi ſuf-
fragiis eſſe factam: Apoſtolos vero illa ſuffragia
recepiſſe & populum moderatos eſſe in eligendo.
Sic ergo intelligendi ſunt ſuperiores loci, ut ne
quid de Eccleſiæ jure imminuant. Et Cyprianus
hoc ex authoritate divina deſcendere contendit,
ut ſacerdos, plebe preſente, ſub omnium oculis
deligatur: ſic olim ſacerdotes Leviticos ante con-
ſecrationem in conſpectum populi productos fuiſ-
ſe: nec aliter Matthiam aſcriptum collegio Apo-
ſtolorum, Actor. 1. 15. nec ſeptem diaconos crea-
tos Act. 6. 2. quam populo vidente & approbante.
Atque hac ratione ordinationem eſſe juſtam & le-
gitimam, cum omnium teſtimonio fuerit exami-
nata. Habemus ergo hanc eſſe Legitimam miniſtri
vocationem, ubi ex populi conſenſu & approba-
tione

tione creantur, qui viſi fuerint idonei : præeſſe autem debere electioni alios paſtores, ne quid per levitatem, aut mala ſtudia, aut per tumultum à multitudine peccetur. cap. 3. Sect. 15.

19. IV. Supereſt ritus ordinandi. Conſtat autem Apoſtolos non alia cęremonia uſos eſſe, quum aliquem miniſterio admovebant, quam manuum impoſitione. Et videtur hic ritus fluxiſſe ab Hebræorum more, qui quod benedictum & conſecratum volebant, manuum impoſitione Deo quaſi repræſentabant, Gen. 48. 14. Matth. 19. 15. Quo ſignificatu etiam Iudæi ſuis ſacrificiis manus impoſuiſſe videntur. Hunc morem ſequuti Apoſtoli, per manuum impoſitionem eum ſe Deo offerre ſignificabant, quem initiabant in Miniſterium. Quanquam hoc etiam ritu uſi ſunt ſuper eos, quibus viſibiles gratias cōferebant, Act. 19. 6. & 8. 17. Hoc ergo ſolenni ritu paſtores & doctores & diaconos conſecrabant. De perpetuo ejus uſu nullum quidem exſtat præceptum. Tamen accurata ejus inter Apoſtolos obſervatio, præcepti vice nobis eſſe debet. Nec ſua caret utilitate. Hoc enim ſymbolo. 1. miniſterii dignitas populo commendatur. 2. ordinatus admonetur ipſum jam non eſſe ſui juris, ſed Deo & Eccleſiæ in ſervitutē addictum. 3. Non erit inane ſignum & abſque fructu, ſi ad germanam ſuam originem revocetur: quia Spiritus S. nihil fruſtra inſtituit in Eccleſia. Caveatur tantum ſuperſtitioſus abuſus. c. 3. S. 16.

20. Denique notandum eſt, non univerſam multitudinem, ſed ſolos paſtores manus impoſuiſſe miniſtris. An autem plures hoc ſemper fecerint nec ne, incertum eſt. De Diaconis quidem, Act. 6. 6. De Paulo & Barnaba, Act. 13. 3. legitur plures adhibitos fuiſſe. Sed Paulus 2. Tim. 1. 6.

in ordinando Timotheo hoc ſibi ſoli videtur tribuere. Nam quod 1 Timoth. 4. 14. etiam preſbyterio tribuitur, id non tam de ſeniorum collegio, quam de preſbyteri officio accipi poteſt, cap. 3. Sect. 16.

21. Et hæc quidẽ fuit ratio gubernandæ Eccleſiæ à Chriſto inſtituta. Hujus imaginem in veteri Eccleſia licet recognoſcere. Nam tametſi canones multi aliquid amplius videntur exprimere, eam nihilominus cautionem adhibuerunt, ut nihil fere hac parte habuerint à Dei verbo alienum. Sane ſicut triplices Miniſtros commendat Scriptura, ita vetus Eccleſia ſuos quoq; in tres ordines diſtinxit. I. Paſtorum ac Doctorum, quos ex ordine preſbyterorum eligebant. II. Preſbyterorum, qui cenſuræ morum præerant. III. Diaconorum, quibus eleemoſynarũ diſpenſatio commiſſa erat. Habebant etiam Lectores & Acoluthos, quos ex clericis aſſumebant & ab adoleſcentia certis exercitiis aſſuefaciebant ad ſerviendum Eccleſiæ. Hieronymus quinque ordines Eccleſiæ recenſet, Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos, Fideles, Catechumenos: reliquo clero & monachis proprium locum nullum tribuit. c. 4. S. 1.

22. Quibus docendi munus erat injunctum, eos omnes nominabant preſbyteros. Illi ex ſuo numero in ſingulis civitatibus unum eligebant, quem Epiſcopum vocavere. Hujus munus erat, non dominari in collegas, ſed de negotiis referre, ſententiam rogare, conſulendo, & monendo hortando aliis præire, authoritate ſua totam actionem regere, quod communi conſilio decretum erat, exequi. Cauſam hujus inſtituti Hieronymus ad temporum neceſſitatem, & humanum conſenſum refert. Nam antequam diſſidia fierent in religione,
com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

communi conſilio preſbyterorum Eccleſię gubernabantur. Poſt, ne ex æqualitate diſſidia naſcerentur, ad unum omnis ſollicitudo eſt delata, qui ſic alios dignitate pręcederet, ut tamen fratrum cœtui ſubjiceretur. Alibi quidem valde antiquum fuiſſe hoc inſtitutum exemplo Eccleſiæ Alexandrinæ probat idem Hieronymus. Attamen hoc ipſum magis ex Eccleſiæ conſuetudine, quam Dominicæ veritatis diſpoſitione deſcendiſſe ait. Habebant ergo ſingulæ civitates Preſbyterorum collegium, qui Paſtores erant & Doctores. His politiæ tantum & pacis conſervandæ cauſa unus Epiſcopus præerat, ſic tamen, ut fratrum cœtui ſubjiceretur. Iam unicuique civitati erat attributa certa regio, quæ ex illo collegio preſbyteros ſumebat, & veluti corpori Eccleſiæ illius accenſebatur. Quod ſi amplior erat ager, quam ut unius Epiſcopi muniis ſufficere poſſet, per ipſum agrum certis locis deſignabantur Preſbyteri, qui vices ejus in minoribus negotiis obirent, quos Chorepiſcopos nominabant. c. 4. S. 2.

23. Interea omnes tam Epiſcopum quam Preſbyteros Verbi & ſacramentorum diſpenſationi incumbere oportuit. Et portenti inſtar habitum fuiſſet, ſi quis pro Epiſcopo ſe venditaſſet, qui ſana doctrina & verbo Dei Eccleſiam paſcere deſtitiſſet. Cujus rei teſtis luculentus eſt Gregorius Magnus, cujus tempore non fuiſſet tolerabile Epiſcopum à concionibus abſtinere. Quod aliquando Alexandrię inſtitutum fuit, ne preſbyter ad populum concioñe haberet, id propter Artium factum eſt, ideoque in exemplum trahi non poteſt. c. 4. S. 3.

24. Poſtea etiam per ſingulas provincias electi ſunt Archiepiſcopi, qui Epiſcopis: & tempore Nicenæ Synodi Patriarchæ, qui Archiepiſcopis dignitate eſſent ſuperiores. Idque ad diſciplinæ conſer-

vatio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

vationem pertinebat: ſic tamen ut rariſſimi eſſet uſus, nec adhiberi ſolitum, niſi quando cauſa incidiſſet, quæ à paucis bene expediri non poterat. Tunc enim ad Synodum provincialem referebatur: aut ſi difficultas cauſæ majorem diſcuſſionem poſtularet, adhibebantur Patriarchæ una cum Synodis, à quibus non dabatur provocatio, niſi ad univerſale concilium. Hanc gubernationem nonnulli vocarunt Hierarchiam, ſed nomine improprio & ſcripturis inuſitato, quæ dominationem in Eccleſiæ gubernatione non agnoſcunt. c.4.S.4.

25. Nec alia tunc fuit Diaconorum ratio, quam ſub Apoſtolis. Hi annuos Eccleſiæ proventus & oblationes fidelium quotidianas recipiebant, & partim Miniſtris, partim pauperibus alendis diſtribuebant: Epiſcopi tamen arbitrio. cujus erat præſcribere, quinam eſſent publice alendi, & quantum cuique erogandum: item providere, ut quiſque officium fideliter faceret: cui denique rationes œconomiæ ſuæ quotannis reddere tenebantur. Qua de cauſa Canones Epiſcopum ubique faciunt bonorum Eccleſiæ diſpenſatorem, ſic tamen ut ei non liceret abſque Diaconorum conſcientia res Eccleſiæ pertrectare. Hypodiaconi videntur Diaconis attributi, ut eorum opera circa pauperes uterentur. Poſtquam facultatum amplitudo crevit, ad exactiorem adminiſtrandi rationem creati fuerunt Archidiaconi, penes quos fuit ſumma redituum, poſſeſſionum, ſupellectilis, & quotidianarum oblationum procuratio. His quoque ad populum lectio dabatur & hortatio ad precandum & calicis in S. Cœna porrectio. Quod factum videtur tum muneris ornandi cauſa, tum ut majori religione illud obirent. cap. 4. S. 5.

26. Hinc etiam judicare licet, quis fuerit bonorum

rum Eccleſiaſticorum uſus & qualis diſpenſatio. Id omnes teſtantur, quicquid poſſideret Eccleſia, vel in fundis, vel in pecunia, habitum fuiſſe pro patrimonio pauperum, quod nec mala fide ſupprimere, nec dilapidare liceat. Sed quia Domini Lege ſancitum eſt & æquitas poſtulat, ut qui ſuam Eccleſiæ operam impendunt, publicis Eccleſiæ ſumtibus alantur, præſertim qui voluntarie patrimonia ſua Deo conſecrarant, talis fuit bonorum iſtorum diſtributio, ut nec miniſtris deeſſent alimenta, nec pauperes negligerentur. Cavebatur interim, ne miniſtri datis ad luxum aut delitias abuterentur. cap. 4. S. 6.

27. Horum bonorum adminiſtratio principio libera fuit, quum Epiſcopi & Diaconi ſponte, & ex dictamine conſcientiæ, fideles eſſent. Poſt ad corrigenda cupiditatis & pravorum ſtudiorum vitia certis canonibus cautum eſt, ut Eccleſiæ reditus in quatuor partes dividerentur, quarum unam aſſignarunt clericis, alteram pauperibus, tertiam ſacris ædibus & ædificiis, quartam advenis pauperibus. Nam quod hanc poſtremam Epiſcopo aſſignarunt, non ideo factum eſt, quod ejus propriam eſſe vellent, aut quod pro lubitu eam profundere liceret, ſed ut hoſpilitatem exercere poſſet: teſte Gelaſio & Gregorio. Vnde etiam ſi quis inſoleſcere cœpiſſet luxu vel oſtentatione, ſtatim à collegis reprimebatur, & niſi paruiſſet, honore abdicabatur. cap. 4. Sect. 7.

28. Quod in Sacrorum ornatum conferebant, id primo perquam exiguum erat. Vbi ditior facta eſt Eccleſia, non ceſſavit tamen ea in re ſervare mediocritatem. Quidquid vero illic pecuniæ collocabatur, ſalvum pauperibus manebat, ſi qua major neceſſitas incidiſſet; uti conſtat ex Cyrilli, Aca-

tii,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tii, Exuperii & Ambroſii exemplis. Ajebant enim, Deum non habere opus calicibus, non edere aut bibere: ſine auro miſiſſe Apoſtolos, & Eccleſias congregaſſe: Eccleſiam habere aurum, non ut ſervet, ſed ut eroget: præſtare, ut inde alantur pauperes, ſi alia ſubſidia deſint, quam ut præda fiant hoſti, quam ut inopes fame moriantur, captivi non redimantur: melius ſervari vaſa viventium, quam metallorum: Sacramenta non quærere aurum: &c. cap. 4. Sect. 8.

29. Hæc fuerunt miniſteria veteris Eccleſiæ. Alia, quorum alicubi fit mentio, magis exercitia fuerunt, & quædam præparationes, quam certa munera. In hoc ordine cenſemus tyrocinia adoleſcentum, qui generali nomine vocabantur clerici: quod nomen minus proprium eſſe fatemur, quum tota Eccleſia ſit clerus & hæreditas Domini, 1 Petr. 5. 3. Ipſum tamen inſtitutum ſanctum fuit & utile, ut qui ex parentum conſenſu ſuam operam Eccleſiæ conſecrare vellent, primum ſub Epiſcopi cuſtodia educarentur, à prima adoleſcentia ſanctam doctrinam imbiberent, gravitatis ſanctitatiſque quendam habitum induerent, à curis profanis alieni ſtudiis ſpiritualibus aſſuefierent, atque ita præformati ad Eccleſiæ miniſterium accederent. Huc pertinebat, quod certis rudimentis eos in clericatu exercerent. Quibus aperiendi & claudendi templi cura demandabatur, dicebantur oſtiarii. Acoluthos vocabant, qui Epiſcopo domeſticis obſequiis aderant, eumque perpetuo comitabantur, partim honoris cauſa, partim ne qua ſuſpicio naſceretur. Lectores nominabant, quibus locus legendi in ſuggeſtu dabatur: idque ut paulatim innoteſcerent populo; ſimul etiam ut diſcerent ferre omnium conſpectum, ne quum ad docendum

pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

prodeundum eſſet, pudore confunderentur. In hunc modum gradatim promovebantur, donec approbata ſua ſedulitate in ſingulis exercitiis hypodiaconi fiebant. Non tam igitur functiones quam tyronum fuerunt rudimenta cap. 4. S. 9.

30. Porro videndum quem ordinem ſervarint in vocatione Miniſtrorum. In ea vero Pauli præſcriptum & Apoſtolorum exemplum maxime ſequuti ſunt. Primum, quando eligendus eſſet Paſtor, ſumma cum reverentia ac ſollicita nominis Dei invocatione ſolebant convenire. Adhæc formulam habebant examinis ad regulam Pauli quoad vitam & doctrinam eligendorum. Atque hic videntur plus juſto ſeveriores fuiſſe, quod plura requirerent in Epiſcopo quam Paulus juſſerat, præſertim ſucceſſu temporis cælibatum. In cæteris cum Pauli deſcriptione conveniunt. c. 4. S. 10.

31. In eo autem, quinam miniſtros inſtituere debeant, non eundē ſemper tenuerunt ordinem. Antiquitus ne in clericorum quidem cœtum recipiebatur quiſpiam, ſine conſenſu totius plebis. Sed quia in minoribus exercitiis non multum erat periculi, quod ad diuturnam probationem & non magnam functionem aſſumerentur, rogari conſenſus plebis deſiit. Poſtea in reliquis quoque ordinibus, excepto Epiſcopatu, plebs Epiſcopo ac Preſbyteris rem fere permiſit: niſi forte Parochiis novi Preſbyteri deſtinarentur, quo caſu populum nominatim conſentire oportuit. Breviter nullus promovebatur, de quo non revera multis annis habitum eſſet ſub populi oculis examen. Et erant multi Canones ad punienda eorum vitia, qui ſe male gererent. In preſbyteris tamen ſemper exigebatur civium conſenſus. Ideo denique omnes ordinationes ſtatis fiebant temporibus, ne quis clan-

cu[l]um,

culum, aut nimia facilitate, abſque teſtibus promoveretur. cap. 4. S. 10.

32. In eligendis autem Epiſcopis diu ſua Eccleſiæ libertas fuit conſervata, ne quis obtruderetur, qui non omnibus acceptus eſſet: ut Concilii Antiocheni & Leonis decreta teſtantur. Is, inquit, eligatur, qui à clericis electus, à plebe expetitus fuerit, & à provincialibus cum metropolitani judicio conſecretur. Adeoque ne Synodus quidem univerſalis Conſtantinopolitana Nectarium ordinare voluit, ſine totius populi & cleri approbatione. Et ſi quis Epiſcopus ſucceſſorem ſibi deſignaſſet, non aliter ratum erat, quam ubi populus idem ſciſceret: ut videre eſt apud Auguſtinum in nominatione Eradii. Idem teſtatur Theodoritus, quum Petrus ab Athanaſio ſucceſſor eſſet nominatus, Sacerdotalem ordinem id ratum habuiſſe, magiſtratum & primores populumque univerſum ſua acclamatione approbaſſe. cap. 4. S. 11.

33. Ne autem ab inconſiderata multitudine incertis ſtudiis electio turbaretur, aut clerici & primores abriperentur, hoc remedio uſi ſunt, ut primum ſoli clerici eligerent, electum magiſtratui vel Senatui ac primoribus offerrent. Illi electionem, ſi juſta videbatur, conſignabant. Sin minus, alius eligebatur, quem magis probarent; tum ad multitudinem res deferebatur. Aut ſi à multitudine principium fieret, hoc agebatur, ut ſciri poſſet, quem potiſſimum expeteret: auditis autem populariun votis clerici demum eligebant. Quo ſpectat teſtimonium Leonis epiſt. 87. Et Canon Concilii Laodicenſis c. 13. Hæc eligendi ratio adhuc ætate Gregorii valebat, ut variæ ejus epiſtolæ teſtantur. Idemque ſcivit Nicolaus Papa de Pontificis Romani electione. Id peculiare fuit Romæ, ſicut &

Con-

Conſtantinopoli quod duæ eſſent imperii ſedes, ut Imperatoris ſuffragium requireretur. Cui conſuetudini non repugnant à Gratiano allegata decreta. Aliud enim eſt ſpoliare Eccleſiam ſuo jure, & ad unius hominis libidinem transferre, aliud hoc honoris Imperatori dare, ut ſua authoritate legitimam electionem confirmet. c. 4. S. 12, 13.

34. Quo ritu poſt electionem in miniſtri initiatione vel ordinatione aut conſecratione veteres uſi ſint, liquet ex decreto Concilii Niceni & verbis Cypriani epiſt. 4. l. 2. Summa hæc eſt. Metropolites cum omnibus provinciæ epiſcopis conveniebat ad eum, qui electus fuerat, ordinandum: ſæpe etiam electioni intereſſe ſolebant. Si pars aliqua ob cauſas neceſſarias impediretur, tres ad minimum conveniebant: abſentes per literas conſenſum teſtabantur. Scopus erat juſtus, ut de doctrina & moribus ordinandi haberetur examen. Vide Cyprian. ep. 4. l. 2. Qui tamen mos per ambitionem paulatim inolevit, ut metropolim ad petendam ordinationem electi concederent. Quæ depravatio, aucta Romanæ ſedis authoritate, in deterius abiit, ut totius fere Italiæ Epiſcopi conſecrationem inde peterent, niſi quod aliquandiu ſolæ metropoles ſuum ſibi privilegium ſervaſſe vidētur. c. 4. S. 14. 15.

35. Cæterum ritus erat manuum impoſitio. Epiſcopi vero à Preſbyteris certo ornatu in ſolenni cœtu diſtinguebantur. Preſbyteros autem & Diaconos ſola manuum impoſitione ordinabant. Atque hic præibat Epiſcopus. Vnde factum eſt, ut ipſius diceretur ordinatio. Eademque cauſa eſt quod non alia re Epiſcopum à Preſbytero diſcernerent, niſi quod hic ordinandi poteſtatem non haberet. cap. 4. S. 15.

36. Hactenus Eccleſiæ tum primitivæ, tum veteris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

teris, quæ ſequuta eſt, politiam vidimus. Hinc facile eſt colligere qualem Eccleſiam hodie Romana ſedes habeat. Incipiemus autem à vocatione, primumque locum dabimus Epiſcopis. Quales autem eligantur, res ipſa clamat. A multis annis vix aliquis eſt electus, qui ſacræ doctrinæ aliquid teneret. Examen doctrinæ aut nullum aut ridiculum. ſi mores ſpectes, diſſoluti plerique. Et ut impudentiam agnoſcas, etiam decennes pueri Papæ conceſſione Epiſcopi facti ſunt. Religioſa hic nulla electio. cap. 5. S. 1.

37. Iam in eligendo totum jus populi ſublatum eſt, & ad ſolos Canonicos integra poteſtas tranſlata, contra Leonis & Cypriani & multorum Synodorum placita. Quod ajunt temporum corruptionem huc eos adegiſſe : tum vero Canonicis exacte præſcriptum, quid in electione ſequi debeant, Reſp. I. At Canonici regulas non obſervant. peſſimos ſcortatores, ebrioſos, aleones, venatores potiſſimum & aucupes promovent. Ergo tempus eſt, ut ab illis denuo ad alios poteſtas transferatur. II. Habebat etiam plebs exactam eligendi regulam, verbo Dei præſcriptam, quam ſi non ſequeretur, aliis viis provideri poterat, ut vitiis obviam iretur, & admiſſa corrigerentur. Nam & olim in eligendis Epiſcopis tumultuatas fuiſſe urbes legimus : nemo tamen de auferendo civibus jure ſuo cogitare auſus eſt. III. Non hæc vera cauſa eſt. Negligentia populi, qui hanc curam in Preſbyteros rejecerat, & Preſbyterorum ambitio viam huic tyrannidi aperuerunt, quam poſtea novis Canonibus ſtabilierunt. IV. Ex hoc inordinato more Principes anſam cœperunt ſibi aſſumere jus præſentandi Epiſcopos, quod alicubi pactione impetrarunt à Pontificibus Romanis. Malo certe exem-

exemplo, quando ex aula mittitur Epiſcopus ad occupandas Eccleſias, & obtruditur populo, quem non petierit, vel ſaltem libera voce non approbarit. A qua Eccleſiæ ſpoliatione æquum eſſet Principes abſtinere. Merito tamen Canonicis electionem ademerunt, quam nullo jure rapuerant, ut ſuum eſſet beneficium, non Canonicorum, quibus illa non competebat, & qui non minus perperam ea abutebantur. Hæc ſcilicet illa præclara eſt vocatio, cujus cauſa Epiſcopi ſe Apoſtolorum ſucceſſores eſſe jactant. De ordinatione & examine nihil addimus, quia inania tantum ſunt & jejuna ludibria. cap. 5. S. 2, 3.

38. Preſbyteros creandi jus ſibi ſolis arrogant Epiſcopi. Illud I. peſſime, quod ſine plebis conſenſu. II. Quod non creant Preſbyteros, qui populum regant ac paſcant, ſed ſacerdotes, qui ſacrificant. Similiter Diaconos ad certas modo cæremonias circa calicem & patinam ordinant. III. Locum certum non aſſignant ordinatis, ubi munus ſuum exerceant: plane contra Decretum Synodi Chalcedonenſis, quod vetat abſolutas fieri ordinationes, idque non ſine cauſa. I. Ne onerentur Eccleſiæ ſupervacuo ſumtu. & 2. ut ſciant munus certum ſibi mandari, quod obire debeant. Romanenſes contra titulum duntaxat tribuunt, hoc eſt, reditum aliquem qui ad alimoniam ſufficiat: ideoque ordinem libentius illis conferunt, qui ſatis divites ſunt ad ſe alendos. Iam quia recentiores Canones, ad reprimendam nimiam facilitatem Epiſcoporum, damnant eos alimonia iſtorum, quos ſine idoneo titulo ordinaſſent, cautio excogitata eſt, qua eluderent pœnam. Paciſcuntur enim cum illo qui titulum accipit, ſe eo fore contentum. Atque ſic ab alimenti actione depellitur. Accedunt

aliæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

aliæ fraudes, quas ementitis titulis & arcanis ſti pulationibus de commodato ſacerdotio exercent. In quibus omnibus longiſſime à prima inſtitutione recedunt, veterem autem politiam corrumpunt. Nam legitima Preſbyteri ordinatio eſt ad certæ Eccleſiæ gubernationem; Diaconi, ad eleemoſynæ procurationem vocari. IV. Quod ridiculis utuntur cæremoniis vel ex Iudaiſmo accerſitis, vel ex ſeipſis confictis. De vero examine, populi conſenſu, aliiſque neceſſariis nulla mentio. Epiſcopi per vicarios examinaturi rogant, an legere miſſas poſſint: an vocem aliquam vulgarem declinare aut conjugare, &c. Nec tamen qui his quoque puerilibus deficiunt, à ſacerdotio repelluntur, modo aliquam pecuniæ vel gratiæ commendationem attulerint. jam quum ad altare ordinandi admoventur, quæritur ter voce non intellecta, ſintne digni honore: reſpondet unus, qui forte eos nunquam vidit, digni ſunt. In tam apertis ſacrilegiis Deum & homines rident: & quia in diuturna hujus rei poſſeſſione verſantur, ne hiſcere quidem contra permittunt. cap. 5. S. 4, 5.

39. In beneficiorum collationibus, quæ nunc contra morem ab ordinatione ſeparata ſunt, nihilo melius agunt. Non ſoli Epiſcopi conferunt ſacerdotia, nec plenum jus habent etiam in iis, quorum collatores dicuntur, quia præſentatio aliis competit, Epiſcopi collationis titulum retinent honoris cauſa. Accedunt nominationes ex Scholis, reſignationes ſimplices, vel permutationis cauſa factæ: reſcripta commendatitia, præventiones, & id genus alia. In his ita ſe gerunt omnes, & Papa, & Legati, & Abbates, Priores, Canonici, Patroni laici, ut nullus habeat, quod alteri exprobret, nullus culpam Simoniæ excuſare poſſit, qua-

licet

liter olim Simoniam definiverunt. Alii numerato pretio emunt: alii obliqua commendatione, cognatione, affinitate, parentum authoritate, obſequiis, & favore ad Sacerdotium perveniunt. Nec jam ut Eccleſiis, ſed ut iis proſpiciatur qui accipiunt, Sacerdotia conferuntur: ut non immerito beneficia vocari ſoleant. Iam vero quantus abuſus, quod in perſonas indigniſſimas ſæpius hæc præmia conferuntur? quod nullis fere litibus magis judicia perſtrepunt, quam ob Sacerdotia? Illud vero portentum majus eſt, quod unus homo, ſæpe ineptiſſimus, quinque aut ſex Eccleſiis gubernandis præficitur. Videas in aulis Principum adoleſcentulos, qui habent Archiepiſcopatum unum, duos Epiſcopatus, tres Abbatias: Canonicos quinque ſex aut ſeptem Sacerdotiis onuſtos, quorum nullam prorſus, niſi in recipiendo proventu, curam habent. idque plane contra Dei verbum, contra ſanctiones Conciliorum, contra ipſam naturam, ut Paſtor nominetur, qui gregi ſuo adeſſe, etiamſi velit, nequeat. Hæc ſcilicet illa ſacroſancta eſt ſucceſſio, quæ facit, quo minus Eccleſia pereat. cap. 5. S. 6, 7.

40. Diximus de vocatione, quæ prima nota eſt in æſtimando legitimo paſtore. Sequitur altera, quæ eſt, ut fideliter munus ſuum exerceat. Iam inquiramus quomodo hoc fiat in Papatu. I. Prodeant Sacerdotes. Ex his alii ſunt Monachi, alii ſeculares. Prior grex incognitus fuit veteri Eccleſiæ, adeo ut Monachum & Sacerdotem ſimul eſſe non liceret: qui vero in clerum ex monaſteriis cooptarentur, monachi eſſe deſinerent. Et Gregorius ipſe alterum alteri impedimento eſſe aſſerit. Si ergo Canones talem aliquem non idoneum eſſe declarant, quomodo munus ſuum bene implebit? Regerunt?

gerunt quidem nobis nova Innocentii & Bonifacii Decreta, quibus hoc Monachis permiſſum ſit. Reſp. I. Qua authoritate ſe toti antiquitati opponunt? At abſurdum ſemper viſum fuit Eccleſiæ puriori, ſi Monachus Sacerdotio fungeretur. Et Hieronymus inter Monachos degens negat ſe Sacerdotis facere officium. II. Cum ex Monachis alii concionentur, alii cantillent, vel demurmurent Miſſas in ſuis clauſtris, nulli permiſſum ſit Sacramenta adminiſtrare, aut quidpiam publici muneris agere, quomodo exercent munus Preſbyteri, cujus proprium eſt Eccleſiam regere? cap. 5. S. 8.

41. II. Veniamus ad ſeculares. Hi partim beneficiarii ſunt, id eſt, habent Sacerdotia, unde alantur: partim quotidianas operas locant miſſando vel canendo, unde quaſi collecta ſtipe victitant. Hi nullum, quod exerceant, legitimum habent officium, non docendi locum, non plebem, quam gubernent. Nihil illis reliquum præter altare, in quo ſacrificent, nullum niſi in Miſſarum nundinatione opus aut ſtipendium habent. Hinc velut mercenarii paſſim diſcurrere, & ad turpem quæſtum Miſſas ſuas exponere, cum ſummo Eccleſiæ dedecore. cap. 5. S. 9.

42. Beneficiarii aut curam habent animarum, ut Epiſcopatus & Parochiæ; aut ſtipendia ſunt hominum delicatorum, qui cantillando vivunt, ut præbendæ, Canonicatus, dignitates, Capellaniæ & ſimilia. Atque hi poſteriores otioſis ſacerdotiis aluntur: Verbi prædicationem, curam diſciplinæ & Sacramentorum, tanquam onera nimis moleſta à ſe depulerunt. Tamen Preſbyteros ſe eſſe jactant. Sed falſo. Nam I. quid cantus & cæremoniarum pompa ad Pauli definitionem, qua veros Preſbyteros nobis expreſſit? 2. Idem pugnat cum con-

conſuetudine primæ Eccleſiæ, & cum vetuſtis Canonibus. 3. Omnes iſti ordines, quibuſcunque titulis inſigniantur, novitii ſunt, locum nullum habent in regimine Eccleſiæ, & proinde falſo honorem Preſbyteri uſurpant. cap. 5. S. 10.

43. Quos priores nominavimus inter beneficiarios, Epiſcopi & Parochi, ne hoc quidem nomine ſe dignos eſſe demonſtrant. Nam quotuſquiſque eſt qui Eccleſiæ ſuæ regimen vel in ſpecie obeat? qui in Eccleſia ſua reſideat? qui concionetur? qui reliquas ſui muneris partes exerceat? Aliis Eccleſiarum curam committunt. Ipſi ne inſpiciendi quidem cauſa unquam accedunt, quarum tamen reditus tota vita devorant. Aut ſi quotannis ſemel venerint, aut œconomum miſerint, de locatione bonorum tantum ſolliciti ſunt. Paſtores videri & nominari volunt, & tamen eſſe nolunt. Non eſt paſtor gregis, qui gregem non paſcit, qui ovem ex eo nullam forte unquam viderit. Et jam ſua ætate hac de re graviter conqueſtus eſt Gregorius, quum Eccleſiarum rectores videret in docendo eſſe negligentiores. Multi (inquit) Sacerdotes ſunt, ſed rari operatores, opus officii non implent: Domini ſunt, non patres: mercedem captant, operari nolunt: ad exteriora negotia dilapſi aliud ſuſcipiunt, aliud præſtant: honoris nomen non virtutis tenent, idque ad pœnam. Sic etiam Bernardus pejori ſeculo acerbiſſime invehitur in totum ordinem. c. 5. S. 11, 12.

44. Iam ſi totam gubernationis Eccleſiaſticæ faciem in Papiſmo, qualis hodie eſt, perpendas, non invenies niſi ſpoliarium, in quo ſine lege & modo latrones graſſentur. Adeo à Chriſti inſtitutione, ab antiquis Eccleſiæ inſtitutis degenerarunt, ut ad tam inordinati regiminis defenſionem nihil

obten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

obtendere poſſint. Iactant ſe Eccleſiæ columnas, Chriſti vicarios, fidelium capita, idque propter ſucceſſionem Apoſtolicam. Item magnificis verbis prædicant illam magnis & ſanctis viris laudatam hierarchiam. Reſp. Oſtendant 1. quid cum Apoſtolis habeant commune. 2. Cum pleriq; Epiſcopi ſint indocti, reliqui Epiſcopatum nihil aliud eſſe putent, quam ſplendoris & magnificentiæ titulum, ubi in tanta confuſione veſtigium divinæ ordinationis appareat. 3. Patres ſua commendatione tam deforme & vaſtitatis plenum chaos ſomniaſſe. c. 5. S. 13.

45. Si ad mores deſcendas, ubi lux illa mundi, ſal terræ, & ſanctitas quam Chriſtus requirit, Mat. 5. 14. Nullus hodie eſt hominum ordo magis infamis omni genere vitiorum, luxu, mollitie, libidine, fraude, proditione, perfidia, ad nocendum ſolertia vel audacia, faſtu, ſuperbia, rapacitate, ſævitia. Ex Epiſcopis fere nullus eſt, ex parochis vix centeſimus quiſque, ſi de moribus ſit ferenda ſecundum veteres Canones ſententia, qui non ſit vel excommunicandus, vel minimum à munere abdicandus. Age glorientur jam de ſuo ordine, quem neque à Chriſto, neque ab Apoſtolis, neq; à Patribus, neque ab Eccleſia veteri eſſe conſtat. c. 5. S. 14.

46. Si Diaconos ſpectes & bonorum Eccleſiaſticorum diſtributionem, nihil integri remanſit. 1. Diaconos ſuos ad eam rem minime creant, ſed ut ad altare miniſtrent, Euangelium recitent, aut canant, &c. De eleemoſynis, de cura pauperum, nihil. Quinimo non tam munus hoc illis eſt, quam gradus ad Preſbyterium. 11. Ex antiquo tantum more, qui locum Diaconi in miſſa tenent, recipiunt oblationes ante conſecrationem: non ut eas diſtribuant ſicut olim, ſed latronum more præ-

dam

dam inter ſe dividunt. Potiſſimam partem Epiſcopi & Preſbyteri urbani, poſtmodum verſi in Canonicos, inter ſeſe diripuerunt. Et adhuc de finibus ſuis litigant. III. Ad pauperes inde ne obolus quidem redit ex omnibus Eccleſiæ bonis. A clericis nihil accipiunt. Tum circa templorum ædificia & alios ſumtus ſuperba eſt inſania. Reliqua Epiſcopi devorant. Sic apud eos tota opum Eccleſiaſticarum adminiſtratio in ſacrilegam deprædationem converſa eſt. cap. 5. S. 15, 16.

47. Excipiunt dignitatem Eccleſiæ hac magnificentia ſuſtineri. Quidam ſic impudentes ſunt, ut vaticinia de ſplendore regni Chriſti huc aptare audeant, Pſ. 72. 10. Eſ. 52. 1 & 60. 6. non fruſtra, inquiunt, hęc Deus Eccleſiæ ſuæ promiſit. Reſp. I. Sic etiam Iudæi, quæ de ſpirituali Chriſti regno ſpiritualiter dicta ſunt, ad carnem & mundum transferunt, contra mentem Prophetarum, qui ſub imagine rerum terreſtrium cœleſtem Dei gloriam in Eccleſia delineant. II. Si unquam, certe tempore Chriſti & Apoſtolorum vis regni ejus efſloruit. At nunquam minus illis externis benedictionibus Eccleſia abundavit. III. Senſus ergo eſt, fore ut ſi quid uſpiam eſt pretioſum, ſublime, præclarum, id omne Domino ſubjiciatur. IV. Quod de Regibus dicitur, & opibus conſecrandis, id recte exhibitum dicimus, quando Theodoſius, abjecta purpura, ſe ad pœnitentiam ſubmiſit: quando ipſe, aliique Principes ad conſervandam doctrinam, ad fovendos Doctores, Eccleſias variis opibus & facultatibus dotarunt. At tum quoq; manſitglorioſa in Sacerdotibus Domini paupertas & modeſtia. cap. 5. S. 17.

48. Ajunt etiam his opus eſſe ad templorum ornatum. Reſp. I. Nempe, ſi is adhibeatur modus,

quem & ipſa natura ſacrorum præſcribit, & Apoſtoli aliique ſancti Patres tum doctrina tum exemplis præſcripſerunt. II. At hodie in templis non priſca conſpicitur frugalitas, non honeſta aliqua mediocritas, ſed nihil omnino placet, niſi quod luxum & temporũ corruptelam ſapiat. Imo multa pauperum millia citius fame perire patiantur, quam minimum calicem eorum cauſa confringant. III. Plurimi uſus, ad quos opes in templis impendunt, non tantum non utiles ſed etiam multis modis noxii deprehenduntur. IV. Fruſtra Chriſto impenſum ferunt, quod præter ejus mandatum in templa hæc profundunt, quæ in viva templa conferri debuerant. quod olim fecit Exuperius, Acatius, Ambroſius, &c. V. Merum hoc eſt effugium. Nam de reditu ſuo ordinario non multum aut nihil deciditur his ſumtibus, quæ in templa fiunt. Facile enim eſt novis aucupiis populum ſuperſtitione imbuere, ut quotidie novas impenſas faciat in templis exſtruendis, ſtatuis erigendis, vaſis & veſtibus pretioſis comparandis. c. 5. S. 18.

49. De reditu quem ex agris & poſſeſſionibus percipiunt nihil attinet dicere, ubi nullum ordinem datur invenire. Epiſcopi & Abbates hæc ſua fide adminiſtrant. Tum vero ſatellitii numero, ædium ſplendore, veſtibus & epularum delitiis Principum lautitias æmulantur, ſi non ſuperant. Et quum Apoſtolus eos prohibuerit eſſe turpis lucri appetentes, ipſi non modo vicis & arcibus ſed ampliſſimis ſatrapiis & imperiis manum injiciunt. Quæ omnia nec cum verbo Dei conveniunt, nec cum vetuſtis Synodorum Decretis. Vnde liquet jampridem apud ipſos ſu[illegible]tum eſſe legitimum Diaconatus ordinem. cap. 5. S. 19.

DISPVTATIO III,

De Primatu Papæ.

Ex lib. 4. cap. 6. 7.

1. HActenus veteris Eccleſiaſticæ gubernationis formam demonſtravimus. Item quomodo paulatim degenerarit, & in Papatu novam prorſus formam induerit. De primatu Romanæ ſedis nihil diximus, quia nec ex Chriſti inſtituto, neque ex Eccleſię veteris uſu ſumſit originem. Sed quia Romanenſes in eo arcem ſuæ cauſæ ponunt, hoc eſſe præcipuum ac prope unicum Eccleſiaſticę unitatis vinculum, ſi Romanæ ſedi adhæreamus, ſi illa ſuper alias Eccleſias omnes primatum teneat, ſi Papa Romanus tanquam Chriſti vicarius Eccleſiæ univerſali præſideat, hoc quoque, quale ſit, excutiendum nobis eſt. cap. 6. Sect. 1.

2. Hic ergo ſit quæſtionis ſtatus. Vtrum ad veram Eccleſiaſtici ordinis rationem neceſſe ſit, unam ſedem inter alias & dignitate & poteſtate eminere, ita ut ſit totius corporis caput. Nos negamus, quia ſine Dei verbo nimis iniquis legibus ſubjiceretur Eccleſia. cap. 6. Sect. 2.

3. Vt probent adverſarii hanc œconomiam à Chriſto eſſe inſtitutam, citant. I. ex Lege ſummum Sacerdotium, & ſummum judicium, quod Deus Hieroſolymis inſtituit. Reſp. 1. Magnam eſſe diſſimilitudinem. Hoc uni nationi fuit utile, ne idololatrarum, quibus vicina erat, corruptela & religionum varietate diſtraheretur. Ideo certum deſtinavit locum, & unum antiſtitem præfecit, quem omnes reſpicerent, quo melius in unitate continerentur. Iam vero religio in totum orbem diffuſa eſt. Proinde abſurdum foret eandem ratio-

nem in univerſum orbem extendere. II. Conſtat ſummum Pontificem typum fuiſſe Chriſti. At tranſlato ſacerdotio, non ad Papam, ſed ad Chriſtum jus illud tranſlatum fuit, qui nec vicario eget, nec honorem ſuum alteri reſignat. Nec mirum: quia non in doctrina modo, ſed in Dei propitiatione, & Chriſti interceſſione perpetua conſiſtit hoc ſacerdotium. Male ergo ex eo, quod fuit temporarium, perpetuam Legem imaginantur. c. 6. S. 2.

4. II. Ex Novo Teſtamento producunt loca Matt. 16. 18. Tu es Petrus & ſuper hanc petrã, &c. Item Ioh. 21. 15. 16. Paſce oves meas. Reſp. I. Vt hæ probationes firmæ ſint, oſtendant imprimis oportet his verbis mandari Petro poteſtatem in omnes Eccleſias, nec aliud eſſe ligare & ſolvere, quam toti mundo præſidere. II. Nos contra dicimus cum Petrus jubet presbyteros paſcere Eccleſiam, 1. Petr. 5. 2. aut nihil Petrum præ aliis voce Chriſti accepiſſe, aut jus illud ex æquo cum aliis communicaſſe. III. Ipſe Chriſtus exponit quid ſit ligare & ſolvere, nempe retinere & remittere peccata, Ioh. 20. 23. Et Paulus modum oſtendit, cum dicit miniſtros habere mandatum reconciliationis cum Deo, & poteſtatem exercendæ vindictæ in incredulos. 2. Corin. 5. 18. & 10. 16. cap. 6. Sect. 3.

5. Vrgent claves regni cælorum Petro datas eſſe. Reſp. Per metaphoram indicatur, quomodo Euangelii doctrina nobis cæli aperiantur. Nec alio modo ligantur & ſolvuntur homines, niſi dum fides alios reconciliat Deo, alios ſua incredulitas magis conſtringit. Ergo ex reipſa colligimus, non niſi muneris Apoſtolici dignitatem notari, quæ ab onere disjungi non poteſt. Secundum hanc definitionem nihil hic Petro datum eſt, quod collegis

ejus

ejus non fuerit etiam commune. Alioquin non tantū perſonis fieret injuria, ſed claudicaret etiam doctrinæ Apoſtolicæ majeſtas. Hanc ſucceſſionem laborioſam & minime lucroſam eligat Papa ſi velit. cap. 6. Sect. 4.

6. Inſtant claves has uni Petro datas eſſe. Reſp. Quod Matt. 16. 19. uni Petro dicitur, hoc Matt. 18. 20. Iohan. 20. 15. reliquis ſimul Apoſtolis confertur. Nulla ergo in re collegis eſt ſuperior. cap. 6. Sect. 4.

7. Imo, inquiunt, excellit Petrus; quod aliis non datur niſi in commune, ipſe & communiter & ſeorſim accipit. Reſpondeat pro nobis Cyprianus & Auguſtinus, in Petro fuiſſe Eccleſiæ myſterium, in ejus perſona Eccleſiæ unitatem fuiſſe deſignatam. Alioquin reliquos cum Petro pari conſortio præditos fuiſſe, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab unitate ſumi, ut una Chriſti Eccleſia monſtretur. c. 6. S. 4.

8. Iterum urgent illud, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; quod nuſquam alteri dictum legitur. Reſp. 1. Idem Paulus & Petrus de omnibus Chriſtianis affirmat, quod ſint lapides pretioſi ſuperſtructi Chriſto lapidi angulari, Eph. 2. 20. 1 Pet. 2. 5. 11. Petra de confeſſione Petri intelligenda eſt, qua ſuo & fratrum nomine confeſſus erat Chriſtum eſſe Filium Dei. Chriſtus autem eſt unicum Eccleſiæ fundamentum, 1 Cor. 3. 11. Falſum ergo in Petro fundatam eſſe Eccleſiam. c. 6. S. 5. 6.

9. At dicunt, Hoc illi præ aliis competit, quia peculiariter hoc nomen habet. Tum etiam fervore ſtudii, doctrina, animi magnitudine eos antecellit. Reſp. 1. Libenter hunc honorem Petro concedimus, ut in ædificio Eccleſiæ inter primos col-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

locetur, adeoque primus omnium fidelium vocetur. Sed negamus inde primatum aut poteſtatem in alios obtinere. II. Sic etiam liceat concludere, Andream eſſe priorem Petro, quia tempore ipſum anteceſſit, & ad Chriſtum eum adduxit. III. Diſtinguimus inter honorem ordinis & poteſtatem. Illum Apoſtoli Petro fere detulerunt: ſed de poteſtate nihil omnino legimus. Denique negamus ex ſolo Petri nomine imperium in univerſam Eccleſiam exſtrui poſſe. c 6. S. 5. 6.

10. Sed ut hæc melius intelligantur, videamus I. quid muneris & poteſtatis habuerit Petrus inter Apoſtolos, qualiter ſe geſſerit, qualiter etiam ab illis fuerit acceptus. Percurramus quidquid exſtat, nihil aliud reperiemus, quam fuiſſe unum ex numero duodecim, parem reliquis, & ſocium, non dominum. Ipſe Petrus 1. Pet. 5. 1. nihil mandat paſtoribus quaſi ſuperior, ſed ut collegas ſuos & æquales comiter hortatur. Act. 15. 5. refert ad concilium, quid factu opus ſit, ſed aliis dicendi locum relinquit, arbitrium ſtatuendi permittit, quod ubi factum eſt, ſequitur & obtemperat. Act. 11. 3. accuſatus, quamvis immerito, reſpondet & purgat ſeſe. Act. 8. 14. juſſus à collegis ire cum Iohanne in Samariam, obſequitur & legationem ſuſcipit. Gal. 1. 18. & 2. 8. Paulus hoc agit, ut demonſtret ſe honore Apoſtolatus Petro eſſe parem: ſibi non minorem gratiam inter gentes collatam eſſe, quam Petro inter Iudæos: ideo Petrum & Iohannem ſibi tanquam collegæ dextras dediſſe ſocietatis. Veniſſe quidem ſe ad Petrum, non tamen ut ſubjectionem profiteretur, ſed ut teſtatam faceret conſenſionem doctrinæ. Etiam narrat Petrum à ſe reprehenſum fuiſſe, quum minus fideliter ageret, eundemque correctioni paruiſſe. Hæc omnia pa-

Iam faciunt, aut fuiſſe æqualitatem inter Petrum & Paulum, aut certe nihilo plus poteſtatis fuiſſe Petro in reliquos, quam ipſi in illum habuerint. cap. 6. Sect. 7.

11. II. Iam vero ut concedamus Petrum fuiſſe Apoſtolorum principem, non eſt tamen conſequens, ut quod ſemel factum fuit, in perpetuitatem trahatur ad univerſalem regulam. Vnus fuerit inter duodecim ſummus, & cum omnes fuerint poteſtate æquales Apoſtoli, hunc tamen primatum Petro detulerint, ut unus veluti moderator eſſet, in quem alii reſpicerent, quod & natura ferre poteſt, & ingenium hominum ſæpius poſtulat. Id tamen quod inter paucos valet, non eſt protinus trahendum ad univerſum terrarum orbem, ad quem regendum unus non ſufficit. c. 6. S. 8.

12. Objiciunt quidem, non minus in naturæ univerſitate, quam in ſingulis partibus hoc locum habere, ut ſit unum ſummum caput. Probationem ſumunt à gruibus & apibus, quæ ſibi ducem eligunt. Adferunt etiam civilia exempla & teſtimonia, quæ ad Monarchiæ commendationem faciunt. Reſp. 1. Quod dant accipimus. Omnes ex toto orbe apes non uni regi ſubſunt, ſed ſuis alveariis contenti ſunt ſinguli reges. Ita in gruibus quæque caterva ſuum ducem habet. Ita ſingulis Eccleſiis proprii debentur Epiſcopi. II. Qui momarchias laudant, non hoc ſibi volunt, unum debere totum orbem imperio regere, ſed regnum duos non capere. III. Quamvis detur bonum fore ut totus orbis monarchia contineatur, id tamen in Eccleſiæ gubernatione non valet. Habet enim Chriſtum unicum ſuum caput, ſecundum eam politiæ formam quam ipſe præſcripſit. Sub hoc capite omnes fideles ſine exceptione tanquam

membra in corpore cohærent, ſecundum certam & finitam menſuram cuiq; attributam, Eph. 4. 15. Ergo qui unum hominem volunt præeſſe Eccleſiæ univerſæ, honorem & nomen capitis Chriſto adimunt. cap. 6. Sect. 8. 9.

13. Excipiunt Chriſtum propriè vocari unicum caput, quia ſua authoritate ſuoque nomine ſolus regnet: ſed Papam eſſe caput miniſteriale, quod ejus vices in terris gerat. Reſp. I. Confictam eſſe diſtinctioné quæ nuſquam legitur. Oſtendant ergo hoc miniſterium à Chriſto eſſe ordinatum. II. Non convenit cum dicto Apoſtoli citato. Totam enim ſubminiſtrationem docet per membra diffuſam eſſe, virtutem ab uno capite fluere. Hunc honorem nemo ſibi vendicare poteſt, niſi Chriſtus ipſe vicarium ſuum fecerit. III. Paulus eodem loci ſacrum & ſpirituale Eccleſiæ regimen & miniſteria, quibus ſe præſentem Chriſtus exhibet Eccleſiæ, ad vivum depingit. Recenſet autem Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores & Doctores. Miniſterialis capitis mentio nulla. Atqui locus id maxime poſtulabat, nec omitti debuit, ſiquidem unum Chriſtus omnibus præfecit, qui vices ſuas gereret. Et unitatem quoque nominat in Deo & in fide Chriſti. In commendatione tamen illius unitatis non meminit ſummi Pontificis, qui Eccleſiam in unitate contineat. Monarchiam inter miniſtros nullam ponit, quin etiam nullam eſſe indicat. Hominibus enim nihil tribuit, niſi commune miniſterium, & unicuique modum particularem. Adhæc ibidem Paulus modum conjunctionis exprimit, quo fideles cum Chriſto capite cohærent: nullum tamen miniſteriale caput commemorat, ſed ſingulis membris operationem particularem attribuit, pro modo gratiæ unicuique diſtributæ.

butæ. Quod ex comparatione cæleſtis & terrenæ hierarchiæ argutantur, frivolum eſt. Nam de illa tutum eſt non ultra modum ſapere: & in hac conſtituenda ſequendus eſt typus, quem Dominus verbo ſuo delineavit. c. 6. S. 9. 10.

14. III. Etiam illud largiamur, ſic conſtitutum in Petro Eccleſiæ primatum, ut perpetua ſucceſſione maneret, unde tandem illud evincent, ſedem Romæ ita collocatam, ut quicunque ſit illius urbis Epiſcopus, orbi univerſo præſideat? Nam I. ſine loci mentione data eſt. Nihil enim hac de re conſtat ex ſcriptura. Nam quod ajunt Romæ vixiſſe Petrum, & mortuum eſſe, nihil concludit. I. quia Chriſtus ſummus Epiſcopus Ieroſolymis mortuus eſt, nec tamen huic loco honorem iſtum potuit acquirere. Et Moſes ſummus Prophetarum princeps ſuo officio functus eſt, & mortuus in deſerto. Nemo tamen ibi primatus ſedem poſuit. Proinde inconſequens eſt ratio. II. An Petrus Romæ ſederit, eſt incertum. Nec tempora conſtant. Euſebius annos viginti quinque numerat. At vero à Chriſti morte uſque ad finem imperii Neronis, ſub quo Petrum martyrio affectum eſſe aſſerunt, tantum reperientur triginta ſeptem anni. Deme viginti annos, quibus teſte Paulo Petrus habitavit Ieroſolymis, reſtant anni ſeptendecim ad ſummum. Confer Gal. 1. 18. & 2. 1. Act. 15. 2. Iam volunt per aliquot annos moratum eſſe Antiochiæ. Exiguum ergo tempus eſt, quod ſedit Romæ. Quanquam & hoc dubitari poteſt. In epiſtola Pauli ad Romanos nulla fit Petri mentio, ne in catalogo quidem piorum, quos ſalutari jubet. At certe Petrum præterire non debuerat, ſi tunc Romæ fuit, & Eccleſiam ibidem rexit. Eſt autem veriſimile quadriennio ex itinere ſcriptam eſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

antequam Paulus vinctus Romam duceretur. Vbi Romam venit, exceptus dicitur à fratribus; de Petro nihil. Illinc ad multas Eccefias ſcripſit, & multorum ſalutationes adjecit. Ne verbo quidem indicat, illic Petrum tunc fuiſſe. Alibi conqueritur neminem ſibi adfuiſſe, ab omnibus deſertum fuiſſe, niſi quod laudat Timotheum, Phil. 2. 20. 2 Tim. 4. 16. Si Petrus tunc ibi fuit, an ſine crimine Paulum deſerere potuit? Adde quod non conſtet inter ſcriptores, quis ipſi ſucceſſor fuerit, Linus an Clemens. Etiam fabulæ narrantur de concertatione inter Petrum & Simonem Magum. Denique res illius temporis ſic opinionum varietate implicitæ ſunt, ut non temere ſit adhibenda fides. Quia tamen plæriq; ſcriptores in eo conſentiunt, ne pugnemus, quin ibi mortuus ſit. Sed Epiſcopum fuiſſe, præſertim longo tempore, aliis argumentis demonſtrandum fuerit. III. Tamen ne ſic quidem primatum obtinent. Nam cum Petrus Iudæis, Paulus gentibus fuerit deſtinatus, ſane in Pauli Apoſtolatum magis, quam in Petri nobis reſpiciendum fuerit. c. 6. S. 11. 14. 16.

15. Adhuc tamen pergunt. Petrus principatum habuit inter Apoſtolos. Ergo Eccleſia, in qua ſedit, hoc privilegii habere debet. Reſp. Hoc argumentum & quoad Majorem & quoad Minorem jam ſolvimus. Attamen penitius conſideremus. I. Cum Petrus Antiochiæ primum ſederit, unde honos hic pervenit ad Romanos? Ajunt tranſlatum eſſe Romam, quando Petrus inde migravit. II. Oſtendant ergo oraculũ quo Deus illud juſſerit. III. Dicant, velintne privilegium hoc eſſe perſonale, an reale, an mixtum. Si eſt perſonale, nihil ad locum facit. Si reale, ubi ſemel datum fuit alicui loco, non adimitur propter perſonæ vel mortem, vel diſceſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

diſceſſum. ſi mixtum, non erit ſimplex loci conſideratio, niſi perſona ſimul reſpondeat. Quidvis eligant, non poterunt ſibi primatum arrogare. IV. Demus primatum Antiochia tranſlatum eſſe Romam. Non eodem argumento Antiochiæ ſecunda ſedes debebatur? At Alexandria, ſedes Marci, qui fuit unus ex diſcipulis, hunc honorem adepta eſt. Si cuique Eccleſiæ pro fundatoris ſui dignitate honor debetur, cur inter Patriarchias ultimum locum tenuit Ieroſolyma, ubi Iacobus: cur Epheſus ne locum quidem habuit, ubi Iohannes ſedit? prætereo Eccleſias quas Paulus fundavit, quibus alii Apoſtoli præfuerunt. Falſum ergo, cuique Eccleſiæ deberi honoris gradum, quem quiſque fundator habuit. c. 6. S. 12. 13.

16. Poſtremo ne de ſuffragio veteris Eccleſiæ temere & falſo ſuperbiant, hoc ipſum quoque propius expendamus. 1. Non negamus veteres magnum ubique honorem deferre Eccleſiæ Romanæ. Id tribus maxime de cauſis fieri arbitramur. I. Quod opinio invaluiſſet, eam fundatam fuiſſe Petri miniſterio. Vnde ſedes Apoſtolica in Occidente nuncupata fuit. II. Quum Roma eſſet caput imperii, & credibile eſſet illic præſtantiſſimos viros inveniri, quam alibi uſpiam, non tantum urbis nobilitas, ſed etiam excellentiora Dei dona authoritatem ei ſummam conciliarunt. III. Quum Orientales & Græcæ Eccleſiæ, item Africanæ multis opinionum diſſenſionibus inter ſe tumultuarentur, hæc aliis ſedatior manſit. Inde factum eſt, ut pii & ſancti Epiſcopi, ſedibus ſuis pulſi, illuc ſe velut in portum receperint. Quod ei non parum authoritatis addidit. c. 6. S. 16.

17. Sed quod inde ſummam in alias Eccleſias poteſtatem colligunt adverſarii, perperam certe

faciunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

faciunt. Vrgent ſic unitatem conſervari. Atqui non ſic Hieronymus, qui unitatem in ordine Eccleſiaſtico commendat, unius iſtius capitis non meminit, quum tamen ipſius cauſæ, quam agit, maxime ſerviret. Non etiam Cyprianus, aſſerens Epiſcopatum unum eſſe, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur: Eccleſiam unam eſſe, quæ una luce Domini perfuſa radios ſuos per totum orbem porrigit, ita ut unum ſit lumen, quod ubique diffundatur, nec tamen unitas corporis ſeparetur: quod ipſum egregiis ſimilibus ſolis, fontis, & arboris, demonſtrat. Quocirca unus eſt univerſalis Epiſcopatus, iſque penes ſolum Chriſtum integer reſidet: ſed à ſingulis, qui ſub hoc capite Epiſcopatu funguntur, pars ejus in ſolidum tenetur. c. 6. 8. 17.

18. Hactenus ſatis demonſtravimus, axioma illud de unitate terreni capitis in Hierarchia, adeoque primatũ ſedis Romanæ veteribus fuiſſe prorſus ignotum. Sed porro operæ precium fecerimus, ſi expendamus, quod Romani primatus exordium, quæ incrementa fuerint, donec in ſupremam & intolerandam altitudinẽ ſeſe extulit. Principio tempore Concilii Niceni primus inter Patriarchas locus Romano Epiſcopo fuit attributus, ſic tamen ut ipſe ſuburbanas Eccleſias, reliqui ſuos fines curarent. Vnum ergo ex præcipuis, non caput facit. Ibidem vero Legatis Iulii Pontificis quartus datus eſt locus, præſidente Athanaſio. In Synodo Epheſina Cæleſtinus quidẽ Cyrillo Alexandrino vices ſuas mandavit, obliquo uſus artificio, ut primæ ſedis dignitati caveret. Legati tamen ejus loco inferiore ſederunt, eodemque ordine ſubſcripſerunt. Cyrillus interim nomen Cæleſtini ſuo admiſcet. In ſecundo concilio Epheſino, quamvis adeſſent legati Leonis, Dioſcorus tamen Alexan-

drinus Patriarcha velut ſuo jure præſidet. Nec eſt cur excipiant concilium hoc non fuiſſe Orthodoxum, quod Flavianum damnaverit. Nam ad principium coactionis attendi oportet, quando ſeſſiones inter ſe Epiſcopi diſtribuerunt. At vero legati Romani non contendunt de primo loco, maxime facturi, ſi ſuum jure eſſe credidiſſent. Sequutum eſt Chalcedonenſe Concilium, in quo Romanæ Eccleſiæ legati primam ſedem occuparunt, ſed petitam à Leone, & ab Imperatore conceſſam, non quod ille locus Epiſcopo Romano deberetur, ſed quia Orientales Epiſcopi in Epheſino concilio peſſime ſua poteſtate abuſi omnia turbarant. Quum ergo minus ad hanc rem viderentur idonei, rogavit Leo Marcianum, ut hoc ei extra ordinem & ſingulari privilegio concederetur. Poſt etiam ſucceſſor Leonis in quinta Synodo Conſtantinopolitana Mennam ejus Eccleſiæ Patriarcham præſidere paſſus eſt, nihil rixatus de prima ſede. In Carthaginenſi, cui interfuit Auguſtinus, non Legati Romani ſed Aurelius loci Archiepiſcopus præfuit. Itidemq; in concilio Aquilienſi Ambroſius. cap. 7. Sect. 1. 2.

19. Igitur Patriarchatus primæ ſedis nihil præſertim Romanis in reliquos poteſtatis contulit. Tituli vero primatus, & alia ſuperbiæ nomina, non inaudita tantum, ſed & damnata fuerunt. Cyprianus Cornelium Papam non niſi fratrem, Coepiſcopum, & collegam nominat. Idemque Stephanum ejus ſucceſſorem non modo ſibi & reliquis æqualem facit, ſed etiam durius compellat. Synodus porro Africana vetuit, ne quis Princeps ſacerdotum, aut primus Epiſcopus vocaretur, ſed tantum primæ ſedis Epiſcopus: tantum abeſt ut quiſquam ſummus Pontifex, & unicum in terris

Eccle-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Eccleſiæ caput agnoſceretur. Quin ipſe Hieronymus, quum alioquin Romanæ Eccleſiæ faveret, ejus tamen Epiſcopum in ordinem redigit. *Si authoritas quæritur, orbis major eſt urbe. Ubicunque fuerit Epiſcopus ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ejuſdem meriti eſt & ejuſdem ſacerdotii.* cap. 7. Sect. 3.

20. De titulo univerſalis Epiſcopi tempore demum Gregorii Magni exorta eſt contentio, cui occaſionem præbuit ambitio Iohannis Conſtantinopolitani, qui ſeſe facere volebat univerſalem. In hac contentione non cauſatur Gregorius ſibi jus ſuum adimi, ſed fortiter reclamat appellationem eſſe ſceleſtam, profanam, ſuperbam, ſacrilegam, Antichriſti prænuntiam: reliquis Patriarchis & Epiſcopis honorem debitum derogari, ſi unus ſingularitatis nomine dicatur univerſalis: univerſam Eccleſiam corruere, ubi ille univerſalis cadit: neminem ſuorum prædeceſſorum hoc profano vocabulo uti voluiſſe. Nam quod idem Gregorius hunc honorem dicit Leoni fuiſſe oblatum in Synodo Chalcedonenſi, in ea re non uno modo hallucinatur. cap. 7. Sect. 4.

21. Veniamus ad juriſdictionem, quam Romanus Pontifex in omnes Eccleſias ſibi arrogat. Nondum agimus de infinito illo imperio, quod jam uſurpat. Illud inquiramus, quibus rationibus hoc effectum ſit, ut aliquid juris in alias Eccleſias ſibi ſumeret. Huic rei principium dederunt Arrianorum factiones, quibus olim Eccleſiæ Orientales diviſæ & turbatæ erant. Athanaſius ſede ſua pulſus, aliique pii exules, cum in Romana Eccleſia cernerent optimum ſibi eſſe præſidium, ad eam confugerunt, & libenter ei quantum poterant authoritatis detulerunt. Idem poſtea mali & im-

probi,

probi, ut legitima judicia effugerent, factitarunt; damnati à ſuis Romam provocarunt. Has appellationes Romani Epiſcopi cupidius, quam par erat, receperunt. Sic Eutyches apud Leonem de Flaviano eſt conqueſtus. Et Leo ejus patrocinium temere ſuſcepit. In Africa id ſæpius accidiſſe conſtat. Huic malo ut Africana Eccleſia mederetur, decreto ſancivit, ne quis ſub pœna excommunicationis ultra mare provocaret. cap. 7. S. 5.

22. Sed de his melius conſtabit, ſi quatuor poteſtatis Eccleſiaſticæ capita examinaverimus, quibus illa continetur, nempe ordinationem Epiſcoporum, Conciliorum indictionem, Appellationes, & Cenſuras. Primum, ordinari Epiſcopos veteres Synodi jubent à ſuis Metropolitis. Hic Romano Epiſcopo jus nullum erat niſi in ſua Patriarchia. Senſim factum eſt, ut Italici Epiſcopi ad petendam conſecrationem Romam venirent, exceptis Metropolitis: niſi quod in horum ordinatione aliquem ex ſuis preſbyteris Romanus mittebat, qui adeſſet tantum, non præeſſet. Greg. lib. 2. epiſt. 68. & 70. Id autem honoris cauſa initio fiebat ultro citroque ad communionem teſtandam. Solebant etiam Patriarchæ ſtatim poſt ſuam conſecrationem ſcripto fidem ſuam conſignare, & ad reliquos tranſmittere, ut mutuo ſe alii aliis approbarent. Nec Romanus Epiſcopus ab hac communi lege immunis erat. Cujus rei exemplum videre eſt in epiſtola Gregorii ad Anaſtaſium & Cyriacum Conſtantinopolitanum. Erat autem hoc ſocietatis ſignum, non dominii. cap. 7. S. 6.

23. Admonitiones & cenſuras inter ſe mutuò exercebant. Irenæus Victorem Papam graviter corripuit, qui etiam paruit. Cyprianus Stephanum hortatur, ut moneat Galliæ Epiſcopos, non ex amplitu-

plitudine poteſtatis, ſed ex communi jure, quo
habent inter ſe Sacerdotes. Idem Stephanum, cu
videretur inſoleſcere, gravi verborum acerbita
increpuit. Ea nempe erat libertas uſitata ſanctis E
piſcopis, ut fraterno jure Romanum Epiſcopu
admonerent & caſtigarent, ſi quando peccaſſet. I
le viciſſim, ubi res poſtulabat, alios reprehend
bat & officii admonebat. Ergo ne in hac quiden
parte ulla fuit ejus juriſdictio in Eccleſias, quæ no
eſſent ſuæ provinciæ. cap. 7. S. 7.

24. Synodorum convocatio ſpectabat ad Me
tropolitas, quorum erat provincialem Synodur
ſtatis temporibus cogere. Hic nihil juris habu
Romanus Epiſcopus. Vniverſale autem conciliun
indicere ſolus Imperator poterat. Quod vero ca
nonibus vetitum fuit, ne ſine Romani Pontifici
conſcientia quidpiam decerneretur, ad ea decret
referri debet, quæ univerſam Eccleſiam obſtrin
gunt. Ne hoc quidem facit ad totius Eccleſiæ do
minium. cap. 7. S. 8.

25. Supereſt quarta poteſtatis ſpecies, quæ in
appellationibus ſita eſt. Iam penes eum conſtat eſſ
ſummum imperium, ad cujus tribunal provoca-
tur. Multi vero Romanum Pontificem appella
runt. Ipſe quoque non illubenter cauſarum cogni-
tionem ad ſe trahere conatus eſt. Sed ſemper fuit
deriſus, quoties ſuos fines exceſſit. Orientales &
Galliæ Epiſcopi fortiter ipſi reſtiterunt. In Africa
Milevitanum Concilium excommunicavit eos
qui provocarent ultra mare. Quod decretum cum
Romanus Pontifex corrigi vellet, prolatis per le-
gatos ſuos actis Concilii Niceni, quibus hoc pri-
vilegium ſibi datum eſſe aſſerebat, reſtiterunt A-
fricani, & ex minus ſuſpectis exemplaribus de-
monſtrarunt, nihil tale illic ſcriptum inveniri. Re-
liquas

liquas falſitates, quibus huic rei colorem inducere conatus eſt, tanquam nimis putidas omittimus. Gratiani vero nimis magna fuit inſcitia, qui decretum illud Africanum recenſens, hac exceptione interpolare conatus eſt, *niſi forte Romanam ſedem appellaverint*. At vero hoc ipſum verſabatur in quæſtione, an ad illam daretur provocatio. Stulte igitur à Lege excipitur, cujus cauſa Lex ipſa lata erat. cap. 7. S. 9.

26. Sed vel una Hiſtoria palam faciet, quæ olim fuerit Romani Epiſcopi juriſdictio. Donatus accuſaverat Cæcilianum Epiſcopum. Cum ille nollet comparere, damnatus fuit indicta cauſa. Conſtantinus Imperator negotii cognitionem mandat Melciadi Epiſcopo Romano, cui collegas addit Epiſcopos ex Italia, Gallia, & Hiſpania. Donatus excidit cauſa, & denuo provocat. Imperator appellationis judicium demandat Epiſcopo Arelatenſi. Si appellationes de jure ad Romanam ſedem pertinent, cur juſſu Imperatoris hoc officium ſuſcipit? cur alios ſibi adjungi, à ſe ad Epiſcopum Arelatenſem rem deferri patitur? Nempe quia nondum nota erat illa dominatio, quam ſibi in omnes Eccleſias à Chriſto datam eſſe, & omnibus ſeculis obtinuiſſe mentitur. cap. 7. S. 10.

27. Objiciunt nobis multas epiſtolas, decreta & edicta Pontificum, quibus nihil non confidenter tribuunt. Sed ex his plæraque ſeipſa propter nimiam inſulſitatem palam produnt non eſſe illius ſeculi. Nonnullas veras epiſtolas eſſe fatemur, quales ſunt Leonis viri eruditi & facundi, ſed gloriæ & dominationis ſupra modum cupidi. Is quidem vices ſuas Epiſcopis per Græciam, Galliam, Hiſpaniam non ſemel demandat. Vbique tamen excipit, ſe ea lege dare mandata, ut ſalva nihilo mi-

nus

nus maneant antiqua privilegia Metropolitis. N
luit ergo vel Epiſcopos in ordinaria juriſdiction
vel Metropolitas in appellationibus cognoſcendi
vel provinciale Concilium in conſtituendis Eccl
ſiis impedire, tantum ſe ad ſedandas diſcordias i
terponit, quantum fert lex & natura Eccleſiaſtic
communionis. cap. 7. S. 11.

28. Tempore Gregorii, ſedis non modo dign
tas, ſed & potentia multum aucta erat. Nam i
magna imperii convulſione, ut fidei integritas ma
neret, aut certe non prorſus interiret, omnes un
dique Epiſcopi ſe ad Romanum Pontificem ad
junxerunt. Tamen multum illa dignitas abfuit a
effreni dominatione, ut imperare omnibus pr
ſua libidine potuerit: improbos & contumaces
qui à ſuis collegis in officio contineri non pote
rant, ſua authoritate compeſcebat. Interim ſubin
de teſtatur Gregorius, ſe non minus fideliter ſer
vare aliis eorum jura, quam ab aliis ipſe ſua requi
rat. Sibi quidem ſæpius jus illud tribuit corrigend
eos, qui peccarunt: ſi vero omnes officium fa
ciunt, aliis ſe parem facit. Aſſentiebantur autem,
qui volebant. In cauſa Primatis Byzanceni ab Im-
peratore cognitor conſtituitur. Rurſus ex manda-
to Imp. Aquilienſem Epiſcopum ad cauſam præ-
ſente Synodo dicendam venire Romam jubet. Ni-
hil ergo tentare auſus eſt, quo violaret juriſdictio-
nem Eccleſiaſticam. Proinde ea fuit Rom. Pon-
tificis poteſtas, opponere ſe præfractis hominibus,
idque ut adjuvaret, non impediret alios Epiſco-
pos. Et alibi nihilo plus ſibi in alios ſumit, quam
omnibus in ſe concedit, paratus ab omnibus cor-
rigi. Et tamen quantopere in hac ipſa moderatio-
ne Gregorio iſtiuſmodi negotiorum ſtatus diſpli-
cuerit, variæ ejus teſtantur querimoniæ, quod in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

illo honore nimiis occupationum oneribus premeretur, & ſimpliciter Epiſcopi officio totus vacare non poſſet. Interim officium paſtoris ſi non explebat, faciebat tamen: ab imperii civilis gubernatione abſtinebat: in curam aliarum Eccleſiarum non ſe ingerebat, niſi coactus neceſſitate. Quid nunc dicturum putas, ſi hæc tempora videret? cap. 7. S. 12,13.

29. Hujus tempore incidit controverſia de primatu. Veteri inſtituto decretum erat, ut, quæ in civili gubernatione primæ urbes eſſent cujuſque provinciæ, primæ eſſent Epiſcoporum ſedes. Hinc Roma primum locum obtinuit, quod tunc illic erat imperii caput. Quod ſi honorem civilis regiminis ex una urbe in alteram transferri contigiſſet, jus Metropoleos una illuc transferebatur. Quamvis autem contrariam Legem ſanciverit Innocentius, merito tamen Concilii Taurinenſis authoritas unius hominis ſententiæ præferenda, præſertim cum ſuſpectus ſit in propria cauſa. Ex hoc inſtituto ſancitum eſt in Synodo Conſtantinopolitana prima, ut civitatis illius Epiſcopus honoris privilegia haberet poſt Romanum Pontificem, quod eſſet nova Roma. Idem hoc decretum Chalcedone factum. Quod cum oppugnaret Leo, quid niſi meram ambitionem prodidit? Sexcenti & ſupra Epiſcopi ſic decreverant, præſente Proterio Alexandriæ Epiſcopo, aliiſque Patriarchis, non tamen refragantibus. Leo cujus non intererat, reſiſtit. Clamat periclitari fidem Chriſtianam, derogari Synodo Nicenæ, ſi Conſtantinopolitanæ ſedes deferatur, quæ data erat Alexandrinæ. At conſtat Patriarchias non niſi politiæ cauſa diſtinctas fuiſſe: politiam autem ſæpius variari: decretum autem Nicenum tale fuiſſe, quod pro temporum

ratio-

ratione tolli poſſet. Sed metuebat ille, quod etiam poſt evenit, ut decreſcente veteris Romæ gloria Conſtantinopolitanus de primatu cum eo litigaret. Nam Iohannes tempore Gregorii hanc quæſtionem movit, & univerſalis Patriarcha dici voluit. Huic acriter ſe Gregorius oppoſuit, in bona cauſa ſedis quoq; ſuæ defenſor. Intolerabilis namque erat cum ſuperbia tum inſania Iohannis, qui Epiſcopatus ſui fines æquare imperii finibus volebat. Neque tamen quod alteri negat Gregorius, ſibi ipſi vendicat, ſed ut profanum & ſceleſtum rejicit. Non potuit tamen Iohannes nec ejus ſucceſſor Cyriacus à propoſito dimoveri. Tandem Phocas Mauritii interfector Bonifacio tertio conceſſit, ut Roma caput eſſet omnium Eccleſiarum. Acceſſit, quod Græcia & tota Aſia paulo poſt ab ejus communione abſciſſæ ſunt. Gallia parere ſolita quoad libebat, tunc quoque in ſervitutem redacta eſt, quando mutuis pactionibus Pipinus & Carolus terrenum atque civile dominium ſpoliato vero Rege occupaverunt: Zacharias autem Pontifex, qui ad hanc rem adjutor fuerat, in Eccleſias Gallicanas juriſdictionem ſedi Romanæ vendicavit. cap.7. S.14,15,16,17.

30. Ex eo tempore, facta veteris ſtatus mutatione, omnia quotidie in deterius ſunt prolapſa: ſtabilita & aucta eſt quotidie Romanæ ſedis tyrannis, idque Epiſcoporum partim inſcitia partim ignavia. Qualis autem & quam prodigioſa Romæ omnium ſacrorum profanatio, & totius Eccleſiaſtici ordinis diſſipatio ſequuta ſit, ſi quis cognoſcere cupit, legat Bernardum de conſid. ad Eugenium. cap.7. S. 18.

31. Vt vero ipſis concedamus illam juriſdictionis amplitudinem, quam Gregorii & Leonis ætate

ſedes Romana habuit, quid hoc ad præſentem Papatum? Adhuc tantum loquimur de ſpirituali regimine, quod jactant. Papam definiunt ſummum in terris Eccleſiæ caput, univerſalem totius terræ Epiſcopum, penes ipſum eſſe imperandi poteſtatem, alios manere obediendi neceſſitatem; ejus ſanctiones habendas eſſe, quaſi divina Petri voce firmatas: provinciales Synodos, ſi Papæ præſentiam non habeant, carere vigore: ipſum poſſe de qualibet Eccleſia clericos ordinare: & qui alibi ordinati fuerint, ad ſedem ſuam vocare: denique penes unum Papam Romanum eſſe ſupremam omnium Eccleſiaſticarum cauſarum cognitionem. Mittamus privilegia reſervationum. Illud intolerabile eſt, quod nullum in terris relinquunt judicium coërcendæ ejus libidini, ſi tanta poteſtate abutatur. Vnus ſcilicet homo omnium ſe judicem conſtituit, nullius judicio parere ſuſtinet, ne quidem ſi ſit ſceleratiſſimus. Adde alia axiomata, quæ nunc in Scholis eorum oraculi vicem obtinent, Papam errare non poſſe; Papam ſuperiorem eſſe Conciliis, &c. Hæc & ſimilia, qui ex medio illo Leonis & Gregorii ſeculo probare volunt, omni pudore careant neceſſe eſt. Cyprianus dicit, Nemo noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum vocat, aut tyrannico terrore collegas ad obſequendi neceſſitatem adigit. Idem Carthagini decretum fuit. Ex hiſtoriis & veterum libris multa poſſunt colligi, quibus Romanus Pontifex in ordinem cogitur. Gregorius nominationem univerſalis Epiſcopi & capitis abhorret. Iuſſionis vocem non admittit: de curarum & cauſarum multitudine conqueritur: non deſinit tamen officium facere. In præſenti Papatu quid ſimile reperitur, ubi nullæ ſunt conciones, nulla diſciplinæ cura, nullum Eccle-
ſiarum

ſiarum ſtudium, nulla ſpiritualis functio: nihil de-nique niſi mundus. Hæc omnia prioribus ſeculis incognita fuerunt. cap. 7. S. 19, 20, 21, 22.

32. Sed etiamſi darentur hæc omnia, Petrum fuiſſe univerſæ Eccleſiæ caput: hunc honorem depoſuiſſe in Eccleſia Romana: id veteris Eccleſiæ authoritate longoque uſu confirmatum: Romano Pontifici ſummam poteſtatem uno omnium conſenſu fuiſſe delatam: ipſum fuiſſe omnium & cauſarum & hominum judicem, nullius judicio ſubjectum: adhuc tamen ſupereſt, quod merito regeramus. Nihil, dicimus, iſtorum valet, niſi Romæ ſit Eccleſia & Epiſcopus. Vtrumq; vero negamus ibi eſſe. Eccleſia & Epiſcopus ſuis notis cognoſcitur. Nullum Romæ miniſterium, quale requirit Chriſti inſtitutio. Quis Cardinales dicat eſſe preſbyteros? Papa quid habet Epiſcopale? plebem verbo Dei non docet: Sacramenta non adminiſtrat: ſanctam diſciplinam non exercet: nullam officii partem vel minimo digito attingit. Quocirca negamus ipſum eſſe Epiſcoporum principem, quum non ſit Epiſcopus, & nihil Epiſcopi proprium habeat, imo omnia contraria, ſive doctrinam ſive mores ſpectes. Veritas ibi erroribus, impietate, ſuperſtitionibus & idololatria ſepulta jacet. Pontifices crudelitate & tyrannide regnum ſuum tuentur. Nihil ibi videas, niſi horrendam apoſtaſiam, & regnum Antichriſti. Fuerit Eccleſia Romana olim Apoſtolica & omnium Eccleſiarum mater: at jam non eſt, ex quo Antichriſti ſedes eſſe cœpit. cap. 7. S. 23, 24.

33. Si quis maledicentiæ nos accuſet, quod Pontificem vocamus Antichriſtum, audiat Paulum, & Danielem, qui Antichriſtum his notis deſcribunt. 1. quod in templo Dei ſit ſeſſurus. 11. regnum

ejus in magniloquentia & blaſphemiis ſitum fore. Vnde colligimus tyrannidem eſſe in animas magis, quam in corpora, adverſus ſpirituale Chriſti regnum. Deinde talem eſſe, quæ nec Chriſti nec Eccleſiæ nomen abhorreat, ſed ſub ejus titulo deliteſcat. III. Quum Paulus ait venturam defectionem, ſatis indicat, tunc erigendam ſedem abominationis, ubi univerſalis quædam defectio Eccleſiam occuparit. IV. Cum addit ſuo tempore cœpiſſe moliri in myſterio opus iniquitatis, ex eo intelligimus calamitatem hanc neque per unum hominem fuiſſe inferendam, neque in uno homine finiendam. V. Dicit Antichriſtum Deo ſuum honorem præcepturum, ut ſibi ſumat. At Pontifex impudenter ad ſe tranſtulit, quod Dei unius & Chriſti maxime proprium eſt. Non eſt ergo dubitandum, quin Papa Romanus ſit ille Antichriſtus, impii & abominandi regni dux & anteſignanus. cap. 7. S. 25.

34. Fruſtra ergo nobis antiquitatem hujus ſedis opponunt. In tanta etenim rerum converſione, ſedis honor ſtare non poteſt, ubi nulla eſt ſedes. Potuit Deus Eccleſiam, quæ erat Hieroſolymis, Pellam transferre. Idem alibi & Romæ quoque potuit fieri, præſertim quando ejus Epiſcopus factus eſt Chriſti & Euangelii hoſtis, Eccleſiæ vaſtator, ſanctorum carnifex: Epiſcopatus ejus in plumbo & bullis variiſque captionum & circumſcriptionum magiſterio eſt incluſus: Eccleſia Romana mutata eſt in Papæ curiam & cancellariam. c. 7. S. 26.

35. Quod vero Papam errare poſſe negant, quia Petro dictum ſit, Oravi pro te, ne fides tua deficiat, quia Papa Petri ſedem teneat, mera eſt impudentia. Nam I. conſtat Pontifices Romanos jam pridem omni carere religione, aut maximos

ejus

ejus eſſe hoſtes. Primum arcanæ inter eos Theo logiæ caput eſt, Nullum eſſe Deum. Alterum, qu de Chriſto ſcripta ſunt, mendacia eſſe & impoſtu ras. Tertium, doctrinam de futura vita & ultim reſurrectione meras eſſe fabulas. Non omnes qui dem ita ſentiunt, & pauci ita loquuntur. Sed qu Romam noverunt, ſciunt ordinariam hanc eſſ Pontificum religionem, quam etſi publice no profiteantur, tamen in menſa, cubiculo, aut ſalten inter parietes produnt. II. Notiſſimum eſt Inno centium XXII. palam aſſeruiſſe, animas eſſe mor tales, unaque cum corporibus interire uſque ad diem reſurrectionis. Nemo tunc Cardinalium ſe tantæ inſaniæ oppoſuit. Solus Rex Galliæ à Schola Pariſienſi admonitus hominem coëgit ut errorem abjuraret. Vides Papam & totam ſedem cum ſuis fulturis concidiſſe. Inſigne ſane documentum non omnes eſſe Petros, qui Petro ſuccedunt. III. Si ad Petri ſucceſſores volunt trahere quidquid Petro dictum eſt, tum ſibi quoq; dictum putent, Vade retro Satan, &c. Mat. 16.23. IV. Quid ſi Diabolus in illa ſede præſideat, an erit vicarius Chriſti & caput Eccleſiæ, quia fuerit olim Petri ſedes? V. Nihilo magis Papæ dicendi ſunt Chriſti vicarii, quam idolum, ubi in templo collocatur, pro Deo habendum eſt. cap. 7. S. 27, 28, 29.

36. Iam ſi mores inquiramus, quid Epiſcopi agnoſci poteſt in Pontificibus? Certe indignum eſt Epiſcopis, ſic publice Romæ vivi, ipſis conniventibus & tacite approbantibus. Ipſe autem Papa cum ſua familia, cum toto fere Cardinalium collegio, cum toto cleri ſui grege nonne ad omnem nequitiam & obſcœnitatem & nefanda peccata proſtituti ſunt? Adhuc tamen Epiſcopos ſe vocari volunt. cap. 7. S. 29.

37. De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

37. De Cardinalibus obiter paucula adjiciemus. Quomodo factum ſit, ut ita ſubito ad tantam amplitudinem emerſerint, vix conſtat. Gregorii ætate nihil aliud erat Sacerdos Cardinalis quam Epiſcopus. Apud ſuperioris ſæculi Scriptores non invenitur. Tempore Auguſtini Epiſcopi preſbyteri Romani erant minores, nunc eos longe antecellunt. In Concilio Carthaginenſi duo aderant legati Romanæ ſedis, unus Epiſcopus, ſecundus Preſbyter. Sed hic in ultimum locum rejectus fuit. Etiam in Concilio quodam Romano preſbyteri ultimo loco ſedent & ſeorſim ſubſcribunt. Diaconi in ſubſcriptione locum nullum habent. Iam vero preſbyteri illi nihil officii habebant, niſi ut in doctrinæ & Sacramentorum adminiſtratione adeſſent Epiſcopo & ſubeſſent. Nunc facti ſunt Regum & Cæſarum cognati: veriſimile eſt una cum capite ſuo ſenſim creviſſe. Qualescunque fuerint olim, jam nihil habent veri ac legitimi in Eccleſia muneris: imo habent omnia penitus contraria. Adeoque in illis impletum eſt quod de talibus ait Malachias cap. 2. 8. Irritum feciſtis pactum Levi, propterea dedi vos contemtibiles omni populo. Hinc rurſus intelligimus ſedem Romanam plurimum differre ab illa veteri, eo magis abominandam, quod illi ſubjicere non dubitent Papiſtæ ipſum Dei verbum ipſis Angelis venerabile & ſacroſanctum. cap. 7. S. 30.

DISPVTATIO IV,

De poteſtate Eccleſiæ quoad fidei dogmata.

Ex lib. 4. cap. 8.

1. SEquitur tertius locus de Eccleſiæ poteſtate, quæ partim in Epiſcopis ſingulis, partim in

Conciliis & iis vel provincialibus vel generalibus ſpectatur. Loquimur autem de ſpirituali poteſtate, quæ propria eſt Eccleſiæ. Ea autem conſiſtit vel in doctrina vel in legibus ferendis vel in jurisdictione. A doctrina ordiamur. Locus de doctrina duas habet partes, authoritatem dogmatum tradendorum & eorum explicationem. De ſingulis in genere notemus, quidquid de Eccleſiæ poteſtate docetur, ad ædificationem eſſe referendum non in deſtructioné, 2 Cor. 10.8. & 13. 10. Tum vero, ut qui hac poteſtate legitimè utuntur, cogitét ſe nihil amplius eſſe quam miniſtros Chriſti & populi in Chriſto. Porro ædificandæ Eccleſiæ una hæc ratio eſt; ſi miniſtri ſuam Chriſto authoritatem ſervare ſtudent, ita ut ipſe ſolus ſit Eccleſiæ magiſter, de quo ſolo dictum eſt, *Ipſum audite*, Mat. 17. 5. Eſt igitur Eccleſiaſtica poteſtas certis finibus includenda, ne pro hominum libidine huc illuc trahatur. Ad id plurimum proderit obſervare, qualiter à Prophetis & Apoſtolis deſcribatur. Vnde poſtea facile erit demonſtrare, quantus hujus poteſtatis ſit abuſus in Eccleſia Romana. cap. 8. S. 1.

2. Totis hujus diſputationis hoc eſto fundamentum, Quidquid authoritatis aut dignitatis, quoad dogmata, Spiritus in S. literis, ſive ſacerdotibus, ſive Prophetis, ſive Apoſtolis, ſive Apoſtolorum ſucceſſoribus defert, id totum non proprie hominibus ipſis, ſed verbo dari, cujus miniſterium illis eſt commiſſum. Nuſquam enim reperiemus, ulla docendi aut reſpondendi autoritate fuiſſe præditos, niſi in nomine & verbo Domini & velut ex ore ipſius. Et ut à Prophetis & Sacerdotibus initium faciamus, Moſes ipſe Prophetarum omnium princeps audiendus præ aliis

fuit,

ſuit, ſed ante inſtruitur mandatis Dei, Exod. 3. 4. Hinc populus dicitur in Deum & Moſen ſervum ejus credidiſſe, Exod. 14. 31. Sacerdotum quoque magna fuit authoritas, Deut. 17. 9. Sed qua Lege audiendi eſſent oſtendit Dominus, quum eos nuntios ſuos appellat & hac conditione cum Levi ſe fœdus percuſſiſſe dicit, ut Lex veritatis eſſet in ore ejus Mal. 2. 4. 6. Nominatim vero jubentur ſecundum Legem Dei reſpõdere, Deut. 17. 10. 11. Reliquorum Prophetarum poteſtas eleganter deſcribitur, Ezech. 3. 17. Audies ex ore meo verbum & annunciabis illis ex me. Ergo nihil illis ex ſe comminiſci licuit. Et magna hæc fuit fiducia, potuiſſe confidenter jactare, non ſuum eſſe, ſed Domini verbum, quod afferebant. Idem mandatur Ier. 23. 28. Propheta qui habet ſomnium & verbum meum, loquatur illud. Et poſtea paleam Deus vocat, quidquid à ſe uno non eſt profectum. Non patitur ergo quempiam plus docere, quam juſſus fuerit. Ideo etiam Prophetæ os nunquam aperuerunt, niſi Domino verba præeunte. Vnde illa toties occurrunt, Verbum Domini, onus Domini, os Domini loquutum eſt. Quin res ipſa hoc comprobat. Polluta hominibus ſunt labia, & neſciunt quid loquantur, niſi ſancta Spiritus S. fiant organa Eſ. 5. 5. Ier. 1. 6. Denique tum demum vera poteſtate ornantur, quando Deus verba ſua ponit in eorum ore, Ier. 1. 10. Iam vero Apoſtoli multis elogiis commendantur, Matt. 5. 13. Luc. 10. 16. Ioh. 20. 23. Nihilominus ſi Apoſtoli ſunt, nihil illis permiſſum eſt, niſi, quod nomine illo præ ſe ferunt, ut mandata Chriſti bona fide perferant. Nec aliud mandatum acceperunt, quam ut doceant quæcunque Chriſtus præcepit, Mat. 28. 19. Quin ipſe Chriſtus, unicus eſt æternus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Patris cõſiliatius, Dominus & magiſter omnium, non alia lege miniſterio fungitur, quam ut ejus, à quo miſſus eſt, doctrinam proferat, Iohan. 7.16. Atque hoc ſuo exemplo miniſtris omnibus præſcripſit regulam, quam in docendo ſequi debeant. Non eſt igitur poteſtas Eccleſiæ infinita, ſed verbo Domini ſubjecta. cap. 8. S. 2, 3, 4.

3. Semper proinde in Eccleſia locum habere debet, quod ab initio fuit, ne quid doceant ſervi Dei, niſi quod à Chriſto didicerint. Diſcendi tamen ratio pro temporum diverſitate variavit, & ea quæ nunc eſt plurimum à ſuperioribus differt. Principio ponendum eſt, neminem unquam myſteria Dei animo comprehendiſſe, aut eloquutum eſſe, niſi docente Filio Dei, cui ſoli paten arcana Patris, Matth. 11. 17. Ex hoc fonte primi Patriarchæ hauſerunt, quidquid habuerunt cœleſtis doctrinæ: ex eodem Prophetæ, quidqui oraculorum divinorum prodiderunt. Apud Patriarchas arcanis uſus eſt revelationibus, quas certis ſignis confirmavit, ut minimè dubium illis eſſet, Deum eſſe, qui loquebatur. Hi poſteris, quo acceperant, velut per manus tradiderunt. Filii ver ac nepotes Deo intus dictante ſciebant hanc doctrinam è cœlo eſſe. Poſtea, ubi Deo viſum fui illuſtriorem excitare Eccleſiam, verbum ſuun ſcripto mandavit conſignari, ad quod omnis doctrina tanquam ad regulam exigeretur. Hinc poſ legis promulgationem Sacerdotes oportebat pe tere, quod populo traderent, Malach. 2.7. adder aut detrahere expreſſe vetitum illis fuit. Sequu ſunt Prophetæ, quantum ad doctrinam Legis in terpretes, niſi quod Deus per eos vaticinia edid rit de rebus futuris, talia tamen, quæ ex Lege ma narent, & ad ipſam reſpicerent. Sic enim placu

Domin

Domino infirmorum cauſa illuſtriorem extare doctrinam & ampliorem. Has quoque Prophetias ſcriptis mandari præcepit, & haberi verbi ſui partem. Acceſſerunt hiſtoriæ à Prophetis dictante Spir. S. conſcriptæ. Pſalmos Prophetis annumeramus. Totum illud corpus ex Lege, Prophetis, Pſalmis, Hiſtoriis compactum Verbum Dei erat veteri populo, cujus finibus incluſum erat totum munus ſacerdotum. Et ad hanc regulam attendere jubentur uſque ad Euangelii prædicationem, Malach. 4. 4. Hac ipſa de cauſa tam magnificè David paſſim prædicat Legis excellentiam. Vbi vero Chriſtus in carne apparuit, pleno ore nobis ediſſeruit, quidquid humana mente de Patre cœleſti comprehendi & cogitari debet, Hebr. 1. 2. Neque jam, ut olim, Deus ſubinde per alios atque alios loquitur, nec Prophetias aut revelationes renovat, ſed omnes docendi partes in Filio complevit, ut hoc ultimum & æternum habendum ſit teſtimonium. Hinc tempus Novi Teſtamenti à Chriſti adventu uſque ad diem judicii per horam noviſſimam, noviſſima tempora, &c. deſignatur, ne novas patefactiones alias exſpectemus. Eodem ſpectat mandatum Dei, *Ipſum audite*. Matt. 17. 5. Sic enim Chriſtus ſingulari prærogativa nobis Doctor à Patre ordinatur, ut illi uni nos docendos ſiſtat. Nec mirum: poſtquam enim ſemel loquutus eſt ille, in quo cœleſtis Pater omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauros abſcondit, & ſic loquutus eſt, ut & Dei Sapientiam & Meſſiam decebat, poſt ſe nihil aliis dicendum reliquit. Denique Apoſtolorum non alia ratio eſt quam Prophetarum. Illis etenim in mandatis datum, ut veterem Scripturam exponerent; in Chriſto impleta eſſe, quæ illic traduntur, oſtenderent; nil præterea doce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

rent, niſi quod Chriſtus præcepiſſet, Matt. 28. 20. Denique horum nihil facerent, niſi præeunte & verba quodammodo dictante Spiritu S. Ideo I. vetat Dominus ut ſe Rabbi vocent, quia unus ſit Magiſter Chriſtus, Matt. 23. 8. II. Quia quæ audierant ex ore Magiſtri capere pro ſua ruditate non poterant, promittit illis Spiritum veritatis, qui ſuggeſturus ſit omnia, quæ ante Chriſtus ore docuerat, Ioh. 14. 26. & 16. 13. III. Petrus quoque nec aliis, nec ſibi quidquam facit reliquum, niſi ut traditam doctrinã diſpenſet, 1 Pet. 4. ℣. 11. Ita omnium hominum, cujuscunque ſint ordinis, placita tollit, ut ſolius Dei decreta rata maneant. IV. Et revera tunc confidenter ſervi Dei loquuntur, quando ſe Dei mandatis inſtructos eſſe certo norunt. V. Hæc enim ſunt arma vere ſpiritualia quibus omnia efficere valent, 2 Cor. 10. 4. cap. 8. S. 5, 6, 7, 8, 9.

4. Hinc firmum illud axioma conſtituimus, Non aliud eſſe verbum Dei, cui detur locus in Eccleſia, quam quod Lege primum & Prophetis, deinde ſcriptis Apoſtolicis continetur: nec alium eſſe rite docendi in Eccleſia modum, niſi ex verbi præſcripto & norma: hanc denique ſummam Doctorum eſſe poteſtatem, ut omnia ex verbo Dei dicant & faciant. Iam ſi Prophetæ & Apoſtoli hac Lege tenebantur, quanto magis Apoſtolorum ſucceſſores? Illi enim fuerunt certi & authentici Spiritus S. amanuenſes. Alii nihil habent officii, niſi ut doceant quod S. literis eſt conſignatum. Proinde non licet ipſis nova dogmata excudere, ſed doctrinæ S. Scripturæ ſine exceptione ſubjecti ſunt. Neque hoc tantum de ſingulis, ſed etiam de univerſa Eccleſia affirmamus. Nam quantum ad ſingulos attinet, negat Paulus ſe Corinthiorum fidei

domi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

dominari, 2 Cor. 1.24. quis ergo Paſtorum ſibi hoc arrogabit? ſi porro hanc docendi licentiam ſibi poſtulent, ut quidquid tradiderint, in eo certam ſibi fidem haberi velint, quid opus erat hanc regulam conſtituere, ut loquentibus Prophetis duobus vel tribus cæteri dijudicent, & ut primus taceat ſi alicui ſedenti revelatum ſit? 1 Cor. 14.19. Viden, ut omnes cenſuræ verbi Dei ſubjiciat? At ajunt alia eſt Eccleſiæ univerſæ ratio. Reſp. Minime. Nam. I. Fides à ſolo Dei verbo pendet, Rom. 10. 17. Nec aliter eſſe poteſt, quia niſi hac verbi firmitate ſubnixa ſit fides, non poſſet invicta & intrepida conſiſtere contra mundum & inferorum portas. Nullus ergo totius mundi verbo locus relinquitur. II. Quare eſt, quod Deus adimit hominibus proferendi novi dogmatis facultatem? Nempe quia uti ſolus Deus verax eſt, ita ſolus in ſpirituali doctrina nobis magiſter eſſe poteſt & debet. Hæc ratio etiam Eccleſiam obligat. cap. 8. S. 8, 9.

5. Cum hac Eccleſiæ poteſtate ſi conferas Epiſcopi Romani, quam prætendit, authoritatem, nil invenias niſi meram tyrannidem. Nempe hæc & ſcriptis & ferro tuentur. I. Concilium eſſe veram Eccleſiæ imaginé. II. Inde ſtatuunt ejusmodi Concilia regi immediate à Spiritu S. III. Ideo errare non poſſe. IV. Nec hic ſubſiſtunt. Quum ipſi Concilia regant, imo conſtituant, revera totum illud ſibi vendicant, quod conciliis deberi contendunt. V. Ideo fidem noſtram ſuo arbitrio ſtare & cadere, ſive quid probaverint aut damnaverint. Nec enim Chriſtianum eſſe, niſi qui in omnia ſua dogmata tam affirmativa quam negativa certo conſentiat; ſi non explicita, ſaltem implicita fide. VI. Nempe quia penes Eccleſiam ſit condere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

novos fidei articulos, quod ipſum pro ſua libidine audacter faciunt. cap. 8. S. 10.

6. Hanc ipſorum ſententiam ſic probant. I. Allegant præclaras promiſſiones datas Eccleſiæ, quod à Sponſo Chriſto nunquam ſit deſerenda, quin ducatur ejus Spiritu in omnem veritatem, Matt. 28. ℣. 20. Ioh. 14. 16. Reſp. I. Plærasque ejusmodi promiſſiones non minus fidelibus ſingulis, quam toti Eccleſiæ datas eſſe. Sin minus, abſurde fideles conſolatione privantur, quæ inde ad ipſos animandos redire debet. His ergo locis turpiter abutuntur. II. Non negamus, quin tota fidelium ſocietas præſtet donorum varietate ſingulis fidelibus ſeorſim conſideratis: neque hoc volumus fideles omnes Spiritu intelligentiæ & doctrinæ ex æquo valere. Sed fatemur, ſimpliciter iſtis locis doceri, Deum ſemper adeſſe ſuis, & eos ſpiritu ſuo regere. Verum hunc ſpiritum non eſſe erroris aut mendacii, ſed ſapientiæ & veritatis Spiritum, à quo non fallaciter diſcunt fideles quæ ſibi donata ſint. 1 Cor. 2. 12. Eph. 1. 18. III. Interim nihilominus intra verbi Dei fines ſe continere ſolliciti ſunt, conſcii ſibi ſuæ imbecillitatis, quia primitias Spiritus ſe in hac carne percipere, & nondum ad metam perveniſſe norunt. c. 8. S. 11.

7. Excipiunt, quidquid ſanctorum unicuique ſpeciatim tribuitur, id penitus & ad plenum competere in ipſam Eccleſiam. Reſp. I. Deum dona ſua Spiritus S. ita ſingulis diſtribuere ad menſuram, ut nihil corpori deſit neceſſarium, quando dona in commune conferunt. II. Multum ſemper Eccleſiæ ad ſummam perfectionem deeſſe, ſic tamen ut ſemper habeat quantum ſatis eſt, & quantum ejus neceſſitas requirit. Non eſt ergo verum, quod de plenitudine jactant. c. 8. S. 12.

8. II. Ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

8. II. Objiciunt locum Eph. 5.25. Eccleſiam ita mundari lavacro aquæ in verbo vitæ, ut ſit ſine ruga & macula. Reſp. I. Verum eſt ſanctificari indies Eccleſiam quoad initium, non quoad finem & complementum in hac vita: & deleri ejus maculas, ita ut quotidie adhuc deleantur, donec Chriſtus quidquid reſiduum eſt penitus auferat. II. Cum membra nonnihil adhuc impura ſint, abſurde Eccleſiam penitus & omni ex parte immaculatam cenſeri. III. Si quidem hæc ſententia admittatur, cum Pelagianis perfectam juſtitiam in hac vita: cum Catharis & Donatiſtis omnis infirmitatis ſublationem in Eccleſia ſtatuendam eſſe. c. 8. S. 12.

9. III. Vehementer urgent locum 1 Tim. 3.15. Eccleſiam dici columnam & firmamentum veritatis. Reſp. His verbis aliud non doceri quam Eccleſiam eſſe fidam cuſtodem veritatis, ita ut ejus opera & miniſterio ſuſtineatur, ne in mundo pereat. At hæc cuſtodia in miniſterio Prophetico & Apoſtolico ſita eſt. Vnde ſequitur totam inde pendere, ſi verbum Domini fideliter & pure conſervetur. Ita Paulus Eph. 4.11. dicit ideo datos fuiſſe Apoſtolos, Prophetas, & Doctores, ne quolibet vento doctrinæ circumferamur, &c. c. 8. S. 12.

10. IV. Quod Eccleſiam errare poſſe negant, nec nos inficiamur, ſed alio, quam illi, ſenſu. Dicimus non poſſe errare in rebus ad ſalutem neceſſariis, quamdiu abdicata ſua ſapientia, à Spiritu S. doceri ſe per verbum patitur. Itaque Eccleſiæ authoritatem volumus verbo eſſe annexam, nec ab eo ſeparari. Illi hanc extra Dei verbum collocant, ut ſi quid Eccleſia præter aut extra verbum hoc ſtatuerit, id non alio loco ſit habendum, quam certum Dei oraculum. Qua in parte graviter er-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

rant. Nam I. Si Eccleſia eſt ſponſa & diſcipula Chriſti, ne ex ſe ſapiat aut cogitet quidquam, ſed ab ore ſponſi & magiſtri ſolius pendeat neceſſe eſt. II. Ita fiet ut inventis ſuis diffidat; in quibus autem verbo Dei inititur, magna certitudine conquieſcet, & promiſſionum amplitudine confiſa non dubie credet Spiritum S. ſibi ſemper adeſſe. III. Nec aliter Chriſtus ſuos docuit, quem uſum ex Spiritu Dei percipere debeant, nempe quatenus ſuggerit ea omnia, quę dixit illis Ioh. 16. 7. 13. Sic Chryſoſtomus ait, Multos Spiritum jactare ſed falſo, quia propria loquuntur. At ne Chriſtus quidem niſi ex Lege & Prophetis loquutus eſt. Itaque ne credamus, ſi quid præter Euangelium ſub titulo Spiritus obtruditur. IV. Vetuit Deus quidquam addere verbo ſuo aut ex eo detrahere. Spiritus S. ergo individuo nexu cum verbo conjunctus eſſe vult, ut ex promiſſione Chriſti liquet. V. Peccant itaque adverſarii quando peregrinas & extraneas à verbo Dei doctrinas prætextu Eccleſiæ & promiſſi Spiritus Sancti commendant: quod tantundem eſt ac ſi Eccleſiam ſine verbo regi à Spiritu contendas. c. 8. S. 13.

II. V. Objiciunt, oportuiſſe Eccleſiam nonnulla addere ſcriptis Apoſtolorum, & ipſos Apoſtolos debuiſſe viva voce ſupplere quæ minus clare tradita eſſent, quia Chriſtus Apoſtolis dixerit, Multa habeo vobis dicenda, quæ modo portare non poteſtis, Ioh. 16. 12. Hæc eſſe illa placita, quæ ſine ſcriptura, uſu & moribus recepta fuerunt. Reſp. I. Confundi tempora. Tunc enim rudibus loquebatur. At poſtea Spiritum S. acceperunt à quo ducti ſunt in omnem veritatem: & hujus ductu Scripta ſua ediderunt. Quid obfuit ergo, quo minus perfectam Euangelicæ doctrinæ

cogni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

cognitionem complexi ſint & conſignatam reliquerint? An etiam hoc ſtatu eos tarditatis aut ignorantiæ accuſabunt? II. Reſpondemus cum Auguſtino. Quum Chriſtus illa tacuerit, dicant nobis quænam illa ſint, & hæc eſſe illa probent. III. Fructum ejus revelationis quam tunc Dominus promittebat, habemus in ſcriptis Apoſtolicis. Quorſum ergo veluti mutila aut dimidia taxantur? c. 8. S. 14.

12. VI. Etiam illud opponunt, quod Chriſtus juſſerit audire Eccleſiam, Mat. 18. 17. Reſp. I. Illic non de doctrina ſed de cenſuris agitur, ne quis admonitus vel objurgatus ſe judicio Eccleſiæ opponat. II. Et nos fatemur Eccleſiam audiendam eſſe, nempe ſi ex verbo Dei pronuntiet. Si plus ſibi poſtulet, ſi novas doctrinas condere aut obtrudere velit, negamus eſſe audiendam. Neque hoc ſine ratione dicimus. Quantum enim periculum creabitur fidelibus, quanta feneſtra aperietur impiorum ſannis & cavillis, ſi hominibus ſemel tantum juris conceſſum fuerit. III. Quum authoritas de qua ibi Chriſtus agit, ad omnes ſacros Eccleſiæ conventus ſpectet, etiam ſingulis urbibus & pagis par erit in dogmatibus cudendis libertas: quod ipſi adverſarii non admittunt. c. 8. S. 15.

13. VII. Exempla quoque adferunt; quibus idem probent. I. Pædobaptiſmi, quem dicunt ex Eccleſiæ decreto emanaſſe. Reſp. Falſum ſumunt, ut ſuo loco demonſtrabimus. II. Filium eſſe conſubſtantialem Patri; quod in ſcripturis non habeatur, & tamen à Synodo Nicena fuit promulgatum. Reſp. I. Gravem hic fieri injuriam Patribus, quod Arrium ſine Scriptura damnaverint. II. Falſum eſt non haberi in Scriptura. quia licet vox illa non exſtet, res ipſa tamen reperitur,

peritur, Vnum tantum eſſe Deum, Chriſtum autem eſſe verum illum & unum Deum. Ergo unius eſſentiæ. III. Conſtantinus Imperator juſſit hujus quæſtionis explicationem ex Scripturis ſumi. Hic nemo excepit, Eccleſiam poſſe aliquid adjicere de ſuo; ſin minus, ſuam ei poteſtatem eripi: Apoſtolos non omnia prodidiſſe Scripto. Sed Theodoretus refert Patres libenter amplexos eſſe quod dicebat Imperator. Conſtat ergo hoc novum dogma tum fuiſſe omnino incognitum. c. 8. S. 16.

DISPVTATIO V, De Conciliis eorumque authoritate.

Ex lib. 4. cap. 9.

I. NVnc etiam de Conciliis nobis dicendum. Quidquid enim poteſtatis Eccleſiæ tribuitur, id mox Pontificii ad Concilia transferunt, quam Eccleſiam vocant repreſentativam. Scopus eſt, ut Romano Pontifici & ejus ſatellitio totum illud deferant. Attamen ut omnia illis de Eccleſia concedamus, ne ſic quidem multum profecerint. Duo tamen hic præſtruimus. I. Nos Concilia venerari, & velle ut apud omnes in honore ſint: ſed hac lege, ut nihil Chriſto derogetur, cujus jus eſt omnibus Conciliis præſidere. In hac enim dignitate ſocium habet neminem. Tunc autem præſidet, ubi totum conſeſſum verbo & Spiritu ſuo moderatur. II. Non ideo minus nos Conciliis tribuere quam faciant adverſarii, quaſi cauſæ noſtræ ab illis metuamus. Nam etſi abunde verbo Domini inſtructi ſimus, tum ad doctrinæ noſtræ approbationem, tum ad totius Papiſmi everſionem, tamen ſi res flagitet, magna ex parte ad utrumque, quod ſatis eſt, vetera Concilia nobis ſubminiſtrant. c. 9. S. 1.

2. In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

2. In genere ſi quæratur, quænam ſit Conciliorum authoritas, non aliunde rectius intelligemus, quam ex illuſtri illa Chriſti promiſſione, Vbi duo aut tres in nomine meo congregati fuerint, illic in medio eorum ſum, Mat. 18. 20. Hic Obſervemus I. iſtam promiſſionem nihilominus in particularem cœtum competere, quam in Concilium univerſale. II. Chriſtum adjungere peculiarem notam, qua vera & legitima Concilia ab aliis diſcerni poſſint: nempe ſi congregentur in Chriſti nomine. His enim ſolis facta eſt promiſſio. Et poſſunt etiam impii Epiſcopi adverſus Chriſtum conſpirare. Iam vero negamus in nomine Chriſti congregari, qui verbo Dei quidquam addunt, aut detrahunt, vel qui non contenti Scripturæ oraculis proprio arbitrio novum aliquid comminiſcuntur. Hanc ergo diſcretionis notam Concilia demonſtrent, ſi volunt ut credamus regi à Spiritu S. Et hoc ipſum eſt pactum, quod olim Deus cum Levitis & Sacerdotibus pepigit. Et eandem legem à Prophetis & Apoſtolis requiſivit. cap. 9. S. 2.

3. Sed contra regeritur nec veritatem in Eccleſia poſſe manere, niſi conſtet inter Paſtores: nec Eccleſiam conſiſtere, niſi in Conciliis generalibus emineat. Primum reſpondemus de Paſtoribus, non id ſemper verum fuiſſe. Quin Eſaiæ; Ieremiæ, Ezechielis temporibus fuerit Eccleſia Ieroſolymis, negari non poteſt. Quomodo autem in Paſtores invehantur videre licet Eſai. 56. 10. Oſ. 9. 8. Ier, 6. 13. & 14. 14. adeoque toto capite 23 & 40. Ezech. 22. 25. Ajunt ſpeculatores eſſe cæcos, canes mutos, qui nihil ſciant nec intelligant: à Propheta uſque ad ſacerdotem quemque ſectari mendacium, quamvis prophetent in nomine

mine Dei: conjurationem eſſe in medio Prophetarum: Sacerdotes violaſſe legem, prophanaſſe ſancta Dei. Similes querimoniæ paſſim extant in aliis Prophetis. c. 9. S. 3.

4. Excipiunt hoc inter Iudæos valuiſſe: noſtrum ſeculum à tanto malo immune eſſe. Contra 1. Spiritus S. denuntiat per Petrum 2 Pet. 2. 1 ſicut olim in veteri populo fuerunt Pſeudoprophetæ, ſic in Eccleſia Novi Teſtamenti falſos fore doctores. Chriſtus quoque & Apoſtoli pericula Eccleſiæ non tam à plebeis, quam à Paſtoribus impendentia prædicunt, Mat. 24. 11. 24. Paulus nominatim aſſerit Antichriſtum ſeſſurum in templo Dei, 2 Theſſal. 2. 4. intraturos lupos rapaces. Imo ex vobis erunt (alloquitur autem Epiſcopos) qui loquentur perverſa, Act. 20. 29. Si Paſtores tam exiguo tẽporis ſpatio degenerare potuerunt, quid non corruptionis longa annorum ſeries attulerit? II. Omnium fere ſeculorum exemplis monemur nec veritatem ſemper in ſinu Paſtorum ali, nec Eccleſiæ incolumitatem ab eorum ſtatu pendere. Sic agunt adverſarii, quaſi nulla amplius ſint Dei judicia: & cum olim populi ingratitudinem ultus ſit cæcitate & ſtupore Paſtorum, non eodem genere pœnæ in mundum hodie poſſit animadvertere. IV. Eandem olim canebant cantilenam, legem à Sacerdote & verbum à Propheta non poſſe perire, Ier. 18. 18. Sic & noſtri hodie cum verbo Dei belligerantur. c. 9. S. 4. 5.

5. Dicat aliquis hac ratione Paſtorum authoritatem paſſim & temere labefactari. Reſp. Negamus, ſed inter ipſos delectum habendum eſſe monemus. Neque enim quicunque Paſtores dicuntur, etiam ſtatim revera Paſtores ſunt, quia quod ex officio debent non præſtant. In eo numero

Papam

Papam ponimus cum ſuis Epiſcopis, qui dum excuſſa verbi Dei obedientia volvunt & verſant omnia pro lubitu, ſe tamen Paſtores nuncupant, ſibi Spiritum & Eccleſiæ titulum arrogant. c.9.S.5.

6. Hinc facile eſt reſpondere ad illud alterum de generalibus Conciliis. I. Reponimus ipſis ſtatum Eccleſiæ Iudaïcæ, quæ quin vera ſub Prophetis fuerit, negari non poteſt. Audimus tamen, quid Deus non uni aut alteri Sacerdotum, ſed quid toti ordini denuntiet: Obſtupeſcent Sacerdotes, Prophetæ terrebuntur: Lex peribit à Sacerdote, & conſilium à Senioribus: nox pro viſione erit: occumbet ſol ſuper Prophetas, &c. Ier.4.9. Ezech. 7.℣.26. Mich.3.6. Quod ſi generale Concilium tunc ex iis coactum fuiſſet, quis Spiritus in eorum cœtu præfuiſſet? II. Etiam Concilia, quæ ſeculis iſtis congregata fuerunt, diſpiciamus. Rex Achab convocat quadringentos Prophetas. At Spiritus mendax mittitur in ore omnium, & ibidem Micha Propheta damnatur, 1 Reg.22.5.22. Idem Ieremiæ & aliis Prophetis contigit. Etiam Ieroſolymæ concilium Pontifices & Phariſæi contra Chriſtum collegerant. Nihil ad externam ſpeciem deerat: non Eccleſia, cujus ceremoniis Chriſtus communicabat: non ſummus Pontifex, qui præit: non Sacerdotalis ordo qui totus aſſidet ſolenniter convocatus. Et tamen illic damnatur Chriſtus. Apparet minime in illo Concilio fuiſſe Eccleſiam, Ioh.11.47. c.9. S.6, 7.

7. Excipiunt non eſſe periculum, ne quid tale ipſis eveniat. Reſp. At hoc probandum erat. Neque enim licet nobis in re tanta eſſe ſecuros. Ex adverſo, quum Paulus prædicit venturam defectionem, quod fieri nequit, quin Paſtores primi deficiant, abunde nos de periculo admonuit, ut nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

cautiores reddat. Denique nusquam Deus promiſit Paſtores perpetuo fore bonos, malos autem interdum fore pronuntiavit. Ergo non eſt concedendum Eccleſiam in Paſtorum cœtu conſiſtere cap. 9. S. 7.

8. III. Quæ porrò ſub Chriſtianis fuerun Concilia ſi conſideremus, reperiemus. 1. Concilia cum Conciliis pugnare. Conſtantinopolitanum ſub Leone imperatore imagines in templis collocatas confrigendas cenſuit. Poſtea Concilium Nicenum reſtituendas, & earum quoque cultum decrevit. Ita vero Scripturam detorſit & laceravit, ut nihil Spiritus S. agnoſcere poſſis. Porro Epheſina Synodus confirmavit Eutychianam impietatem, quam Chalcedonenſis damnavit. Quam ex his agnoſcemus pro vera Synodo? Quod dicunt alterutrum non eſſe legitimum, de nihilo eſt. Vnde enim illud æſtimabimus? Nempe eo redeundum, ut ex ſcripturis judicemus, an orthodoxa ſint decreta. Papiſtis placuit Concilium Nicenum. Si Auguſtinum, ſi Epiphanium audias, abominabuntur, imagines in templis non approbabunt. Quum ita ſe res habeat, quis dicat affixum Conciliis eſſe Spir. Sanctum? II. In antiquis quoque & purioribus Conciliis, nonnihil eſt quod jure poſſis deſiderare. In Synodo Nicena prima, omnium digniſſima, tanta fuit diſcordia & contentio Epiſcoporum, ut nullus earum finis extitiſſet, niſi Conſtantinus Imperator prudenter occurriſſet. Ita nimium affectu præcipites ferebantur. Alias viri prudentes alioquin, & eruditi, vel negotiis diſtracti non omnia proſpiciebant: vel, magis ſeriis occupati leviora quædam ſubterfugiebant: vel, ut homines, imperitia nonnunquam decepti ſunt. III. Ipſe Leo Pontifex non dubitavit

tavit Synodo Chalcedonenſi ambitionem & temeritatem objicere, & cum legitimam eſſe negare non poſſet, errare tamen potuiſſe palam aſſeruit. Vnde facile eſt colligere Spiritum S. ſic pias alioquin Synodos gubernaſſe, ut tamen aliquid eis humanitus accidere permiſerit. IV. Et hæc melior eſt ſententia quam Nazianzeni, dicentis, ſe nullius Concilii bonum vidiſſe finem. Qua ratione Conciliis non multum authoritatis relinquit. V. Quanquam hic fatentes habemus adverſarios, quum dicunt errare poſſe Concilia in iis quæ ad ſalutem non ſunt neceſſaria. Ita rurſus ſibi contradicunt, quando omnium Conciliorum determinationem in re qualibet, nullo diſcrimine, pro Spiritus Sancti oraculo nobis obtrudunt. cap. 9. Sect. 9. 10. 11.

9. De provincialibus Conciliis mentionem ſeorſum facere non eſt neceſſe. Nam ex generalibus Conciliis æſtimare promtum eſt, quantum authoritatis habeant ad condendos fidei articulos. Sect. 11.

10. Sed, inquies, nulla ne erit in definiendo Conciliorum authoritas? Reſp. Imo vero. Neque enim omnia Concilia damnamus, nec ſic in ordinem cogimus, ut cuilibet liceat recipere vel reſpuere quod Concilia ſtatuerint. Sed quoties Concilii alicujus decretum profertur, expendi volumus, quo tempore habitum ſit, qua de cauſa, & quo conſilio, quales item homines interfuerint: deinde illud ipſum quod agitur ad Scripturę amuſſim examinari: ſic ut Concilii definitio pondus ſuum habeat, & ſit inſtar præjudicii nec tamen examen illud impediat. Ita conciliis ſua manebit Majeſtas, ut tamen ſuperiore loco emineat ſcriptura. Sic Auguſt. contra Maximinum à Concilliis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

liis ad Scripturarum authoritatē provocat, quantum attinet ad fidei dogmata: quia nihil continent quam puram Scripturæ interpretationem. Sic & nos priſcas Synodos, quatuor ſcilicet univerſales primas libenter amplectimur ut ſacroſanctas. In poſterioribus quoque nonnullis agnoſcimus pietatis ſtudium, itemque notas ingenii, doctrinæ & prudentiæ non obſcuras, ita tamen ut ex recentioribus Conciliis animadvertere non ſit difficile, quantum Eccleſia à puritate prioris ſeculi degeneraverit. cap. 9. S. 8.

11. Extremum ſupereſt ſed miſerum Romanenſium effugium, quod verum maneat verbum Domini quo Præpoſitis obedire jubet Heb. 13. 17. etiamſi mente ſtupidi ſint & animo nequiſſimi. Reſp. I. Negamus eſſe præpoſitos, qui tales ſunt. 2. Fatemur iis eſſe obediendum, ſi ſint ſpirituales Præfecti, qui à Lege Domini neque huc neq; illuc deflectant. Sic enim Ioſuæ in mandatis datum eſt, Ioſ. 1. 7. 8. Sic etiam Prophetis & omnibus Paſtoribus. II. Ita reſtringendum eſſe hoc præceptum ex eo patet, quod ſollicite Domini voce admonemur, ne Pſeudoprophetarum ſermoni auſcultemus, Ier. 23. 16. ut ab illis nobis caveamus, Mat. 7. 15. ut probemus Spiritus num ſint ex Deo, 1 Ioh. 4. 1. Non eſt ergo abſque omni hæſitatione accipienda quorumvis Paſtorum doctrina. Imo ne Angeli quidem huic judicio eximuntur, Gal. 1. ꝟ. 8. III. Eodem ſpectat Chriſti monitum Mat. 15. 10. Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadent. Ergo non omnes temere Paſtores audiendi, quibuscunque titulis nominentur, aut ſub quacunque larva Conciliorum vel Epiſcoporum lateant. Poteſt enim fieri ut cæci ſint & conſortes ſuos in idem rapiant præcipitium. c. 9. S. 12.

12. Se-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

12. Sequitur alterum poteſtatis Eccleſiæ caput, quod in Scripturæ interpretatione conſiſtit. Noſtra hæc eſt ſententia. Si quæ de dogmate aliquo incidat diſceptatio, nullum eſſe nec melius nec certius remedium, quam ſi verorum Epiſcoporum Synodus conveniat, ubi controverſum dogma excutiatur. I. Quia multo plùs ponderis habebit ejuſmodi definitio, in quam communiter Eccleſiarum Paſtores invocato Spiritu Chriſti conſenſerint, quam ſi tantum ſit privata. II. quia collecti in unum Epiſcopi commodius deliberant in commune, quid ſibi & qua forma docendum ſit, ne diverſitas offendiculum pariat. III. quia, ubi turbatur Eccleſia dogmate inuſitato, & periculum eſt à graviori diſſidio, facto juſto examine, & ex Scriptura definitione prolata, tum dubitatio in plebe tollitur, & os hominibus improbis obſtruitur. Hanc agendi rationem docet Paulus, 1 Cor. 14. 29. Hanc contra Arrium Nicena Synodus: contra Macedonium Conſtantinopolitana: contra Neſtorium Epheſina Synodus ſequuta eſt. Et hæc ab initio fuit ordinaria in Eccleſia ratio conſervandæ unitatis, quoties Satan aliquid machinari ceperat. Sed hic meminerimus, non omnibus ſeculis haberi Athanaſios, Baſiios, Cyrillos ſimileſque veræ doctrinæ vindices. Sane in ſecunda Bpheſina tumultuatum fuit, & hæreſis Entychiana obtinuit. Si quis neget illam fuiſſe verum Concilium, non negabimus. Inde autem manifeſte colligimus. 1. Non eſſe perpetuum, ut vera ſit & certa ſcripturæ interpretatio, quæ Concilii alicujus ſuffragio fuerit recepta. 2. Non interire in Eccleſia veritatem, etiamſi ab uno Concilio opprimatur. c. 9. S. 13.

13. Pontificiorum alia eſt ſententia. Poteſtatem

tem interpretandi Scripturam penes Concilia eſſe tradunt, ſed ſine provocatione. Si quid in conciliis ſtatutum ſit, cujus non reperitur una ſyllaba in ſcripturis, ut de Purgatorio, Sanctorum interceſſione, Confeſſione auriculari, &c. id omne pro Scripturæ interpretatione haberi volunt. Si etiam reclamante Scriptura quidpiam ſtatuerit Concilium, ut de calice Cœnæ non porrigendo laïcis, de conjugii prohibitione facta Sacerdotibus, interpretationis habebit nomen, contra expreſſum textum, Mat. 26.26. 1 Tim. 4. 1. Heb. 13. 4. Si quis contra hiſcere audeat, hæreticus judicabitur, quia ſine provocatione ſit Eccleſię determinatio. Hanc Eccleſiæ poteſtatem non agnoſcimus. cap. 9. Sect. 14.

14. Denique poteſtatem etiam approbandæ Scripturæ Romanenſes Eccleſiæ tribuunt, de qua dictum fuit lib. 1. Inſtit. cap. 7. Paucis tantum hic monemus 1. Blaſphemiam eſſe, non aliter rata eſſe Dei oracula, niſi quia placuerint hominibus. 2. Nullum citari poſſe concilium univerſale, ubi hæc approbatio facta ſit. 3. Quod veterem Catalogum allegant, qui Canon vocatur, & ex Eccleſiæ dijudicatione manaſſe aſſerunt, vera probatione caret. Omitto quod inter veteres de iſto Canone parum conſtet. Et ſi Hieronymi ſententia valere debet, Apocryphi erunt libri quos illi volunt eſſe Canonicos. c. 9. S. 14.

15. Concludimus nullam eſſe Conciliorum poteſtatem, nec in cudendis novis dogmatibus, nec in Scripturæ interpretatione facienda pro lubitu, multo minus in conſtituenda authoritate Scripturæ.

DISPV-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

DISPVTATIO VI,

De Poteſtate Eccleſiæ in ferendis Legibus.

Ex lib. 4. *cap.* 10.

1. SEquitur pars ſecunda, quam in ferendis legibus ſitam eſſe diximus. Ex hac innumeræ traditiones humanæ ortum habent, quibus Pontificii conſcientias tyrannice premunt. In eo autem verſatur quæſtionis ſtatus, An Eccleſiæ liceat conſcientias obſtringere ſuis legibus. Obſervemus autem non agi hic de ordine politico, non etiam de ſanctis & utilibus Eccleſiæ conſtitutionibus, quæ vel ad diſciplinam, vel honeſtatem, vel pacem conſervandam faciunt. Sed de traditionibus humanis quæ præter Dei verbum circa cultum ejus profectæ ſunt ab hominibus. Nam quas Pontificii leges condunt, ajunt eſſe ſpirituales, pertinentes ad animam, & ad vitam æternam neceſſarias. Nos illas pugnare dicimus cum regno Chriſti, & libertate conſcientiarum, & ex fine impias eſſe, quia juſtitiam, & ſalutem totamque religionem in illarum obſervatione ponunt. Vnus enim Rex nobis agnoſcendus eſt & liberator Chriſtus. Vna libertatis lege, nempe Sacro Euangelii verbo regantur oportet, quicunq; gratiam Chriſti retinere volunt. Et quamvis conſtitutiones illas leges libertatis eſſe dicant, & ſuave jugum atque onus leve, nihil tamen minus experiuntur, qui aliquam ſalutis ſuæ curam habent, quorum conſcientias extrema anxietate & terrore perplexas uri neceſſe eſt, quum & innumeras eſſe vident, & tanta ſeveritate exigi, & in illis multas obſervatu difficillimas, & ſi ſimul congerantur, impoſſibiles. Ipſis ſi tales eſſe non videntur non eſt mirum, quando ſemel ab-

jecto

jecto Dei timore tam ſuas quam divinas leges ſecure ac ſtrenue negligunt. Sane Paulus ne in una quidem re laqueum conſcientiis injicere voluit, earum rerum neceſſitatem imponendo, quarum relicta eſſet à Domino libertas, 1 Cor. 7. 35. Has ergo leges impugnamus, quæ animas coram Deo ligant, & religionem injiciunt, ac ſi de rebus ad ſalutem neceſſariis præciperent. c. 10. S. 1, 2.

2. Primum ante omnia diſtinguendum eſt inter externũ ſive terrenum & conſcientiæ forum. Dein notandum, conſcientiam proprie ad Deum referri. Et hujus legibus eam obſtringi ſimpliciter, etiam non habita hominum ratione. In rebus mediis conſcientiam manere liberam, etiam quando in fratrum gratiam ſibi aliquid facit neceſſarium. Qua de re vide lib. 3. cap. 19. S. 15. 16. Hinc colligimus humanas leges ſi in hunc finem latæ ſint, ut religionem nobis injiciant, quaſi per ſe neceſſaria ſit earum obſervatio, conſcientiis imponi, quod fas non erat. His enim cum Deo eſt negotium, non cum hominibus. Atque hoc omnes fatentur, humanis judiciis ſuperiorem eſſe conſcientiam, ita ut Chriſtianæ libertatis ſcintillæ in media ignorantiæ caligine adhuc ſuperſint. Sect. 3, 4, 5.

3. Quod Paulus docet Magiſtratui obediendum eſſe propter conſcientiam, nihil facit ad hominum tyrannidem ſtabiliendam. Nam diſtinguendum eſt inter genus & ſpeciem. Singulæ leges conſcientiam non attingunt, ſed generali præcepto Magiſtratui obedire tenemur. Atque in eo verſatur Pauli diſputatio, Rom. 13. Neque enim hoc ſibi vult, quæ à Principibus feruntur leges, ad interiorem animæ obedientiam pertinere. Illud enim fixum manet, cultum Dei Spiritualem ad

placita

placita hominum non poſſe exigi. Prçterea quamvis leges humanæ probæ & juſtæ, ſive à Magiſtratu ſive ab Eccleſia ferantur, ſint obſervatu neceſſariæ, tamen ligare conſcientias non poſſunt, quia tota obſervandi neceſſitas ad generalem finem reſpicit, non autem conſiſtit in rebus præceptis. Ab hoc ordine procul diſtant, quæ novam formam præſcribunt colendi Dei, & neceſſitatem conſtituunt in rebus liberis. Sect. 5.

4. Tales autem ſunt Eccleſiaſticæ conſtitutiones in Papatu, quibus pſeudoepiſcopi conſcientias onerant, idque hoc prætextu, quod ſint ſpirituales legiſlatores. Has ergo leges qui violaverit, eum duplicis inobedientiæ reum eſſe aſſerunt, quod Deo & Eccleſiæ ſit rebellis. Reſp. I. Si vero Epiſcopi eſſent, aliquid eis authoritatis concederemus, non quantum poſtulant, ſed quantum ad politiam Eccleſiæ rite ordinandam requiritur. At vero nihil minus ſunt, quam quod haberi volunt. II. Negamus tales eſſe legiſlatores, qui præſcribere à ſeipſis abſque Dei verbo poſſint vivendi regulam tanquam obſervatu neceſſariam, vel ad ſua placita plebem ſibi commiſſam adigere. Hoc jus Apoſtolis incognitum & ſæpius Eccleſiæ miniſtris ademtum eſſe dicimus. S. 6.

5. Nam ſi perfecta benè vivendi regula quæritur, id totum Deus ſic ſua Lege complexus eſt, ut nihil hominibus, quod addant, reliquerit. Cujus cauſæ duæ. I. Vt ejus voluntas perfecta ſit nobis omnis juſtitię ac ſanctitatis regula, in cujus cognitione ſita eſt tota bene vivendi ſcientia. II. Vt ipſe unus imperium habeat in animas noſtras, à cujus nutu pendere debeamus: quique à nobis nihil magis requirit, quam obedientiam. Eſt enim ſolus Legiſlator, qui poteſt ſervare & perdere,

ſolus

ſolus animarum Rex, Iacob. 4. 11. Eſai. 23. 22.
Id nemo hominum ſibi ſumere poteſt. Quod
etiam Petrus docet, quum vetat Paſtores domi-
nium exercere in hęreditatem Domini, 1 Pet. 5. 2.
Priorem cauſam Paulus urget, Col. 2. 8. diſputans
adverſus eos, qui novis oneribus premere Eccle-
ſias tentabant: his argumentis, 1. quod in Euan-
gelio contineatur omnis ſapientia, qua homo per-
fectus reddatur in Chriſto. cap. 1. 2. quod omnes
theſauri ſapientiæ & intelligentiæ in Chriſto ſint
abſconditi. cap. 2. Hinc ibidem concludit caven-
dum fidelibus, ne ſe patiantur per inanem philo-
ſophiam decipi ſecundum conſtitutiones homi-
num. Tandem damnat omnes fictitos & volun-
tarios cultus, in quibus ſine verbo homines Deo
ſervire conantur. Poſterioris cauſæ meminit in
epiſtola ad Galatas, præſertim cap. 5. Summa eſt,
non eſſe laqueos conſcientiis injiciendos, quas
æquum eſt à ſolo Deo regi. His duabus rationibus
bene obſervatis, facilis erit dijudicatio & certum
examen de humanis legibus, quod nuſquam aber-
rare nos ſinet. S. 7, 8.

6. Sed ut res tota melius pateſiat, in ipſas Pa-
pales cōſtitutiones inquiramus, quarum duo ſunt
genera: aliæ de ceremoniis & ritibus, aliæ ad di-
ſciplinam magis ſpectant. Has illi ſanctas & ſaluta-
res eſſe, ipſiſſimum Dei cultum iis contineri de-
fendunt, & ad eas ſervandas præciſa neceſſitate
conſcientias aſtringunt. Nos autem 1. dicimus
eſſe pernitioſas & impias, quia per illas Deum coli
volunt. Neque hoc fit ſolo errore imperitæ mul-
titudinis, ſed Doctorum quoque approbatione.
Ita vero colendi Dei ritum ad hominū arbitrium
redigunt, ſecundum elementa hujus mundi, tum
vero fideles cōſcientias hominibus in ſervitutem
tradunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tradunt, quod Paulus Chriſto adverſari teſtatur & fieri vetat. Col. 2. 20. Galat. 5. 1. 11. Per illas dicimus fieri irritum Dei præceptum. Vbi enim vanis ejuſmodi figmentis religio definiri ſemel cœpta, ſequitur & altera execrabilis pravitas, ut gravius ſit in illas traditiunculas, quam in Dei mandata peccaſſe. Quod ipſum Chriſtus Phariſæis ex Eſaia exprobrat, Matth. 15. 3, 9. Eſai. 29. 13. Res ipſa palam eſt. Auricularem confeſſionem vertente anno prætermiſiſſe, carnem die Veneris guſtaſſe, ſacrificum legitimo connubio copulari, votivas peregrinationes non perſolviſſe, in templorum luxus non aliquid profudiſſe, idolum ſine honore præteriiſſe, certis horis longa ſine ſenſu verba non demurmuraſſe, & ſimilia multa in graviſſimis peccatis cenſentur, nec niſi magnis mulctis, etiam carcere, exilio, gladio expiantur. Dei mandata frigide commendantur, & ſi quis tranſgreſſus fuerit, levibus mulctis facile ſatisfacit. Hoc vere eſt irritum facere præceptum Domini per humanas traditiones. Sane non parum in eo delinquitur, quod ob res leviculas, & ſi Dei judicio ſtaretur liberas, alter alterum contemnit, judicat, & abjicit. Sed gravius eſt, quod pluris fiunt frivola hujus mundi elementa, quam cœleſtia Dei oracula: & qui prope in adulterio abſolvitur, condemnatur in cibo: cui ſcortum permittitur, interdicitur uxor. Hoc poteſt prævaricatrix obedientia, qua tantum à Deo avertimur, quantũ ad homines inclinamus.

III. His accedit & aliud vitium, quod leges illæ, quas improbamus, magna ex parte inutiles, interdum etiam ineptas obſervationes præſcribunt. Quod quidem carnis prudentiæ ſecus videtur. Sed Paulus larvas illas diſcutit, quando ſcribit habere ſpeciem ſapientiæ, in commentitio cultu, in hu-

 militate,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

militate, & quod ſua auſteritate ad domandam carnem valere videntur, Col. 2. 23. Nam 1. quia confictæ ſunt ab hominibus, quod ſuum eſt, & vanitati ſuæ magis convenit, humanum ingenium libentius amplectitur. 2. Quod aptæ videntur ad humilitatem, hinc alteram habent commendationem. 3. Videntur prudenter excogitatæ, quia rigore abſtinentiæ carnis delitias cohibent. Sed Paulus unico verbo refellit, quod ſint hominum commenta: quod à vera humilitate longiſſime diſtent: quod non pluris æſtimanda ſint, quam corporis exercitatio: quod ſpecie externa decipiant, non indoctum duntaxat vulgus, ſed etiam mundanam ſapientiam: quod hypocritæ, & fatuæ muliercu- læ ſpecioſis illis cæremoniis maxime capiuntur. 4. Addamus quarto, quod partim ex Gentium deliriis, partim ex Iudaiſmo deſumtæ ſint. Et qui eas penitius introſpiciunt, facile intelligent tum meras eſſe & inutiles nugas, tum vero præſtigias, quæ ſpectantium oculos inani pompa deludunt, & conſcientias in Iudaiſmum revolutas umbratili & evanido diſciplinæ ſpectro paſcunt. 5. Quod in tantum numerum excreverint, ut Chriſtianæ Eccleſiæ nullo modo ſint tolerabiles. Iam ſuo tempore conquerebatur Auguſtinus, neglectis Dei præceptis omnia præſumtionibus eſſe plena, ita ut Eccleſiæ, quam liberam Deus eſſe voluit, intolerabilior conditio ſit quam Iudæorum. Quid diceret ſanctus ille vir, ſi in hoc ſeculum noſtrum incidiſſet? quando & numerus cæremoniarum decuplo major eſt, & ſinguli apices centuplo rigidius quam tunc exiguntur, & ut fieri ſolet, nullus jubendi aut vetandi finis eſt, ubi ſemel perverſi legiſlatores imperium occuparunt. Quem ſuperſtitionis & audaciæ progreſſum eleganter in-

dicavi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

dicavit Paulus, Coloſſ. 2. 20. Accedit, quod hac ratione ſemiſepulto Chriſto ad Iudaicas figuras redeamus. Rectius Auguſtinus. Dominus noſter Chriſtus Sacramentis numero pauciſſimis, ſignificatione præſtantiſſimis, obſervatu facillimis, novi populi ſocietatem obligavit. Ab hac ſimplicitate quantum abſit rituum multitudo & varietas, non poteſt ſatis dici. Fruſtra autem eſt, quod rudium & infirmorum cauſa pædagogiam hanc ajunt eſſe inſtitutam, quam nec firmiores negligere debeant, quod infirmis utilem eſſe vident. Reſp. Fratribus infirmis eſſe conſulendum fatemur, ſed hanc negamus eſſe rectam rationem, ut cæremoniarum acervis obruantur. Hoc ipſo enim Deus nos & Iudæos diſcrevit, quod hi pro ætatis captu ſub pædagogo fuerint, nos adultis ſimiles puerilibus rudimentis opus non habeamus. Galat. 4. 1. Itaque ſtulte conſulitur infirmis, ſi rurſus Iudaiſmus erigatur, quem Chriſtus abrogavit. Idipſum Chriſtus docuit Iohan. 4. 23. quando novos cultores à veteribus eo differre dicit, quod nos Deum adoremus in Spiritu & veritate, quum veterum adoratio ſpiritualis variis cæremoniis implicita fuerit. Hunc ordinem confundere aut evertere non licet. Nec tamen idcirco imperitioribus omnes cæremonias eripimus, quia novimus hoc genus adminiculi rudibus eſſe utiliſſimum: ſed modum adhibendum eſſe contendimus, ut & numero paucæ ſint & obſervatu faciles, & ſignificatione perſpicuæ, quæ Chriſtum illuſtrent non obſcurent. Iudæis enim plures datæ ſunt, quæ eſſent abſentis Chriſti imagines: abſentis dicimus non virtute, ſed ſignificandi modo. Nobis paucis & minime laborioſis opus eſt, ut præſentem Chriſtum demonſtrent. 6. Eſt & illud vitium maxime

 perni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

pernitioſum, quod his obſervatiunculis peccata expiari docent, & miſeram plebeculam in externis nugis juſtitiam quærere patiuntur, quam Deo opponant. Nec eſt cur excipiant, in operibus à Deo præceptis hac parte non minus peccari poſſe. Nam primò indignum eſt opera humano arbitrio conficta eodé loco ponere, quo ſunt opera à Deo mandata. Et abſurdum eſt, illis tantum honoris tribuere, ut ſint meritoria vitæ æternæ, quod ne operibus quidem renatorum Scriptura tribuit. Etſi enim habeant remunerationem à Deo, non tamen illud ex merito conſequuntur, ſed ex gratuita Dei benignitate, quæ obedientiam noſtram quamvis mutilam & infirmam tanti æſtimat. Denique quidquid commendationis habent opera, non habent niſi obedientiæ intuitu Ierem. 7. 22. Fictitia vero opera Deus rejicit Eſai. 55. 2. & cap. 29. 13. Matth. 15. 9. Cæterum quid opera ſine Chriſto valeant, in loco de Iuſtificatione expoſitum fuit. 7. Hoc quoque dignum inſectatione vitium, quod non intellectas & ſignificatione carentes cæremonias oſtentant & in illis miſerum popellum detinent. Atqui certum eſt Cæremonias eſſe corruptas & noxias, ſi à doctrina ſeparentur, aut homines ad Chriſtum non dirigant. 8. Illud etiam merito reprehendimus, quod omnes fere ad turpem quæſtum & ſacrilegam nundinationem proſtitutæ ſunt. Sect. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

7. Quæ de humanis conſtitutionibus huc uſque diximus, etſi noſtrę ætati potiſſimum ſunt accommodata, omnibus tamen ſeculis utilem continent doctrinam. Quæcunq; enim leges hoc fine feruntur, ut ſuis figmentis Deum colere homines velint, fieri nequit, quin in iſtos craſſos abuſus degenerent.

nerent. Hanc enim cæcitatem & maledictionem omnibus & omni tempore minatur Deus, à quibus colitur doctrinis hominum. Vnde fit ut nullum abſurditatis genus fugiant. Tamen remotis omnibus circumſtantiis hæc certa ſit definitio, omnes leges ſine verbo in hunc finem poſitas, ut vel modum colendi Dei præſcribant, vel conſcientias tanquam de rebus neceſſariis ad ſalutem religione aſtringant, pro humanis & repudiandis traditionibus eſſe habendas. Si porro vel multitudine, vel inutilitate, vel turpitudine, vel obſervationis difficultate, vel malis ſuperſtitionibus religionem corrumpant, adjumenta hæc erunt, ut facilius deprehendamus quantũ ſit in illis mali. S. 16.

8. Sed audiamus quid pro ſe reſpondeant. I. Ajunt ſuas traditiones non à ſe, ſed à Deo eſſe. Eccleſiam etenim, ne errare poſſit, à Spiritu Sancto regi. Ejus vero authoritatem penes ſe reſidere. Suas ergo traditiones eſſe Spiritus S. revelationes. Reſp. 1. Falſo ipſos ementiri Eccleſiæ titulum. Non eſt Eccleſia, quæ præteritis verbi finibus novis legibus ferendis luxuriat. Æterna hæc lex Eccleſiæ dicta eſt, Quidquid præcipio tibi, hoc facies: non addes nec detrahes quidquam, Deut. 12.32. Prov. 30.6. Non poteſt eſſe dubium hæc de cultu Dei intelligenda eſſe. Manifeſtam itaque contumeliam inurunt Eccleſię, ſi illam dicant poſt talia interdicta de ſuo nihilominus doctrinæ Dei admiſcere. Falſo proinde Eccleſiæ nomen prætendunt. Sect. 17.

9. Excipiunt hoc de ſola Lege dictum fuiſſe. Reſp. 1. Si Legi Moſis nihil potuit addi nec detrahi, multo minus licuit, quando Filius Dei illam implevit & clarius adminiſtravit. Recte ergo concludimus, jam nihil Legi, Prophetis, Pſalmis,

Euangelio addi debere. II. Quum Deus à ſe nunquam degeneraverit, & verè teſtatus ſit, ſe nulla re magis offendi, quam dum humanis adinventionibus colitur, uti patet ex Ier. 7. 22. & 11. 7. nihilque magis à nobis requirat quam obedientiam, 1. Sam. 15. 22. merito impietatis accuſamus, quidquid humanarum legum titulo Eccleſiæ venditatur. III. Non nos tantum ſingulatim, ſed ipſa Eccleſia ſemper hanc Deo obedientiam debuit, ut ex verbo Dei ſapiat. At tum recte cum Eccleſia conſentimus, quando hoc ſpectamus, quid nobis & Eccleſiæ præceptum ſit. Ceſſent ergo de poteſtate Eccleſiæ vociferari, & quam verbo Dei debent obedientiam diſſimulare. Nos certe in Eccleſiam injurii ſic eſſe nolumus, ut eam adverſus Dominum ſuum contumacem faciamus. S. 17, 18.

10. II. Obtendunt bonam partem ſuarum obſervationum ab Apoſtolis fluxiſſe. Reſp. Meram hanc eſſe impoſturam. I. quia huc tendit tota Apoſtolorum doctrina, ne novis obſervationibus onerentur conſcientiæ, aut Dei cultus noſtris inventionibus contaminetur. II. Non Apoſtolis modo incognita ſed inaudita fuerunt quæ illis tribuunt. Itaque falſum eſt, hæc illa eſſe quæ Chriſto adhuc vivente intelligere non poterant, poſt autem ex Spiritus revelatione didicerint. III. Ingentia illa myſteria conſtat eſſe obſervationes partim Iudaicas, partim Gentiles: ineptas porro geſticulationes & inanes cæremoniolas. Quorum omnium teſtes citamus hiſtorias & vetuſta monumenta. IV. Etſi hæc non extarent, ex ipſa re tamen poſſemus colligere, non ſubito erupiſſe in Eccleſiam tantam rituum & obſervationum congeriem, ſed ſenſim obrepſiſſe. A primis Epiſcopis nonnulla fuerunt inſtituta, quæ ad ordinem & di-

ſciplinam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſciplinam pertinerent. Qui ſubſequuti ſunt, tum non ſatis conſiderate, tum etiam curioſi & cupidi, ſtulta æmulatione cum ſuis deceſſoribus certarunt, ne rerum novarum inventione illis cederent. Et quia periculum erat, ne brevi ſua inventa obſoleſcerent, in obſervatione eorum exigenda fuerunt rigidiores. Exemplum hujus rei habemus in adminiſtratione Cœnæ Domini. olim magna erat ſimplicitas. Proximi ſucceſſores ad ornandam myſterii dignitatem aliquid addiderunt, quod non eſſet improbandum. Poſtea, quadam ſtulta imitatione Miſſa fuit conſuta ex variis fruſtulis circa veſtitum Sacerdotis, altaris ornamenta, geſticulationes, & rerum inutilium ſupellectilem. Et hæc etiam ſcilicet nobis pro ritibus Apoſtolicis præter omnem hiſtoriam venditant. S. 18, 19.

11. Reponunt hic nobis Auguſtinum, ſed fruſtra. Nam 1. dicit ille quidem, quæ toto terrarum orbe ſervantur, vel ab ipſis Apoſtolis vel Conciliis generalibus ſtatuta eſſe licet intelligere, ut quod paſſio, reſurrectio, aſcenſio Domini & adventus Spiritus S. anniverſaria ſolennitate celebrantur, aut ſi quid tale occurrit, quod ab univerſa Eccleſia ſervatur; ſed paucas tantum & uſitatas refert obſervationes, eaſque ſimplices & ſobrias, quibus Eccleſiæ ordinem contineri utile eſt. Quid hæc ad immenſam farraginem cæremoniarum Papiſticarum? 11. Exemplo res patebit. Dicant nobis unde habeant aquam luſtralem. At 1. hujus inventionem alicui Romano Epiſcopo tribuunt hiſtoriæ. 2. Non eſt ab Apoſtolis, quia contaminat Baptiſmum. 3. olim teſte Auguſtino noluerunt Eccleſiæ lotionem pedum admittere, ne Baptiſmo præjudicarent. Hinc facile eſt colligere, nullum fuiſſe lotionis genus, quod cum Baptiſmo haberet ſimili-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tudinem. III. Quod alibi Auguſtinus nonnulla Apoſtolis tribuit, meris conjecturis nititur. IV. Et ut ab ætate Apoſtolorum fluxerint, multum intereſt, an inſtituas pietatis aliquod exercitium, quo libera conſcientia utantur fideles, & rurſus abſtineant ſi ejus non ſit utilis uſus, an vero leges feras, quæ conſcientias ſervitute illaqueent. Poſtquam vero in tantum abuſum prolapſæ ſunt, nihil obſtat quo minus abrogentur. S. 19. 20.

12. III. Prætexunt exemplum Apoſtolorum, qui præter Chriſti mandatum ſanxerunt, ut Gentes abſtinerent ab idolothytis, ſanguine & ſuffocato. Hoc ſucceſſoribus quoque licitum eſſe, ſi res ita poſtulet. Actor. 15.20. Reſp. I. Apoſtolos novum illic quidquam inſtituiſſe negamus. Negat etiam Petrus, qui vetat Gentibus imponere jugum. Imponeretur autem, ſi ſua authoritate hæc decreviſſent Apoſtoli extra verbum. II. Hujus decreti membrum primum eſt, Gentibus ſuam libertatem eſſe relinquendam, nec Legis obſervationibus exhibendam eſſe moleſtiam. Alterum de idolothytis, ſanguine, & ſuffocato, ſpeciale caput eſt de non violanda Charitate, de qua divinum extat mandatum. Gentium libertati nihil volunt præjudicatum. Vitari tamen jubent offenſionem fratrum infirmiorum, quod eo certe tempore expediebat. Quocirca nullam novam legem ferunt, ſed divinam urgent de vitanda offenſione. Non ſecus ac ſi Eccleſiis nondum bene conſtitutis paſtores prudentes edicant omnibus ſuis, ne die Veneris palam carnibus utantur, aut feriis in publico laborent, ne conſcientiæ fratrum vulnerentur, idque donec imbecilles adoleſcant. Sic Apoſtolis aliud nihil eſt propoſitum, quam offenſionum materiam tollere. Quam Concilii ſententiam optimus teſtis Paulus expri-

exprimit. 1 Corinth. 8.1. III. Hanc ſolutionem neceſſe eſt adverſarios approbare, cum decretum illud ipſum ſit abrogatum, nec ſe eodem teneri fateantur. Iam dicant nobis quo jure. Atqui nihil aliud adferre poterunt, niſi quod ab ejuſmodi offenſionibus nihil amplius eſt periculi. Inde ſequitur legem iſtam tantum reſpectu charitatis latam eſſe, nec additamentum eſſe ad æternam Dei Legem, ſed accommodationem ad tempora & mores eorum quibus deſtinabatur. Sect. 21, 22.

13. IV. Contendunt ejuſmodi leges, ut iniquæ ſint, eſſe tamen audiendas ſine exceptione. Neque enim hoc agi, ut erroribus conſentiamus, ſed ut dura præfectorum imperia ſubditi feramus. Reſp. 1. Falſum eſt, hoc ſolum agi ut gravem aliquam oppreſſionem in corpore perferamus, ſed potius ut conſcientiæ libertate ſua, quam ſacro ſuo ſanguine Chriſtus acquiſivit nobis, ſpoliatæ ſerviliter crucientur. II. Hac ratione Domino regnum ſuum eripitur. Ipſe enim ſolus ſui cultus vult haberi legiſlator. Idemq; graviſſime iraſcitur & ſtupenda minatur mandatis & doctrinis hominum. Eſai. 29.13. Matt, 15.9. Quo etiam pertinet hiſtoria de advenis Samariam miſſis & à feris beſtiis laceratis, eo quod neſcirent ſtatuta Dei terræ illius. Qua pœna territi ritus in Lege præſcriptos ſuſceperunt. Quia tamen Deum non pure colebant, dicuntur timuiſſe Deum & non timuiſſe. 2. Reg. 17. 24, 32. Pars ergo reverentiæ quæ Deo defertur in eo poſita eſt, ut in illo colendo ſimpliciter ſequamur, quod mandat, noſtrum nihil admiſceamus. III. Eo nomine ſæpius & potiſſimum laudantur Reges aliquot, quod fecerint ſecundum omnia præcepta Dei, non declinando ad dexteram vel ſiniſtram. IV. Hæc im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

pura mixtura & novi cultus fabricatio Iſraëlitis cauſa fuit omnis idololatriæ. V. Quin etiam ubi non apparet ſtatim impietas in cultu commentitio, ſevere tamen damnatur, ex quo à Dei præcepto diſceſſum eſt. Videmus quam acriter Deus deteſtetur altare Damaſcenum templo illatum, tanquam impuram cultus ſui corruptelam. 2.Reg. 16. 10. Et Manaſſis crimen hoc ipſo aggravatur, quod extruxerit novum altare in Ieruſalem, quoniam hac ratione reſpuebatur Dei authoritas. 2.Reg.21.3. Iam quo clarius patefacta eſt Dei voluntas, eo minus eſt excuſabilis quidquam tentandi protervia. VI. Nec immerito tantopere Deus iraſcitur, & fruſtra ſe mandatis humanis coli pronuntiat. Nam etſi in his Deus coli videatur, & aliquam humilitatis ſpeciem hæc obedientia præ ſe ferat, tamen ut perverſa obſequia Deus abominatur, tum quod in religionis cauſa nos à ſuo ore tantum pendere vult, tum quia coram Deo minime humiles ſunt, qui eaſdẽ ipſi leges præſcribunt, quas ex cerebro ſuo comminiſcuntur. Vnde etiam Paulus tam diligenter cavere nos jubet, ne decipiamur per ἐθελοθρησκείαν & traditiones hominum. Col. 2. 3, 4. VII. Denique cum hominum ſenſus nihil parere poſſint quam carnalia & fatua omnia, quæque ſuos authores referant, ſtulteſcere hic oportet & faceſſere omnem noſtram ſapientiam, ut Deum ſolum ſapere permittamus. Quam turpiter vero inſulſis ſuperſtitionibus & obſervatiunculis, quibus Deo invito prævaricatricem obedientiam obtrudunt, religio conſpurcata ſit, & fœdius quam ulla paganitas, jam toti orbi plus ſatis notum eſt. Sect. 23. 24.

14. V. Adferunt exemplum Samuelis, quem præter Legem ajunt ſacrificaſſe in Ramath, & tamen

men Deo placuiſſe. 1 Sam. 7. 17. Itemque factum Manoach qui etiam altare extruxerit, & homo privatus ſacrificarit. Iud. 13. 19. Reſp. I. Samuelem nihil novaſſe in ſacris, ſed cum nondum certus arcæ locus eſſet deſtinatus, locum ubi habitabat elegit, tanquam maxime commodum. II. Manoach factum extraordinarium fuit & ſingulare, nec ſine Dei inſtinctu ſuſceptum. III. Quam vero Deus abominetur mortalium in Dei cultu inventa, Gedeon documento eſt, cujus ephod ipſi & familiæ & toti populo ceſſit in ruinam. Sect. 25.

15. VI. Vrgent etiam locum Matt. 23. 3. ubi Chriſtus jubet ferre onera importabilia Scribarum & Phariſæorum. Reſp. I. Chriſtus alibi jubet fugere fermentum, hoc eſt, doctrinam Phariſæorum, quatenus propria commenta verbo Dei admiſcebant. Noluit ergo ſuorum conſcientias hominum traditionibus alligare. II. Senſus loci planus eſt. Propoſitum erat Chriſto taxare mores Phariſæorum. Ne vero malis docentium exemplis plebs ad contemtum doctrinæ induceretur, præmonet, quanquam in illorum vita nihil cernerent quod ſequerentur, facienda tamen eſſe, quæ ex Moſis cathedra ſecundũ Legem facienda eſſe docerent. Sic & Auguſt. interpretatur. In Eccleſia non boni tantũ ſunt Paſtores ſed & mercenarii, per quos etiam Chriſtus unicus Paſtor prædicatus audiri vult: ſua tamen ſi docere velint, audiendi non ſunt. S. 26.

16. Hactenus audivimus, quomodo humanis traditionibus impie ligentur hominum conſcientiæ, & fruſtra iis Deus colatur. Sed imperiti quidam hoc prætextu omnes leges eadem litura inducere conantur, quibus ordo Eccleſiæ conſtituitur. Huic ergo quoque errori occurrendum eſt, ut quid inter has & illas interſit intelligamus. I. Conſtat

ſtat in omni humana ſocietate neceſſariam eſſe aliquam politiam ad alendam communem pacem & concordiam: porro in rebus agendis vigere ſemper aliquem ritum publicæ honeſtatis gratia intereſt. Id multo magis in Eccleſiis obſervari convenit. Atque huc pertinet monitio Pauli, ut decenter omnia & ſecundum ordinem fiant. 1. Cor. 14. 40. II. Sed cum tanta ſit in moribus & animis hominum varietas, ingeniorum item & judiciorum pugna, opus eſt certis legibus & obſervationibus, quibus tanquam vinculis tum politia firmetur, tum ritus ſtata quadam forma conſtituantur. In quibus ordo & decorum conſiſtit. III. Hoc tamen excipiendum eſt, ne obſervationes ejuſmodi credantur ad ſalutem neceſſariæ, ſic ut conſcientias religione obſtringant, ne etiam ad Dei cultum conferantur, atque in illis reponatur pietas. Sect. 27.

17. Hac nota facile inter impias conſtitutiones & legitimas Eccleſiæ obſervationes diſtinguemus. Vbi enim ſemel publicæ honeſtatis cauſa lex poſita intelligitur, quo in ſacro cœtu omnia decenter & digne peragantur, jam ſublata eſt ſuperſtitio. Rurſum quando ad communem uſum ſpectare cognoſcitur, everſa eſt falſa obligationis & neceſſitatis opinio. Nihil enim hic quæritur, niſi ut communi officio alatur inter nos charitas. S. 28.

18. Iam illud clarius etiamnum definiamus, quod ſit illud decorum, quis ille ordo, quem Paulus commendat. Primum Decori finis eſt, partim ut adhibeantur ritus qui venerationem rebus ſacris concilient, partim ut modeſtia & gravitas maxime illic eluceat. Non ergo illud vocabimus decorum, ubi nihil niſi inane oblectamentum, inutilis elegantiæ larva, & luxus ſine fructu apparet,

quale

quale exemplum videre eſt in theatrico Papiſtarum apparatu: ſed potius, quod reverentiam conciliet ſacris myſteriis, ornatum habeat actioni congruentem, quod fideles admoneat, quanta modeſtia, religione, obſervantia, ſacra tractare debeant; quod aptum ſit ad pietatem adminiculum. Id autem tum fiet, ſi ad Chriſtum illæ obſervationes nos deducant. Hujus generis exempla ſunt apud Paulum, Vt ne prophana ſympoſia cum Cœna Domini commiſceantur: Ne mulieres niſi velatæ in publicum prodeant: flexis genibus, nudoque capite orare: Sacramenta cum aliqua dignitate adminiſtrare: In ſepeliendis mortuis quandam honeſtatem adhibere, &c. S. 28, 29.

19. In ordine hoc primum eſt, ut qui præſunt, regulam bene regendi noverint, plebs vero ad rectam diſciplinam aſſuefiat. Deinde, ut bene compoſito ſtatu Eccleſiæ paci & tranquillitati conſulatur. Faceſſant ergo nugatoriæ pompæ, quæ nihil habent niſi evanidum ſplendorem. Compoſitio autem talis ſit, quæ omnem confuſionem, barbariem, contumaciam, turbas omnes & diſſidia tollat. In hoc genere ſunt horæ publicis precationibus, concionibus, & myſticis actionibus deſtinatæ: in ipſis concionibus ſilentium, loca deſtinata, hymnorum concentus, dies celebrandæ Cœnæ, ne mulieres in Eccleſia doceant: Item Catecheſes, cenſuræ Eccleſiaſticæ, excommunicatio, jejunia, &c. S. 28, 29.

20. Omnes ergo Eccleſiaſticæ conſtitutiones, quas pro ſanctis & ſalutaribus recipimus, ad duo capita referre licet, ut alteræ ad ritus & cæremonias, alteræ ad diſciplinam & pacē reſpiciant. S. 29.

21. Addimus tamen nos eas conſtitutiones demum probare, quæ ſic humanæ ſunt, ut tamen

ex

ex Scriptura deſumtæ, adeoque prorſus divin[æ] ſint. Vt geniculatio in precibus ſic eſt divina, qu[a] pars eſt decoris illius, cujus obſervatio per Apo-ſtolum commendatur: ſic eſt humana, quatenus ſpecialiter deſignat, quod in genere nobis à Deo fuerat indicatum. A quo exemplo de reliquis judi-care poſſumus. Et ratio eſt evidens. Nam Domi-nus totam veræ juſtitiæ & cultus ſui, noſtræque ſalutis ſummam fideliter nobis & perſpicue verbo ſuo complexus eſt. Hic ipſe ſolus Magiſter audien-dus. Quoad externam diſciplinam & cæremonia[s] noluit ſigillatim præſcribere quid ſequi debeamus. Providerat enim hęc à temporum conditione per-tinere, nec unam omnibus ſeculis formam con-venire. Generales idcirco dedit regulas, ad qua[s] exigerentur, quæcunque ad ordinem & decorum præcipi neceſſitas Eccleſiæ poſtularet. S. 30.

22. Poſtremo conſequens eſt, quum in his nihil expreſſe Deus tradiderit, quia nec ad ſalutem ſunt neceſſaria, & pro moribus cujusque gentis ac ſe-culi varie accommodari debeant ad Eccleſiæ ædi-ficationem, ut tam uſitatas mutare & abrogare, quam novas inſtituere conveniat, prout utilitas Eccleſiæ poſtulat. Quod tamen nec temere, nec ſubinde, nec levibus de cauſis faciendum eſt. Quid vero noceat aut ædificet, charitas optime indica-bit. Sect. 30.

23. Hinc facile erit colligere, quid in his, ſecun-dum talem canonem conſtitutis, populi Chriſtiani ſit officium. Nempe ut libera conſcientia, ſine ſu-perſtitione, pia tamen & facili ad obſequendum propenſione ſervet ea, non contemnat, non ſupi-ne negligat, tantum abeſt ut per faſtum & contu-maciam aperte violet. Nec quidquam inde liber-tati decedit. Semper enim reputabimus, non eſſe

fixas

fixas & perpetuas ſanctiones, quibus aſtricti ſumus, ſed externa humanæ infirmitatis rudimenta, quibus omnes utimur, etſi non omnes indigemus, ad fovendam inter nos charitatem. Hoc ex ſuperius poſitis exemplis licet recognoſcere. Poſſit caſus occurrere, ut in juvando proximo mulieri neceſſitas non ſinat velare caput, ubi loqui non minus ſit opportunum quam tacere, ubi morbo impeditus genua inter orandum curvare nequeat, ubi deficiente linteo aut deductoribus ſatius ſit mature humare mortuum, quam exſpectare dum inhumatus putreſcat. In his religio non conſiſtit. Nihilominus in iſtis rebus, quid agendum, aut cavendum ſit, mos regionis, ipſa quoque humanitas & modeſtiæ regula ſatis dictabit. Vbi ſi imprudentia vel oblivione erratum fuerit, nullum crimen admiſſum eſt: ſin contemtu, improbanda eſt contumacia. Similiter nihil intereſt, qui dies, horæ, quæ loca ſint, qui, quo die, canantur Pſalmi. Verumtamen & certos eſſe dies, & ſtatas horas, & locum eſſe idoneum conveniens eſt, ut pacis ratio habeatur. Nullus enim rixarum & confuſionis finis foret, ſi prout cuique libitum ſit mutare liceat, quæ ad communem ſtatum pertinent. Si quisquis hic ſapere velit plus quam oportet, cum Paulo reſpondemus, nos contēdendi morem non habere, neque Eccleſias Dei. 1 Cor. 11. 16. S. 31.

24. Denique ne ullus irrepat error, qui purum hunc uſum inficiat vel obſcuret, in eo diligentia & ſtudium adhibeatur, ut obſervationes omnes utilitatem præ ſe ferant; ut parciſſimæ admittantur: ut fideli doctrina Paſtores pravis opinionibus viam præcludant: ut cuique ſalva maneat ſua libertas, ipſe tamen ſuæ libertati neceſſitatem imponat, quatenus decorum aut charitatis ratio

exigit:

exigit: ut nec ipſe ulla in ſuperſtitione verſetur, nec moroſe eam ab aliis requirat: non etiam potiorem Dei cultum cæremoniarum multitudine æſtimet, non Eccleſia Eccleſiam ob externæ diſciplinæ varietatem contemnat: poſtremo ne ullam perpetuam legem hic ſtatuamus, ſed totum obſervationum uſum & finem ad Eccleſiæ ædificationem referamus; quæ ubi mutationem poſtulet, id ſine offenſione feramus. Ea enim poteſt eſſe temporum ratio, ut ritus quoſdam non impios alioquin, vel indecoros, pro rei opportunitate abrogari conveniat. Cujus rei exempla noſtro ſeculo non pauca vidimus. S. 32.

DISPVTATIO VII.

De Eccleſiæ juriſdictione, ſive de Diſciplina Eccleſiaſtica circa mores. Item de Iejuniis. Cælibatu.

Ex lib. 4. *cap.* 11, 12, 13.

1. REſtat pars tertia Eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ in juriſdictione poſita eſt, & tota verſatur circa morum diſciplinam. Sicut enim nulla civilis politia, ita nec Eccleſia ſine politia ſpirituali ſtare poteſt, quæ tamen à civili prorſus diſtincta: tantum abeſt, ut eam impediat, ut potius juvet & promoveat. Eſt autem hæc juriſdictionis poteſtas nihil aliud, quam ordo comparatus ad ſpiritualis politiæ conſervationem. In quem finem ab initio conſtituta fuerunt in Eccleſiis judicia, quæ cenſuram de moribus agerent, adverterent in vitia, exercendo clavium officio præeſſent, deniq; omnia, quæ pro tempore Eccleſiæ neceſſaria viderentur, providerent. De hoc ordine agit Paulus. 1 Cor. 12.28. Rom. 12. 8. 1 Tim. 5. 17. Nam dum guberna-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

bernationum meminit, & eorum qui præſunt, non eſt dubium quin eos intelligat, ad quos clavium uſus ſpectat. Etenim tunc temporis nulli erant Magiſtratus Chriſtiani, quos alloqueretur. Hanc autem poteſtatem Chriſtus Eccleſiæ contulit, Matth. 18. 17, 18, 19, 20. Vbi non agitur de generali doctrinæ authoritate, ſed jus Synedrii Iudaici in poſterum ad Eccleſiam transfertur & quidem cum gravi ſanctione, ne judicium ejus à temerariis & faſtuoſis hominibus ſperni poſſet. Docet autem à ſocietate fidelium abdicandos, qui admoniti pergunt eſſe contumaces. Tales monitiones & correctiones ſine cauſæ cognitione fieri non poſſunt. Proinde opus eſt judicio & ordine. Aliquam ergo juriſdictionem Eccleſiæ demus neceſſe eſt. cap. 11. S. 1.

2. Cæterum turbare nos non debet, quod aliis locis quoque de ligando & ſolvendo Scriptura loquitur. Matt. 16. 19. Nam ex Ioh. 20. 23. liquet iſtic agi de remittendis & retinendis peccatis, adeoque promiſſionem illam factam Petro referri debere ad miniſterium, cui hoc ligandi & ſolvendi munus eſt conjunctùm. Hæc etenim eſt ſumma Euangelii, quod omnes ſervi peccati & mortis ſolvimur ac liberamur per redemtioné Chriſti: contra æternis vinculis ligatos & damnatos eſſe, qui hunc liberatorem non ſuſcipiunt. Hanc Deus legationem Apoſtolis mandavit perferendam ad omnes nationes. Sed quia res erat plena difficultate & periculis, intererat addi hanc eximiam confirmationem, tum Apoſtolorum cauſa, tum eorum ad quos erat perventura. Apoſtolorum quidem, ut ſcirent ſe Dei negotium agere, Chriſtum hujus doctrinæ eſſe authorem, & quamvis totus mundus repugnet, ipſum tamen pro ſe ſtare & firmare ve-

ritatem

ritatem doctrinæ, quam eis tradiderant: audito-
rum autem, ut illis certo conſtaret hanc doctri-
nam non eſſe ſermonem Apoſtolorum, ſed ipſius
Dei, è cœlo delapſam: peccatorum remiſſionem
quam annuntiarent, eſſe veram Dei promiſſionem
& ſalutis nuntium: damnationem, quam pronun-
tiarent, certum eſſe Dei judicium: utrumque in
cœlo ratum eſſe & firmum. Habemus ergo pote-
ſtatem hanc clavium ſignificare illis in locis præ-
dicationem Euangelii, nec tam poteſtatem eſſe
quam miniſterium: denique hanc poteſtatem pro-
prie Chriſti eſſe & verbi ejus, cujus homines mi-
niſtros fecit. cap. 11. §. 1.

3. Locus Matt. 18. cum priori habet nonnul-
lam affinitatem, ſed tamen non eſt omnino ſimi-
lis. Vtrobique eſt generalis ſententia, eadem per
verbum ligandi & ſolvendi poteſtas, idem man-
datum, eadem promiſſio, quod in cœlo ratum erit
illud, quod ſuper terram pronuntiaverint. Eo au-
tem differunt quod prior locus peculiariter agit de
verbi prædicatione: poſterior ad diſciplinam ex-
communicationis pertinet. Ligat enim Eccleſia,
quem excommunicat. Solvit, quem in commu-
nionem recipit. Et ne quis contumaciter Eccleſiæ
judicium contemnat, aut parvi faciat, addita fuit
ſanctio, qua ratum haberi dicitur in cœlis, quod
illi in terra egerint. Nam ex verbo Dei judicant, ex
hoc perverſos damnant, ex eodem reſipiſcentes in
gratiam recipiunt. Ideo errare non poſſunt, quia
cum Dei judicio conſentiunt. Nec hæc incerta eſt
aut humana opinio, ſed ſancta Dei voluntas &
cœleſte oraculum. Quam turpiter autem his locis
Pontificii abutantur, alibi vidimus, & porro ad-
huc dicendum erit. cap. 11. §. 2.

4. Nonnulli temporariam hanc fuiſſe poteſta-
tem

tem imaginantur, quum magiſtratus alieni eſſent à religione, nec alius eſſet qui has partes exequeretur, eoque factum, ut tunc Eccleſiæ mandatæ ſint. Reſp. I. Eos falli, quod non animadvertant magnum eſſe diſcrimen Eccleſiaſticæ poteſtatis & civilis. Eccleſia non habet jus gladii nec carcerem, non corporales pœnas infligit, quod facit Magiſtratus. Neque hoc agit, ut qui peccavit invitus plectatur, ſed ut voluntaria caſtigatione in viam redeat. Eſt ergo diverſa ratio. II. Quinimo non poteſt Magiſtratus hoc agere, quod ab Eccleſia peragitur. In Repub. ſi quis adverſus leges deliquerit, ſupplicio ſatisfiet legibus & externo judicio, etſi nullam det pœnitentiæ ſatisfactionem. Eccleſia pœnitentiam exigit, quam niſi præſtet peccator, aut qui malo exemplo offendit, à Cœna S. eum arcet. III. Poteſt accidere ut negligentior ſit Magiſtratus: imo forte & ipſe caſtigandus, quod Theodoſio Imperatori contigit. An hic ceſſabit Eccleſia? IV. Tollant eadem ratione totum Miniſterium. Proinde ne ſint ulli Paſtores, qui doceant, arguant, reprehendant, quia Chriſtiani ſunt Magiſtratus, qui Legibus & gladio poſſunt corrigere. V. Si Magiſtratus in vicem Eccleſiæ ſucceſſit, ſtatim ergo ubi quis monitionibus noſtris obtemperare noluerit, ad Magiſtratum deferendus erit. VI. Ordinem hunc non eſſe temporarium, ſed ſtatum & perpetuum, patet ex Chriſti aſſeveratione, Amen amen dico vobis, &c. Et quod gentis ſuæ Synedrium redintegrat, ſatis indicans non poſſe carere Eccleſiam ſpirituali juriſdictione. VII. Hoc ipſum omnium temporum conſenſu eſt confirmatum. Nam cum Magiſtratus cœperunt Chriſto nomen dare, non abrogata eſt Spiritualis juriſdictio, cui & ipſi Imperatores ſe ſubmiſerunt. Illud tantum cau-

tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tum eſt, ne quid civili derogaretur, aut cum ea con-
funderetur. VIII. Sic omnes Epiſcopos & ſancto-
viros damnant, quaſi honorem officiumque Ma-
giſtratus falſo prætextu ſibi uſurpaverint. Maneant
ergo diſtincta Magiſtratus & Eccleſiæ munia. Con-
jungant mutuas operas, ut altera poteſtas ſit adju-
mento alteri, non impedimento. c. 11. S. 3, 4.

5. Nunc operæ pretium eſt videre, quis fuerit
olim verus uſus Eccleſiaſticæ diſciplinæ & quan-
tus abuſus obrepſerit. Primum hic ſcopus eſt, ut
ſcandalis obviam eatur, aut ſi quod exortum ſit
aboleatur. In uſu duo conſideranda. Vt à jure gla-
dii prorſus ſeparetur hæc ſpiritualis poteſtas. De-
inde ne unius arbitrio, ſed per legitimum con-
ſeſſum adminiſtretur. Vtrumq; in puriore Eccle-
ſia fuit obſervatum. Nam I. ſolo Dei verbo San-
cti Epiſcopi, ut decebat, uſi ſunt. Severiſſima e-
nim Eccleſiæ vindicta eſt excommunicatio, quæ
non niſi in neceſſitate adhibetur. Illa porro nec
vim nec manum aut civiles pœnas deſiderat, ſed
verbi Dei potentia contenta eſt. Denique veteris
Eccleſiæ juriſdictio nihil aliud fuit, quam practica
declaratio ejus poteſtatis de qua Paulus 2 Cor.
10. 4. quæ humiliat omnem altitudinem, capti-
vam ducit omnem cogitationem in obedientiam
Chriſti, paratam habens vindictam adverſus om-
nem inobedientiam: cui poteſtati filii Eccleſiæ,
non extranei, ſubditi ſemper fuerunt, 1 Cor. 5. 12.
Non exercetur autem, niſi prædicatione Chriſti.
Ne autem doctrina ſit ludibrio iis qui ſe domeſti-
cos fidei profitentur, cum miniſterio conjunctum
fuit jus citandi eos, qui monendi ſunt, vel acrius
corrigendi, jus etiam arcendi contumaces à Cœ-
næ communione. cap. 11. S. 5.

6. II. Iam ſi quæritur, penes quem hæc poteſtas

ſit,

ſit, reſpondemus, non penes unum, ſed penes conſeſſum ſeniorum cujuſque Eccleſiæ. In hoc ſenatu ſedebant preſbyteri, quorũ duo erant genera. Alii ad docendum ordinati, alii morũ duntaxat cenſores erant. Per hos Eccleſiæ juriſdictio exercebatur. Atq; hæc erat communis & uſitata ratio. Cyprianus tamen ſic totum clerum Epiſcopo conjungit, ut plebs interim à cognitione non excluderetur. Sed hoc inſtitutum paulatim degeneravit à ſuo principio. Nam Ambroſii ſeculo jam ſoli Clerici erant cognitores in Eccleſiaſticis judiciis. Qua de re ipſe graviter conqueritur in cap. 5. 1 ad Tim. Poſt contra jus & fas jus Eccleſiæ ſibi uni vendicavit Epiſcopus. Ita conſeſſus à Dei Spiritu ordinatus fuit abdicatus & tyrannicæ libidini patefactus aditus. Tandem Epiſcopi rem, tanquam ſua cura indignam, ad alios, quos dixere officiales, ablegarunt. Hi (quales autem plerunq; deligantur, res ipſa clamat.) hi ſcilicet judicium Eccleſiaſticum exercent, ubi non niſi de rebus terrenis litigatur, ut nihil differant à profanis judicibus. Si pauperculus quis pecuniam debet, citatur: ſi comparet, damnatur: niſi ſatisfecerit, monetur: à monitione ſecunda gradus fit ad excommunicationem. Si non comparet, monetur ut ſe judicio ſiſtat: ſi moram facit, monetur & mox excommunicatur. Si de vitiis ſit cenſura, ex multis paucos vocant, pecunia mulctant. Omittimus prædas, rapinas, peculatus, ſacrilegia, quę inde colliguntur. Scortationes, ebrietates & id generis flagitia non tantum tolerant, ſed tacite quoque approbant, neq; id tantum in plebe ſed in ipſis etiam clericis. Hæc bella eſt diſciplina inſtituto Chriſti & priſcorum conſuetudini ex diametro contraria. c. 11. S. 6, 7.

7. Hæc ſcilicet Spiritualis eſt illa poteſtas, cujus

jus prætextu novas fabricarunt doctrinas, iniqu[is]
traditionibus conſcientias illaquearunt, ſpecie ju-
riſdictionis tyrannidem in Dei populum injuſta[m]
uſurparunt. Illud minime excuſandum, quod ju[s]
quoque gladii ſibi tribuerunt, ordinem ſuum opu-
lentia & ſuperbis titulis ſpectabilem fecerunt, con-
tra manifeſtam Chriſti authoritatem, *Reges gen-
tium dominantur illis, vos autē non ſic*, Mat. 20. 25.
Luc. 22. 25. Ita officium Paſtoris diſtinctum eſſe
ſignificat ab officio Principis. Tum vero manife-
ſtum eſt in unum hominem utrumq; munus coire
non poſſe. Nam quod Moſes utrumque ſimul ſu-
ſtinuit, primum raro factum eſt miraculo: deinde
fuit temporarium. Et forma Reip. conſtituta, ci-
vilis gubernatio Moſi relinquitur, ſacerdotium ju-
betur fratri reſignare. Neque immerito. Eſt enim
ſupra naturam, ut unus homo utrique oneri par
ſit. Adhæc in Eccleſia ſæculis omnibus illud ipſum
diligenter fuit obſervatum. Nullus Epiſcoporum
de uſurpando jure gladii cogitavit. Et vulgare æta-
te Ambroſii erat proverbium, Imperatores magis
Sacerdotium optaſſe, quam imperium Sacerdotes.
Item ad Imperatorem pertinere palatia, ad Sacer-
dotem Eccleſias. At hodie Epiſcopi judiciorum
cognitionibus, civitatum & provinciarum admi-
niſtrationibus toti ſunt occupati, de munere ſuo
vix aut nunquam ſolliciti, cui vix tamen ſufficere
queant, etſi vel aſſidui huic incumberent, nec ullis
avocamentis diſtraherentur. cap. 11. S. 8, 9.

8. Hic nobis regerere ſolent: I. gloriam regni
Chriſti hac ratione pro dignitate florere. R. 1. An
hoc putant decorum eſſe ſacri muneris ornamen-
tum, ut ſummis quibuſque Monarchis ſint formi-
dabiles? Sed aliter Chriſtus determinat Mat. 20. 25.
Vos autem non ſic. Cum Chriſto ergo diſputent.

2. Chri-

2. Chriſtus ipſe judicandi munus à ſe rejicit. Luc. 12. 14. Si Dominus ordini ſe ſubjecit, non patientur ſervi ſe in ordinem cogi? cap. 11. S. 9.

9. II. Excipiunt, Se non nimium abſtrahi à vocationis ſuæ partibus. R. 1. Hoc facilius eſt dicere, quam probare. Nos non immerito negamus. 2. Apoſtoli ampliſſimis donis prædíti, ut pluribus & gravioribus curis ſufficere potuiſſent, quam ulli poſt eos nati homines, confeſſi tamen ſunt ſe verbi & menſarum miniſterio ſimul vacare non poſſe, quin oneri ſuccumberent, Act. 6. 2. Hoc ſatis eſt ut convincantur, non ejuſdem eſſe, bonum præſtare Epiſcopum, & bonum Principem. 3. Et hujus rei experientia teſtis eſt. c. 11. S. 9.

10. Cæterum quomodo & ex quam tenuibus initiis paulatim in hanc amplitudinem conſcenderint, non inutile erit expendere. I. Olim pii ſi quid controverſiæ inciderat, ut litigandi neceſſitatem effugerent, Epiſcopo mandabant arbitrium. Quam autem hæc res moleſta fuerit Epiſcopis, ſatis teſtatur Auguſtinus. Ex his voluntariis arbitriis fecerunt ordinariam juriſdictionem. Quum exinde regiones & urbes variis difficultatibus premerentur, ad Epiſcoporum patrocinium ſe contulerunt, ut ipſorum fide protegerentur. Iſti miro artificio ex patronis dominos ſe fecerunt. Porro nonnullum potentiæ ſuæ auctarium violentis factionibus terrore & minis à Principibus extorſerunt. Aliquando Principes diverſis impulſi ſtudiis juriſdictionem Epiſcopis ſponte contulerunt. In quo illi quidem præpoſtera largitate Eccleſiis male conſuluerunt. Hi Principum inconſiderata bonitate abuſi & cæca cupiditate rapti, ſe nihil minus quam Epiſcopos eſſe teſtati ſunt, pariterque & ſe & poſteros & Eccceleſiam perdiderunt. c. 11. S. 10.

11. Tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

11. Tandem Romanus Pontifex regnis p mum,deinde Imperio manum injecit. Et ut aliqu colore poſſeſſionem per vim & fraudem occup tam obtineat, nunc jure divino ſe habere glori tur,nunc Conſtantini donationem,nunc alium ti tulum prætendit. At 1. Apoſtolici juris hic nih agnoſcimus. Quod Petrus non habuit,dare nõ p tuit. Chriſtus noluit eſſe judex in hæreditatis div ſione. Ergo ne ſervis videatur indignum, ſi non ju dicent univerſos. Major dignitas eſt in remiſſion peccatorum,quam in prędii diviſione. Hæc rerun terrenarum judicia pertinent ad Reges & Princi pes terræ. Cur alienos fines invadunt? Forma Apo ſtolica dominatio interdicitur, indicitur miniſtra tio. Sic olim Eugenium Papam alloquitur Bernar dus. Audent tamẽ ſine ullo pudore ſibi ſupremum jus utriuſque gladii & ſine Scripturæ teſtimonio aſſerere. 11. Conſtantini donationem ut fabulo-ſam & ridiculam merito rejicimus. Sane Grego-rius Magnus nuſquam illam in epiſtolis ad Impe-ratorem citat, quem dominum ſuum paſſim vocat & ſe indignum ejus ſervum. Hanc quoq; fabulam valide refutavit Laurentius Valla, quem dum Steu-chus refellere conatur, ita frigide cauſam agit, ut Vallæ ſuffragari videatur. c. 11. S. 11, 12.

12. Quæ vero commentiti imperii hujus fue-rit origo, aliunde facile eſt arceſſere. Ante quin-gentos annos aut circiter Pontifices adhuc erant in ſubjectione Principum. Novandi occaſionem Gregorio ſeptimo præbuit Imperator Henricus quartus, homo levis, nullius conſilii, magnæ au-daciæ, & vitæ diſſolutæ, etiam pleriſque Princi-pum exoſus. Is Epiſcopatus Germaniæ partim ha-bebat venales, partim prædæ expoſitos. Huic Gre-gorius ille ſe oppoſuit, & quod cauſam piam agere

videre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

videretur, multorum favore primum adjutus fuit, poſtea tamen, quia homo erat nequam & verſuti animi, à multis deſtitutus, hoc profecit ſane, ut liceret ſucceſſoribus non modo jugum excutere, ſed Imperatores quoque obnoxios ſibi facere. Quæ res non admodum factu fuit difficilis, quum Imperatores multi qui ſequuti ſunt domi rerum omnium ſecuri & ignavi deſiderent. Ab illo tempore non ceſſarunt Pontifices, fraude, perfidia, & armis in alienas ditiones invadere, urbem quoque ipſam ante annos circiter centum & triginta liberam in poteſtatem ſuam redigere, donec in hanc potentiam venerunt, quam hodie obtinent. Et pro hac tuenda vel augenda jam per ducentos & amplius annos nihil aliud meditantur, quam prælia, ſanguinis effuſionē, exercituum interitus, urbium direptiones & excidia, regionum vaſtationes, totius orbis Chriſtiani perturbationem. Gregorius Magnus in Clerico judicavit eſſe facinus anathemate dignum, ſi tituli inſcriptione fundum Eccleſiæ ſibi vendicaſſet: de his raptoribus quid dicturus eſſet? qui dominandi cupiditate cæci, nihil ſalvum eſſe putent, niſi cum potentia imperent. Id conſtat nihil minus eos quærere, quam Dei gloriam: cui nihil decederet, nec ſanæ doctrinæ aut Eccleſiaſticæ ſaluti, etſi omnem ſecularem poteſtatem ſponte reſignarent. c. 11. S. 13, 14.

13. Denique præter ea quæ diximus, Iurisdictioni annexam volunt eſſe immunitatem à foro ſeculari. Indignum eſſe coram civili judice in cauſis perſonalibus reſpondere: libertatem Eccleſiæ & dignitatem in eo poſitam, ſi communibus judiciis ac legibus Clerus eximatur. Contra dicimus 1. Veteres Epiſcopos nunquam detrectaſſe publica judicia. 2. Imperatores nullo reclamante

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ad ſua tribunalia Clericos ſemper vocaſſe. 3. Sic Conſtantino & Valentiniano Imperatoribus viſum fuiſſe. 4. In rebus quidem quæ ad Eccleſiam pertinerent, & in cauſa fidei, cognitionem deferendam eſſe Eccleſiæ Ambroſius affirmat. In aliis cauſis obſequium Imperatori defert: etiamſi vis adferatur, ceſſurum ſe dicit. Eademque ſententia eſt Gregorii ad Mauritium lib.3. ep. 20. 5. Sæpius tamen Imperatores in rebus Eccleſiaſticis authoritatem ſuam interpoſuere, non improbantibus Patribus, quia civili coërcitione nonnunquam opus eſt; ubi Regum & Principum partes ſunt legibus, edictis, & judiciis religionem ſuſtinere modo cautum ſit ordini & diſciplinæ Eccleſiæ. Exemplum habemus in Gregorio Magno, modo laudantis juſſionem Mauritii de vicinis expulſis ſuſcipiendis, modo recuſantis cum Epiſcopo Conſtantinopolitano redire in gratiam, ſine ulla hujus immunitatis à foro ſeculari mentione. cap. 11. Sect. 15. 16.

14. Hactenus de abuſu diſciplinæ Eccleſiaſticæ egimus. Nunc ejus rectum uſum diſpiciamus. Pendet illa maxima ex parte à poteſtate clavium & Spirituali jurisdictione. Eſt tamen aliqua pars diſciplinæ, quæ illa non contineri & pro temporum neceſſitate adhiberi debet. Prior illa communis eſt & communiter omnes in Eccleſia ſpectat, cui ſubeſſe omnes debent. Hæc clero peculiaris eſt. Clericos autem vocamus, qui publico miniſterio in Eccleſia funguntur. De Communi primo loco agemus. c. 12. S. 1.

15. Hic autem illud primum in quæſtionem venit, an tali diſciplina opus ſit. Reperiuntur enim, qui vel ab ipſo nomine abhorrent. Reſp. Neceſſarium eſſe in Eccleſia. 1. quia nulla ſocietas

nulla domus aut familia, quamvis exigua, ſine diſciplina in recto ſtatu contineri poteſt. At vero Eccleſiæ ſtatum decet eſſe maxime ordinatum. II. Sicut ſalvifica Chriſti doctrina eſt Eccleſię anima, ita pro nervis eſt diſciplina, quæ facit ut mébra ſuo quæque loco cohæreant. III. Tolle quacunque velis de cauſa diſciplinam, Eccleſiæ diſſipationem quæris. Neque enim diu poteſt conſiſtere, ſi unicuique licet facere, quod libet. Atqui hoc fiet, niſi prædicationem doctrinæ monitionibus, correctionibus, & ejuſmodi adminiculis ſuſtentes. IV. Ideo merito diſciplinam comparamus. 1. cum fræno, quo retinentur & domantur ferocientes. 2. cum ſtimulo, quo excitantur parum voluntarii. 3. cum paterna ferula, qua clementer caſtigantur lapſi. V. Quo autem minus in officio populus contineri poteſt, in hac præſertim rerum omnium confuſione, tanto magis opus eſſe remedio ipſa clamat neceſſitas. VI. Hoc remedium ipſe Chriſtus pręcepit & ſemper uſitatum inter pios fuit. c. 12. S. 1.

16. De præcepto Chriſti conſtat ex Matt. 18. 15, 16. &c. Vbi tres monitionum gradus conſtituit. Primus gradus & veluti fundamentum diſciplinæ ſunt privatæ monitiones, ut ſi quis peccaverit, ſi ſponte officium non faciat, aut inſolenter ſe gerat, aut minus honeſte vivat, aut aliquid admiſerit reprehenſione dignum, is ſe patiatur moneri: quisque autem fratrem ſuum, prout res poſtulabit, monere ſtudeat. In hoc autem præſertim advigilabunt Paſtores & Preſbyteri non publice tantum pro concione, ſed etiam privatim & per domos, ut mundi ſint ab omnium ſanguine: quod Paulus ſe feciſſe refert, Act. 20. 20, 26. Habent enim jus & authoritatem quod docue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

runt exigendi ab iis, quos vel parum obſequentes, vel ſegniores animadvertunt. Alter gradus eſt, ut ſi non audierint monitiones, teſtibus adhibitis denuo moneant. Tertius eſt, ſi monitiones pervicaciter reſpuant, aut reipſa contemnant, ad Eccleſiæ judicium vocentur, ubi publica authoritate gravius moneantur. Quod ſi perſeverent in ſua nequitia, jubet eos Chriſtus, tanquam Eccleſiæ contemtores, à ſocietate fidelium abdicari. cap. 22. Sect. 2.

17. Verum quia de occultis modo vitiis Chriſtus illic loquitur, ponenda eſt peccatorum diviſio. Nam I. Peccata alia ſunt privata, alia publica & manifeſta. De prioribus dicit Chriſtus cuique privato, *Argue eum inter te & ipſum ſolum.* Dixerat enim, *Si frater tuus in te peccaverit,* hoc eſt, ſub tua conſcientia, ut non ſint plures conſcii. De manifeſtis dicit Paulus, 1 Tim. 5. 20. *Coram omnibus argue, ut reliqui timorem habeant.* Sic ipſe Apoſtolus Petrum publice coarguit, quia publicum erat offendiculum, Gal. 2. 14. Erit igitur hæc legitima ſeries agendi, ſi in occultis corrigendis gradus à Chriſto poſitos obſervemus: in manifeſto & publico Eccleſiæ ſcandalo ſtatim ad ſolennem Eccleſiæ correptionem procedamus. c. 12. S. 3.

18. II. Notetur altera diſtinctio. Ex peccatis alia ſunt delicta, alia ſunt ſcelera & flagitia. His poſterioribus corrigendis non tantum adhibenda eſt admonitio vel objurgatio, ſed ſeverius excommunicationis remedium, uti Paulus fecit, 1 Corinth. 5. 4. c. 12. S. 3.

19. Hinc liquet, quomodo Spiritualis Eccleſiæ juriſdictio optimum ſit & ſanitatis ſubſidium & ordinis fundamentum, & vinculum unitatis. Proinde quando Eccleſia manifeſtos adulteros

fures

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

fures, ſeditioſos, perjuros, & in levioribus quoque vitiis rite admonitos, atque cum ludibrio Eccleſiæ contumaces è conſortio ſuo exterminat, nihil ſibi præter rationem uſurpat. Et ne quis tale judicium Eccleſiæ ſpernat aut parvi æſtimet, teſtatur Dominus, illud ipſum nihil aliud eſſe quam ſententiæ ſuæ promulgationem, quam in cœlis ratam habere velit, Mat.16.19.& 18.18.Ioh.20.23. Nec mirum, quia verbo Domini hæc omnia peraguntur. Ita ſatis probatum eſt, ſine hoc diſciplinæ vinculo diu ſtare Eccleſias non poſſe, quo carere non poſſumus, niſi dicamus fruſtra à Chriſto eſſe commendatum. c. 12. S. 4.

20. Sed ejus neceſſitatem multiplex uſus magis porro demonſtrabit. Sunt autem tres fines quos ſpectat Eccleſia in ejuſmodi correctionibus & in excommunicatione. I. Ne cum Dei contumelia inter Chriſtianos nominentur, qui turpem ac flagitioſam vitam agunt. Nam. 1. Eccleſia Chriſti ſancta eſt, non ſceleratorum hominum conjuratio. 2. Eſt corpus Chriſti. Non poteſt ergo putridis membris contaminari, quin aliqua ignominia in caput recidat. 3. Habenda eſt ratio Cœnæ Dominicæ, ne profanetur. Reus proinde erit Miniſter ſacrilegii, ac ſi corpus Domini canibus proſtitueret, ſi indignum admiſerit, quem jure repellere poterat. Qua de re vide Chryſoſt. hom. 3. in Mattheum. Ergo delectus habendus in diſpenſatione hujus myſterii. Id autem fit per Eccleſiæ juriſdictionem. II. Ne aſſidua malorum conſuetudine boni corrumpantur. Nam modicum fermentum facile totam maſſam corrumpit. Ideo omni quoque ſodalitate Paulus interdicit, 1 Cor.5.6.11. III. Vt peccatores pudore ſuffundantur & confuſi pœnitere incipiant, 2 Theſſal. 3. 14. Quo etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

illud pertinere videtur, quod 1 Cor. 5. 5. Corinthius Satanæ traditur, ut Spiritus ſalvus ſit. Ideo enim Satanæ traditur, quia extra Eccleſiam Diabolus eſt. Nam ad damnationem temporaneam, non autem ad certam carnis vexationem hęc verba referenda eſſe judicamus. c. 12. S. 5.

21. Supereſt jam videre, qualiter hanc diſciplinæ partem Eccleſia exequatur. Principio repetimus diſtinctionem ſupra poſitam inter peccata publica & privata. Publica vocamus, quæ palam & cum totius Eccleſiæ offendiculo deſignantur. Privata ſive occulta dicimus, non quæ homines prorſus latent, qualia ſunt hypocritarum, ſed quæ teſtibus non carent, neque tamen ſunt publica. Prior ſpecies non requirit gradus à Chriſto poſitos, ſed Eccleſia hic facere officium ſuum debet in vocando peccatore & corrigendo pro modo delicti. In ſecundo genere gradus illi ſervandi ſunt, nec venitur ad Eccleſiam, donec acceſſerit contumacia. Secundo notemus, ubi ad cognitionem Eccleſiæ res devenit, tunc obſervandam eſſe alteram diſtinctionem inter ſcelera & delicta. In levioribus peccatis non poteſt adhiberi tanta ſeveritas, ſed ſufficit caſtigatio verborum eaque lenis & paterna, qua correctus magis gaudeat quam triſtetur. Flagitia acriore remedio caſtiganda ſunt, non verbis tantum, etiam ad privationem uſque Cœnæ ad tempus. Nam mali exempli facinore graviter Eccleſiam lædunt. Et Paulus Corinthium non objurgat tantum, ſed ab Eccleſia eliminat, ipſosq; Corinthios acriter reprehendit, quod eum tamdiu tuliſſent, 1 Cor. 5. 5. Hanc rationem tenuit vetus ac melior Eccleſia. Si quis enim ſcandalum dediſſet, primum à Cœna abſtinere, dein coram Eccleſia pœnitentiam teſtari jubebatur,

quod

quod certis & ſolennibus fiebat ritibus, & poſtquam Eccleſiæ ſatisfactum erat, per manuum impoſitionem in gratiam recipiebatur. Qua de re vide Cyprian. lib. 1. epiſt. 2. & lib. 3. epiſt. 14. & 26. c. 12. S. 6.

22. Ab hac vero diſciplina ne principes quidem eximebantur, cujus luculentum exemplum habemus in Theodoſio Imperatore apud Ambroſium lib. 1. epiſt. 3. Et merito. Eſt enim. 1. Chriſti diſciplina, cui omnia Regum diademata ſubmitti æquum eſt. 2. Non etiam eſſe id ſibi dedecori judicare debent, ſi coram Chriſto Rege ſuppliciter ſe humilient. 3. Non debet diſplicere, quod per Eccleſiam judicentur. Nam in aula nihil fere audiunt præter meras aſſentationes. Ideo neceſſarium eſt, ut per os Sacerdotum à Domino corripiantur. c. 12. S. 7.

23. Per quos hæc jurisdictio ſit exercenda, diximus ſupra theſi tertia. Hoc tantum addimus, illam in excommunicando legitimam eſſe progreſſionem, ſi, exemplo Pauli 1 Cor. 5. 4. non ſoli ſeniores ſeorſum id faciant, ſed conſcia & approbante tota Eccleſia, ſic tamen ut plebs non regat actionem, ſed obſervet ut cuſtos & teſtis ne quid per libidinem fiat. Adhæc ut tota actio talis ſit, quæ, præter nominis Dei invocationem, eam habeat gravitatem, quæ Chriſti præſentiam præ ſe ferat. c. 12. S. 7.

24. Nunc porro videndum eſt, quouſq; hujus judicii ſeveritas qua publice qua privatim ſe extendere debeat. Breviter juſtam fore dicimus, ſi cum Spiritu manſuetudinis conjuncta ſit. Illud enim ſemper ſtudioſe cavendum, ne à triſtitia abſorbeatur is in quem animadvertitur, 2 Cor. 2. 7. Nam 1. Ex remedio non debet fieri exitium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

2. Idem patet ex fine excommunicationis, nempe ut ad pœnitentiam reducatur peccator, & ut mala exempla tollantur è medio. Atque hinc facile erit judicare, quouſque progredi & ubi deſinere debeat ſeveritas. Quodſi peccator pœnitentiæ ſuæ teſtimonium dat Eccleſiæ, & ita ſcandalum, quantum in ſe eſt, obliterat, non ultra urgendus eſt, ne modum excedat rigor. Qua in parte non poteſt excuſari immodica Veterum auſteritas, qui peccatori pœnitentiam ſolennem & privationem à Cœna in multos ſæpe annos, nonnunquam in totam vitam indicebant: iterum vero lapſos uſque ad finem vitæ ab Eccleſia ejiciebant. At hæc ratio nec præſcripto Domini conveniens, & mirum in modum erat periculoſa, nec niſi recta via, vel ad magnam hypocriſin vel ad maximam deſperationem. Quam ipſam more magis recepto ſervabant Patres, quam proprio judicio, ut ex variis Cypriani, Chryſoſtomi & Auguſtini locis eſt colligere. c. 12. S. 8.

25. Porro quæ in toto corpore Eccleſiæ manſuetudo requiritur, ut non ad ſummum uſque rigorem animadvertat in lapſos, ſed charitatem potius in eos confirmet, ad eandem humanitatem ſe privatus quisque attemperare debet. Itaque 1, hoc omnibus cavendum eſt, ne expulſos ab Eccleſia ex electorum numero expungant, aut quaſi jam perditos deſperent. Alieni quidem ab Eccleſia & à Chriſto cenſendi ſunt pro tempore, quo in divortio manent. Et tum quoque quando pervicaces videntur, Dei judicio commendandi, meliora de iis ſperanda ſunt, & Deus pro iis orandus eſt: nec perſona morti adjudicanda, ſed tantum qualia ſint cujusque opera ex Dei Lege æſtimare debemus. Nam, 1. vita ipſorum in Dei manu & arbitrio

arbitrio eſt poſita. Ejus virtutem limitare aut miſericordiæ Legem figere fas nobis non eſt. Poteſt, ubi viſum ei fuerit, etiam peſſimos in optimos commutare, alienos inſerere, extraneos in Eccleſiam cooptare. Itaque ne hic temeritate judicii plus nobis uſurpemus quam decet. 2. Sic bene attemperatum erit judicium noſtrum, quando Dei judicio ſtabit. 3. Non ultra noſtrum judicium extendi convenit, quam fert Eccleſiæ cenſura. Hæc enim licet rata dicitur in cælis, non tamen conjicit in perpetuam damnationem excommunicatos, ſed dum vita & mores ipſorum damnantur, ſimul monentur, quæ eos quoque maneat damnatio, niſi reſipiſcant. c. 12. S. 9, 10.

26. Atque huc etiam pertinet diſcrimen Anathematis & Excommunicationis. Illud ſiquidem ademta omni venia hominem devovet & addicit æterno exitio. Et hujus perquam rarus aut nullus omnino uſus eſt. Iſta vero in mores magis animadvertit quam in perſonam. Nec alio fine plectit hominem, quam ut in ſalutem revocet. Et ſi pœniteat, parata eſt reconciliatio. Adeoque & tum quidem, quando per diſciplinam non licet familiarius cum illis verſari, ſalus tamen ipſorum nobis quærenda eſt: nec habendi ſunt ut inimici, ſed corripiendi ut fratres, 2 Theſſ. 3. 15. Alioquin ex diſciplina delabemur in carnificinam. c. 12. S. 10.

27. II. Illud etiam ſerio vitandum, ne privati homines propterea ſeceſſionem continuo ab Eccleſia faciant, ſi viderint minus diligenter à Seniorum cœtu vitia corrigi: ne etiam Paſtores vel miniſterium abjiciant, vel inuſitata aſperitate totam Eccleſiam perturbent, ſi nequeant ex animi voto omnia corrigere & repurgare. Sæpius de hoc negotio prudenter diſſerit Auguſtinus contra Dona-

tiſtas, qui quum vitia cernerent verbis quidem in Eccleſia reprehendi, excommunicatione non plecti, in Epiſcopos acriter invehebantur tanquam diſciplinę proditores, ab Eccleſia vero impio ſchiſmate ſe dividebant. Quod & hodie faciunt Anabaptiſtæ, dum nullum cœtum Chriſti agnoſcunt, niſi Angelica perfectione conſpicuum. His I. occurrit Auguſtinus, & moroſitatem illam docet non oriri ex odio iniquitatis alienæ, ſed ſtudio ſuarum contentionum, ex mera ſuperbia & pervicacia; & quæ ad corrigenda fraterna vitia moderatiori cura fieri jubentur, ad ſacrilegium ſchiſmatis & occaſionem prçciſionis uſurpari. Ita vero Satanam occaſione juſtæ ſeveritatis crudelem ſævitiam perſuadere. II. Ponit hoc totius negotii fundamentum, omnem diſciplinam Eccleſiaſticam debere ſemper intueri unitatem Spiritus in vinculo pacis, qua non cuſtodita, vindictæ medicinam non tantum ſupervacuam, ſed etiam pernitioſam fieri, & deſinere eſſe medicinam. Sequendum itaque conſilium Pauli, qui præcipit, ut nos invicem feramus: audiendum quoque Chriſtum vetantem zizania eradicari, ne frumentum lædatur. Interim Paſtoribus in hanc partem eſſe incumbendum, ne quid vitii remaneat in Eccleſia: mala non eſſe diſſimulanda, non negligenda, ſed adhibendam eſſe prudentiam. Tandem colligit ex Cypriano, Miſericorditer corripiat homo quod poteſt: quod non poteſt, patienter ferat, & cum dilectione lugeat. Quiſque ergo quod poteſt arguendo corrigat: quod corrigere non poteſt, excludat: quod excludere non poteſt, æquitate improbet, firmitate ſupportet. Sic à maledictione liber ac ſolutus erit. III. Docet adhæc, ſi quando peccandi contagio multitudinem invaſerit, ſeveri-

tatem

tatem moderandam eſſe miſericordia. Cauſam adfert, quia conſilia ſeparationis inania & pernicioſa ſunt, quod ex ſuperbia & impietate fiant, magisque perturbent infirmos bonos, quam corrigant animoſos malos. Cumque in Africa impune graſſaretur ebrietas, ſollicitus quidem eſt de remedio: non aſpere tamen aut duriter peccatum hoc tolli ſuadet, ſed docendo magis quam jubendo, monendo quam minando. Atq; ſic quidem agendum eſſe cum multitudine peccantium: ſed ſeveritatem exercendam eſſe in peccata paucorum. Concludit tandem Apoſtoli præceptum de malis ſegregandis nullo modo eſſe negligendum, quum ſine violandæ pacis periculo fieri poteſt: quæ ipſa quoque mens fuit Apoſtoli: rurſus ſtudendum eſſe, ut ſufferamus invicem ad ſervandam unitatem. c. 12. S. 11, 12, 13.

28. Hactenus de illa diſciplinæ parte egimus, quæ clavium poteſtate proprie continetur. Alia porro ſupereſt qua in Eccleſia opus eſt pro temporum neceſſitate, ſive ad officium excitari, ſive in officio ac obedientia contineri plebs debeat. Huc varia pertinent humilitatis, pœnitentiæ & fidei exercitia, quorum nec tempus nec modus nec forma verbo Dei præſcribitur, ſed in Eccleſiæ judicio relinquitur. c. 12. S. 14.

29. In his exercitiis primum facile locum obtinent Preces & Iejunia, quorũ obſervatio & utilis eſt & ab ipſis Apoſtolis uſque, nec non in Lege & Prophetis uſitata. Nam ſi quando grave negotium incidiſſet, ſolebant plebem convocare, ſupplicationes & jejunium indicere, Ioël 2. Hoc exemplum ut nec novum ita utiliſſimum ſequuti ſunt Apoſtoli. Sic ergo habeamus, quoties de religione incidit cõtroverſia Eccleſiaſtico judicio finienda,

aut

aut Miniſter eſt eligendus, aut tractatur res aliqua difficilis & magni momenti, aut quum apparent judicia iræ Dei, peſtis, bellum, fames, &c. hoc eſſe ſalutare inſtitutum, ut Paſtores ad publicum jejunium & preces extraordinarias plebem hortentur. De precibus, quia ſatis conſtat, nõ agemus. De jejunio, quod alii ut ſupervacuum aut minus neceſſarium negligunt, alii nimis ſuperſtitioſe agitant, paucis dicendum nobis eſt. c. 12. S. 14.

30. Sanctum ac legitimum jejunium tres habet fines. Eo enim utimur vel ad macerandam & ſubigendam carnem, ne laſciviat: vel ut ad preces & ſanctas meditationes nos melius comparemus: vel ut teſtimonium ſit noſtræ coram Deo humiliationis, in confeſſione reatus noſtri. Primus finis non ita ſæpe locum habet in publico jejunio, ſed privato magis convenit, quia non eſt omnium eadem corporis conſtitutio aut valetudo. Secundus & tertius utriusque communis. Nam & Eccleſia tali præparatione ad preces opus habet, & privatim fidelium unusquisque. In communi porro calamitate ream ſe tota plebs faciat oportet, peccatũ ſuum palam confitendo, tum ut Deo juſtitiæ laudem tribuat, tum ut ſe mutuo ſinguli exemplo cohortentur & ædificent. Si quem vero privatum feriat manus Domini, id ipſum faciat vel ſolus, vel cum familia ſua. In his omnibus animi affectus præcipue requiritur, qui ubi recte afficitur, fieri nequit quin erumpat in externam teſtificationem. c. 12. S. 15.

31. Eſt autem hic nobis potiſſimum ſermo de publico jejunio & quatenus ad diſciplinam pertinet. De ſecundi generis jejunio exempla habemus publica, Act. 13. 3. & 14. 23. Et privata, Luc. 2. 37. Nehem. 1. 4. 1 Cor. 7. 5. Patet autem in his fideles

aliud

aliud nihil ſpectaſſe, niſi ut ſe redderent alacriores & magis expeditos ad precandum. Ideo etiam Paulus 1 Cor. 7. 5. Iejunium precationi vice adminiculi conjungit, quia alioquin nullius per ſe eſſet momenti, niſi referretut in hunc finem. Tertii generis exempla videre eſt, Ioël 2. ℣. 15. 1 Sam. 7. 6. & 31. 13. Ion. 3. 5. Ex his liquet, quoties de re aliqua magna Deo ſupplicandum fuit, ut ad precandum eſſent aptiores, aut gravis aliqua clades populo immineret, ut iram Dei deprecarentur, uſitatum fuiſſe jejunium in populo Dei. Præſertim vero in hoc poſtremo genere publici habebantur conventus, & tanquam rei, habitu miſerabili, ſuppliciter ſe coram Deo demittebant, in ſacco, cinere, & fletu, ad conciliandam Dei miſericordiam. Eadem ratione & nos hodie, ubi de peccatis noſtris videmus inſtitui quæſtionem, & Deus veluti armatus ad ultionem apparet, recte in jejunio nos exercebimus, tum quia hoc Dei gloriæ intereſt, ac publicæ ædificationis, tum quia ſanctum & utile eſt exercitium, tam ad nos humiliandos, quam ad humilitatem confitendam. Nec eſt cur dicat aliquis externam hanc eſſe cæremoniam, quæ in Chriſto finem acceperit. Nam Chriſtus ipſe jejunium calamitoſis temporibus deſtinat. Et ſicut olim ſic & hodie optimum fidelibus eſt adminiculum ad ſeipſos excitandos, ne ſua ſecuritate iram Dei magis provocent. cap. 12. Sect. 17.

32. Sed ne hic erremus, definiendum nobis eſt jejunium. Neque enim hic ſimpliciter abſtinentiam intelligimus aut parſimoniam in victu, qua tota piorum vita temperata eſſe debet: ſed temporale jejunium, quando nobis continentiam indicimus in victu, ordinaria illa abſtinētia arctio-

rem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

rem & ſeveriorem. Atque hoc in tribus conſiſti
1. In tempore, ut ad diem unum vel ad certum
tempus jejuni ſimus, donec defungamur actioni
bus iis, quarum cauſa inſtitutum eſt jejunium
2. In ciborum qualitate, ut vilioribus cibis con
tenti palatum delicatis non irritemus. 3. In Quan
titate, ut parcius ac levius ſolito veſcamur, tantum
ad neceſſitatem, non ad voluptatem, c. 12. S. 18.

33. Semper autem ſtudioſe cavendum, n
quid obrepat ſuperſtitionis. Nam ſatius fuerit nul
lum obſervari jejunium, quam falſis illud & ſu
perſtitioſis opinionibus corrumpere. Tria proin
de hic obſervanda ſunt. I. ut ſemper & accurate
urgeatur quod docet Ioël cap. 2. 13. ſcindenda
eſſe corda, non veſtimenta: non magni per ſe æſti-
mari à Deo jejunium, niſi adſit interior cordis af-
fectus, vera peccati & ſui ipſius diſplicentia, vera
humiliatio, verusque dolor ex timore Dei, his
accedere jejunium velut inferius adminiculum:
meram contra eſſe hypocriſim & abominationē,
ſi interea impietatem animo foveamus: ſicut Deus
aſſerit Eſai. 58. 5. II. Cavendum ne pro merito-
rio opere aut ſpecie divini cultus cenſeatur. Et-
enim res eſt per ſe media, quæ cum operibus per
ſe neceſſariis confundi non debet, nec quidquam
habet momenti, niſi ad ſuos fines referatur.
III. Cavendum etiam ne hoc genus exercitii aut
rigidius exigamus, tanquam unum ex præcipuis
officiis, aut immodicis encomiis, plus quam par
eſt, extollamus. Qua in parte non in totum excu-
ſari poſſunt, qui prudenter aliquando de jejunio
loquuntur, ſed dum immodice & nimis laudant,
partim ſuperſtitioni, partim ſequutæ tyrannidi
occaſionem præbuerunt. c. 11. S. 19.

34. Sub illud tempus invaluit ſuperſtitioſa qua-
drage-

dragefimæ obſervatio, quia & vulgus putabat ſe ita eximium aliquod obſequium Deo præſtare, & Paſtores eam commendabant pro ſancta Chriſti imitatione. At mera hæc fuit κακοζηλία. I. Quia Chriſtus non jejunavit quadraginta diebus ut exemplum aliis præſcriberet, ſed ut probaret doctrinam ſuam è cœlo eſſe profectam. II. Non ſæpius ſed ſemel tantum Chriſtus jejunavit. Quid hoc ad anniverſarii jejunii legem? III. Non jejunat humano more ut ad ſui imitationem omnes provocet, ſed ut in ſui admirationem omnes rapiat. IV. Sic olim quoque Moſes in promulganda Lege jejunavit Exod. 24. 18. & 34. 28. quod in Euangelii prædicatione à Chriſto prætermitti non debuit. At nemini Patrum & Sanctorum in mentem venit ut idem imitarentur. V. Simile de Elia legitur, I Reg. 19. 18. Neque hoc ad imitationis exemplum contigit, ſed eo tantum pertinebat, ut populus agnoſceret eum à Deo excitatum eſſe Legis vindicem. c. 12. S. 20.

35. Fuit tamen olim in modo jejunii mira diverſitas. Alia tempora Romani, alia Illyrici & Græci ſervabant. In ciborum quoque diſcrimine diſſidebant, teſte Auguſtino epiſt. ad Ianuar. cap. 22. Sect. 20.

36. Sequuta ſunt exinde deteriora tempora, tum ex præpoſtero vulgi ſtudio, tum ex Epiſcoporum inſcitia, & dominandi libidine. Impiis legibus carnium eſus, quaſi hominem contaminaret, interdictus. Additæ ſacrilegæ meriti opiniones. Poſt etiam hoc prætextu cum Deo ludere cœperunt. Vix ullæ lautitiæ ciborum, vel copia, vel varietate, vel ſuavitate, ſufficiebant. Nunquam fœdius ſe ingurgitare qui videbantur ſanctiſſimi. Tandem hunc ſummum habere cultum, ſi carnibus

nibus abſtineret quis, & his exceptis omni genere lautitiarum affluerent. Ita belle ſe putabant ſervire Deo. Qua de re etiam olim Hieronymus conqueſtus eſt. Hoc vitium hodie inter divites ſic eſt vulgare, ut non alio fine jejunare videantur, quam ut lautius epulentur. Abeant nunc Pontificii & de hac jejunii diſciplina glorientur. cap. 12. Sect. 21.

37. Nunc de altera diſciplinæ parte nobis eſt agendum, quæ ad clerum peculiariter pertinet. Hæc variis Canonibus continetur, quos ſibi veteres Epiſcopi & ſuo ordini impoſuerunt: quos etiam pœnis ſanciverunt, ne impune violarentur. Secundum hos Canones Epiſcopi Clericos regebant, & in officio continebant. Horſum etiam inſpectiones & Synodi provinciales habebantur, (Vniverſale namque cogere ſolius erat Imperatoris) ubi præfracti aut diſſoluti & negligentiores Clerici, duriores item Epiſcopi cenſuris ſubjiciebantur. Donec hæc ſeveritas viguit, rigidiores in ſe erant Clerici, quam in vulgus: quod æquum & juſtum erat. Sed ab illo tempore nihil hoc ordine magis effræne & diſſolutum fingi poteſt: umbris tantum & inſtar ſimiæ antiquitatem ſimulant, nec aliter quam Perſæ apud Xenophontem poſtquam degeneraſſent regulas antiquas laudant, reipſa corrumpunt & vitiant. cap. 12. Sect. 22.

38. Vna in re plusquam rigidi ſunt, ne conjugium Sacerdotibus permittant. In eum finem Canones inſtituti, quibus matrimonium Sacerdotibus & Clericis interdictum fuit, & decorum caſtitatis tanquam pro re neceſſaria venditatum. Reſp. 1. Hac prohibitione. 1. orbatam fuiſſe Eccleſiam probis & idoneis Paſtoribus. 2. horrendam

eſſe

eſſe invectam ſcelerum colluviem & fœtidum cælibatum, uti ex ſcortandi impunitate, quæ inter ipſos graſſatur, ſole clarius liquet. 3. multas animas in deſperationis gurgitem conjectas fuiſſe. 11. Dicimus id eſſe factum ex impia tyrannide contra verbum Dei & omnem æquitatem. Nam. 1. non licuit hominibus prohibere, quod Dominus liberum reliquiſſet. 2. Cavit Deus verbo ſuo, ne hæc libertas infringeretur. Paulus vult Epiſcopum unius uxoris eſſe virum, 1 Tim. 3.2. Tit.1.6. Et idem conjugii prohibitionem doctrinam aſſerit eſſe dæmoniorum, 1 Tim. 4.3. Et impoſtores noviſſimi temporis eos vocat, qui conjugium ſint prohibituri. c. 12. S. 23.

39. Excipiunt ad hunc locum, veteres hic intelligi hæreticos, qui ſoli matrimonium damnarunt: ſe hoc non facere, ſed Eccleſiaſticum duntaxat ordinem ab eo arcere. Reſp. 1. Non eſſe conſequens, ſi vaticinium hoc in illis prioribus fuerit completum, in ipſos non competere. 2. Puerilem eſſe argutiam, ideo à ſe non prohiberi conjugium, quia non omnibus prohibent. Sic tyrannus ſe defendat, ſi partem tantum civitatis iniquitate premat. c. 12. S. 23.

40. I. Objiciunt, oportere ut hac nota Sacerdos à plebe differat. Reſp. 1. Hanc notam Dominus inter ornamenta ſacerdotum non recenſuit. 2. Contra Paulus inter dotes Epiſcopi conjugium poſuit. Illum ergo, ſi audent, perturbati ordinis Eceleſiaſtici inſimulent. 3. Chriſtus eo honore dignatur conjugium, ut velit eſſe ſacræ ſuæ cum Eccleſia conjunctionis imaginem. Sane non potuit ſplendidius commendari dignitas conjugii. Dicant jam nobis, qua fronte immundum & pollutum vocent? c. 12. S. 24.

41. Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

41. Excipiunt ad locum Pauli 1 Tim. 3. 2. non eligendum eſſe Epiſcopum qui ſecundam uxorem habuerit. Reſp. Non eſſe novam hanc interpretationem fatemur, ſed falſam eſſe ex ipſo contextu patet. Statim enim præſcribit, quales Epiſcoporum & Diaconorum uxores eſſe oporteat cap. 12. Sect. 24.

42. II. Objiciunt. Sacerdotes Leviticos, quoties ad miniſtrandi vices redibant, debuiſſe ab uxoribus ſecubare, quo puri ſacra tractarent. At noſtra eſſe nobiliora. Proinde indecorum eſſe, ut à conjugatis tractentur. Reſp. 1. Magnam eſſe diſſimilitudinem. Levitici Sacerdotes, quod ſacrificaturi velut pacificatores Chriſtum repræſentarent, juſſi ſunt ultra humanum morem ſe ipſos purificare, non tamen in totum à conjugio abſtinere. Hanc perſonam illi noſtri non ſuſtinent. II. Paulus dicit honorabile eſſe conjugium *inter omnes*, ſed ſcortatores & adulteros manere Dei judicium, Hebr. 13. 4. III. Ipſi Apoſtoli non tantum uxores habuerunt, ſed etiam circumduxerunt, 1 Cor. 9. 5. c. 12. S. 25.

43. III. Objiciunt nobis antiquitatem. Reſp. 1. Falſo. quia conſtat hanc libertatem ſub Apoſtolis & aliquot poſtea ſeculis extitiſſe, ut conjuges eſſent Epiſcopi. Et eadem uſi ſunt ſine difficultate, tum ipſi Apoſtoli, tum alii primariæ authoritatis Paſtores, qui in illorum locum ſucceſſerunt, qui conjugium Epiſcoporum non modo toleraruntſed etiam approbarunt. Antiquitas ergo pro nobis facit, nec unquam credidit per conjugatos ſacra profanari. 2. Agitatum ſcimus fuiſſe in Nicena Synodo de indicendo cælibatu. Sed in Paphnutii ſententiam tandem diſceſſum eſt, qui pronuntiavit caſtitatem eſſe cum propria uxore

con-

concubitum. 3. Etiam illud fatemur, ex eo tempore virginitatem ſubinde & ſine modo laudatam: ſic tamen, ut non damnaretur impuritatis conjugium, ejus tantum dignitas & ſanctitas nonnihil obſcurabatur. Horſum faciebant Canones, quibus primo vetitum fuit, ne Sacerdotes matrimonium contraherent: deinde additum, ne in hunc ordinem aſſumerentur niſi cælibes, aut qui thoro conjugali una cum uxoribus renuntiarent. Qua in re tum Scripturæ tum antiquioris Eccleſiæ derogarunt conſuetudini. Necdum tamen eo deventum erat, ut legem cælibatus urgerent, tanquam rem per ſe neceſſariam, ſed tantum quia cælibes conjugatis anteferrent. Denique non neceſſitate aut vi ad continentiam adigebant, qui ad eam ſervandam non eſſent idonei. Severiſſimis enim legibus in ſcortationes vindicabant. Hoc tantum de iis qui matrimonium contraherent ſtatuebant, ut à functione ſuperſederent. 4. Ne Patres quidem, excepto Hieronymo, in conjugii honeſtaté tanta malignitate injurii fuerunt. Chryſoſtomus quidem in primo gradu caſtitatis ponit virginitatem, ſed in ſecundo ejuſdem gradu ſtatuit fidele conjugium. Nulla ergo cauſa eſt, cur antiquitatis nomine Sacerdotum conjugia infament. Redeant ad primum Eccleſiæ exemplar. Si nolunt, at veterem tamen caſtimoniam Sacerdotibus reſtituant: ſcortatores & adulteros removeant: obſoletam laſciviæ corrigendæ diſciplinam in uſum revocent: liberent eccleſiam flagitioſa turpitudine: denique ne pro re neceſſaria venditent, quæ per ſe libera ex eccleſiæ utilitate pendet. c. 12. S. 26, 27, 28.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

DISPVTATIO VIII,

De Votis.

Ex lib. 4. *cap.* 13.

1. PRæcedentibus diſputationibus deploranda intelleximus tyrannidem, qua varie ſua Ec-cleſiæ libertas ademta fuit. Ad hanc acceſſit pri-vata multorum amentia, qua factum eſt ut pro-pria ſinguli ſibi onera accerſerent, quaſi non ſat eſſet hominum traditionibus gravatũ fuiſſe. Nam certatim excogitata fuerunt vota, ex quibus ad cõmunia vincula major & arctior accederet obli-gatio. Hoc malum ſuperiori affine documentum eſt pravitatis ingenii humani, & quantum Deus non ſine juſtiſſima cauſſa Satanæ ejusque Mini-ſtris permiſerit. S. 1.

2. Primum autem repetere convenit principia jam ante poſita. I. Quidquid ad vitam pie ſancte-que inſtituendam deſiderari poteſt, in Lege eſſe comprehenſum. II. Deum, ut nos ab excogitan-dis novis operibus avocaret, totam juſtitiæ lau-dem in ſimplici voluntatis ſuæ obedientia inclu-ſiſſe. III. Hinc ſequi, fictitios cultus omnes, quos ipſi ad promerendum Deum comminiſci-mur, minime illi eſſe acceptos, quantumvis no-bis arrideant. Iam quæritur de Votis quæ præter expreſſum Dei verbum fiunt, quo loco ſint ha-benda, & an à Chriſtianis nuncupari rite poſſint, denique quatenus eos obſtringant. S. 1.

3. Quod inter homines dicitur promiſſio, id Dei reſpectu Votum appellatur. Hominibus au-tem pollicemur, quæ vel putamus illis fore grata, vel quæ ex officio debemus. Agimus autem de votis quæ Deo fiunt. Longe igitur majorẽ in hiſce obſervantiam eſſe debere res ipſa loquitur. S. 1.

4. Cæ-

4. Cæterum nos nequaquam de re ſupervacua quæſtionem inſtituere, vel ex eo apparet, quod omnibus ſeculis graſſata eſt hæc ſuperſtitio, ut homines ſine judicio & delectu, quidquid in mentem aut buccam veniret, Deo protinus voverent. Nil dicemus de ineptis Ethnicorum votis, quibus nimium inſolenter cum diis ſuis luſerunt. Miramur potius Chriſtianorum eo ſe proripuiſſe audaciam, ut contemta paſſim Dei Lege, inſano vovendi, quidquid vel per ſomnium arriſiſſet, ſtudio toti flagrarent. Quam graviter hic peccatum ſit ex ſequentibus apparebit. S. 1.

5. Principio expendere convenit, quænam vota ſint legitima. Sic enim facile judicabimus, quæ ſint præpoſtera. Ad eam rem tria nobis ſunt conſideratu neceſſaria. 1. Cui vota nuncupare debeamus. 2. qui ſimus nos qui vovemus. 3. Quo animo voveamus. Primum eo ſpectat, ut cogitemus in votis cum Deo nobis eſſe negotium. At is omnes voluntarios cultus rejicit, quos ſine ejus mandato excogitamus. Nihil ergo vovendum eſt, quod non habeat teſtimonium à Deo. Et tunc ei vota noſtra eſſe accepta certi erimus, quando verbo ejus approbantur. Si enim peccatum eſt, quidquid fit abſque fide, Rom. 14. verſ. 23. uti Paulus de rebus levioribus aſſerit, qualia ſunt ciborum diſcrimina, quanto magis hæc fidei certitudo quærenda erit, ubi rem maximi ponderis aggredimur? Sit igitur hæc prima cautio, ne unquam ad vovendum aliquid deſcendamus, niſi prius conſtet noſtris conſcientiis nos nihil temere tentare. Hoc autem fiet, ſi Deum habeant præeuntem & ex verbo ſuo dictantem quid factu bonum ſit vel utile. S. 2.

6. Alterum caput de duobus nos monet. 1. Ut me-

metiamur vires noſtras & vocationem noſtra[m] intueamur. 2. Ne beneficium libertatis, quod no-bis Deus contulit, negligamus. Prioris neceſſit[as] manifeſta eſt. Nam qui vovet vel quod non e[ſt] ſuæ facultatis, vel cum vocatione ſua pugnat, t[e]merarius eſt. nihil hic tribuimus poteſtati aut vi[r]tuti hominum. Omnia enim quæ Deo offerim[us] aut vovemus mera ſunt ejus dona. Sed hoc volu[i]mus, quum Dei benignitate alia nobis collata ſin[t] alia ejus æquitate negata, ſic vota eſſe attempe[randa] ad menſuram collatæ gratiæ, ut nihil ultr[a] conemur, quam Deus permittit. Sicarii quidan[i] ſe nihil cibi guſtaturos voverant, niſi occiſo Paulo. Sceleratum ſimul fuit conſilium & temerarium, Actor. 23. 12. Iephte etiam inconſiderate vovens pœnas dedit ſuæ ſtultitiæ, Iud. 11. 30. Talia ſun[t] vota cœlibatus, quæ homines concipiunt ſuæ in-firmitatis obliti. Nam 1. quando vovent caſtita-tem in finem vitæ ſuæ, unde certi ſunt eam ſibi per omnem vitam conſtaturam? Si generalem Dei vocationem attendunt, dictum eſt communiter omnibus, Non eſt bonum homini eſſe ſolum, Gen. 2. 18. Iam peccatum in nobis manens, quos accerrimos aculeos non exercet? Quod ipſum o-mnes intelligunt, & ipſi quoque ſentiunt ſi fateri vellent. Vtut ergo concedatur donum continentiæ in tempus aliquod, prout opportunitas requirit, qua fiducia perpetuam eam ſibi in totam vitam ſpondent? II. Annon eſt hoc Dominum tentare, contra inditam naturam niti, ac præſentia ejus dona ſpernere, ac ſi nihil ad nos pertinerent? At-qui ne hoc fieret, expreſſe Deus vetuit, Deut. 6. ℣. 16. Iſti vero non modo faciunt, ſed matrimo-nium etiam, quod ſanctiſſimum Deus pronuntiat, & ſua præſentia ac primo miraculo Chriſtus ho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nôrare dignatus eſt, Heb. 13. 4. Ioh. 2. 9. pollutionem vocare audent: impurum ſuum cœlibatum vitam nuncupant angelicam, quaſi Angeli ſcortatorum & adulterorum eſſent ſocii. III. Videmus quibus pœnis hujusmodi arrogantiam & præfidentem donorum ſuorum contemtum Dominus ulciſcatur, paſſim graſſantibus adulteriis & ſcortationibus, ut de occultioribus & nefandis ſceleribus taceamus. IV. Id extra controverſiam eſt, nihil eſſe vovendum quod vocationem noſtram impediat: non mage quam patrifamilias liceret relictis liberis & uxore alia onera ſuſcipere; aut ei qui idoneus ſit ad gerendum magiſtratum, quum eligitur, vovere vitam privatam. Alterum quoq;' membrum de non ſpernenda noſtra libertate, minime eſt negligendum. Conſtituit nos Deus rerum omnium dominos, ut omnibus pro noſtra commoditate uteremur. Ingrati proinde erimus, ſi tantam beneficentiam contemnimus. Et ſtulti, ſi rebus externis, quæ nobis adminiculo eſſe debent, nos in ſervitutem addicamus. Qua in parte nonnulli fruſtra laudem humilitatis captant, dum ſe multis obſervationibus illaqueant, à quibus nos liberos Deus eſſe voluit. S. 3.

7. Tertio loco inquirendum diximus, quo animo votum nuncupes, ut Deo gratum ſit. Nam Dominus cor ipſum reſpicit, non externam ſpeciem. Hinc fit, ut eadem res mutato animi propoſito & fine nunc Deo placeat, nunc vehementer diſpliceat. Sunt autem fines quatuor ad quos vota noſtra rite dirigentur: duos ad tempus præteritum & reliquos ad futurum referamus. S. 4.

8. Ad præteritum tempus pertinent vota, quibus vel noſtram erga Deum gratitudinem pro acceptis beneficiis teſtamur, & vocari poſſunt exer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

citia actionis gratiarum: vel ſunt exercitia pœn
tentiæ, quando ad iram Dei deprecandam ipſi
nobis pœnam ob admiſſa delicta exigimus. Prio
ris exemplum habemus in voto Iacobi, Gen. 28
℣.20, Et in votis Regum atque Ducum, quand
juſtum bellũ aliquod erant ſuſcepturi, aut majo
aliqua difficultate preſſi pacificas hoſtias vove
bant, ſi Deus victoriam aut liberationem dediſſe
De his quoque votis potiſſimum loquuntur. Pſal
mi. Pſ.22.26. & 56.13. & 116.14.18. Horun
etiam nobis uſus eſſe poteſt, quoties nos Deus a
aliquo gravi diſcrimine eripuit. Poſterioris ho
eſto exemplum. Si quis gulæ vitio in flagitium
aliquod prolapſus ſit, poterit ad caſtigandam in-
temperiem voto adhibito omnibus lautitiis ad
tempus aliquod renuntiare, ut ſe arctiori vinculo
aſtringat. Hoc votum erit licitum, modo liberum
maneat. Neque enim omnibus, qui ſimiliter deli-
querint, eandem legem ſtatuendam eſſe cenſe-
mus. Sect. 4.

9. Quæ in futurum tempus conferuntur vota, vel eo tendunt, ut reddamur cautiores, vel ut his veluti ſtimulis ad officium excitemur. Exempla hæc ſunto. Sit aliquis proclivis in certum vitium, ut in re alias non mala, puta in hoc vel illo corporis ornatu, nequeat ſibi temperare quin in malum aliquod delabatur, poterit ejus rei uſum ad aliquod tempus ſibi voto præcidere. Rurſus ſit aliquis obliviofus & piger ad neceſſariã pietatis officia, cur non ſuſcepto voto memoriam expergeſaciat & pigritiam excutiat? Vtrinque quidem puerilis eſt inſtructio. Attamen, ut infirmitatis adminicula, ab imperfectis non ſine utilitate uſurpantur. Sect. 5.

10. Quæ ergo ad unum ex his finibus reſpiciunt

vota,

vota, præſertim in rebus externis, legitima eſſe dicemus, modo Dei approbatione ſuffulta ſint, vocationi noſtræ conveniant, & ad facultatem gratiæ nobis à Deo datæ ſint limitata. S. 5.

11. Præter hæc quæ diximus, unum eſt fidelium omnium commune votum, quod in Baptiſmo nuncupatur, & Catechiſmo ac Cœnæ ſumtione quaſi ſancitur. Hic Deo nos in ſervitutem addicimus, & obſequium pollicemur. Hoc votum quin ſanctum & ſalutare ſit} dubitari non poteſt, quum à Deo teſtimonium habeat, imo à filiis Dei omnibus exigatur. Si quis dicat nos perfectam obedientiam in hac vita non præſtare, viciſſim cogitet, pollicitationem quam illic facimus, ex ipſa fœderis formula cum veniæ deprecatione & auxilii poſtulatione eſſe conjunctam. S. 6.

12. Vota autem illa particularia, de quibus ante hac egimus, & quæ ſecundum tres ſuperiores regulas æſtimari debent, ſic ſancta eſſe aſſerimus, ut quotidiana tamen eſſe nolimus. De numero & tempore nihil certi præcipi poteſt. Recte fecerit, qui ſobria & temporaria ſuſcipiet. Nam in multitudine votorum facile religio ipſa aſſiduitate vileſcit, & proclivis eſt in ſuperſtitionem lapſus. Si perpetuo voto te obſtringas, aut magna cum moleſtia & tædio ſolves, aut diuturnitate fatigatus, violare aliquando audebis. S. 6.

13. Porro de abuſibus votorum dicendum eſt. Formulas omnes enumerare non eſt opus. Conſtat infinita ſuperſtitione hac in parte laboratum omnibus ſeculis. Alius vini, alius carnis abſtinentiam ad tempus vovebat, peregrinationes ad ſanctiora loca ſuſcipiebat, interdum pedes, interdum ſeminudus; omnes meriti opinione. Hæc vota, ſi ad regulas ſupra poſitas examinentur, non tantum

 puerilia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

puerilia & nugatoria deprehendentur, ſed plena manifeſtæ impietatis. Nam. I. quidquid judicet caro, fictitii & abominabiles Deo erunt cultus. 2. Accedunt pernicioſæ opiniones, quaſi his nugis defuncti non vulgarem ſibi juſtitiam comparaverint, veri hypocritæ, externæ pietatis obſervatores, aliorum qui in ejuſmodi rebus minus ſunt curioſi ſuperbi contemtores. S. 7.

14. Sed reliquis votorum generibus omiſſis, de monaſticis potiſſimum agere nobis eſt propoſitum, quod in præcipua ſint veneratione, utpote quæ videntur publico Eccleſiæ judicio approbata. Sed hic I. Notemus aliud fuiſſe olim, quam hodie ſit, in Monaſteriis vivendi inſtitutum. Qui ad ſummam auſteritatem & patientiam ſe volebant exercere, eo concedebant. Præcipua diſciplina erat, humi dormire, aquam bibere, pane, herbis, radiculis veſci, in oleo & ciceribus lautitias ponere, ab omni delicatiore victu & corporis cultu abſtinere. Cujus rei teſtes habemus oculatos & expertos Nazianzenum, Baſilium, Chryſoſtomũ. II. Talibus rudimentis ſe ad majora munera præparabant. Atque ex Monaſticis collegiis ad Epiſcopale munus vocati ſunt complures, ut non illi tantum teſtantur quos nominavimus, ſed ipſe quoque Auguſtinus, Epiſt. 82. & 76. Non quod omnes ad huuc finem pervenirent, aut huc etiam tenderent, quia multi erant illiterati, ſed qui idonei erant ſeligebantur. III. Si quis vero plenius ſcire deſideret, quæ fuerit ipſorum pietas & caſtitas, quæ ſtudia, quæ modeſtia, paupertas, œconomia, quomodo labore manuum victitarint, quos conventus habuerint, quæ victus ratio, quæ auſteritas, abſtinentia, in pauperes amor & humanitas, quod ſuperſtitionis odium, quod chari-

tatis

tatis ſtudium, &c. conſulat Auguſtinum libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ, & altero de opere Monachorum. S. 8, 9.

15. Ex his tria ſeligimus, quæ præſentem Monachiſmum ab antiquitate longiſſime diſſidere oſtendunt. Nam Auguſtinus. I. omnem rigidam exactionem vult abeſſe earum rerum, quæ nobis verbo Domini liberæ relinquuntur. Atqui nihil eſt quod in colore aut ſpecie veſtis, aut in genere cibi, aut frivolis ejuſmodi cæremoniis hodie ſeverius exigatur. II. Fortiter contendit non licere Monachis de alieno otioſis vivere. Noſtri præcipuam ſanctimoniæ partem in otio collocant, ſine quo Angelicam illam ſcilicet & contemplativam vitam agere non poſſent. III. Talem depingit Monachiſmum, qui nihil aliud ſit, quam exercitium & adjumentum ad pietatis officia, cujus unam prope regulam in charitate ponit. Nihil dicit de paucorum hominum conſpiratione, qui ab univerſo corpore Eccleſiæ ſeparentur. Quin potius hos aliis exemplo præire vult ad ſervandam Eccleſiæ unitatem. Noſtri Monachi in utroque contrarium ſectantur; præſertim pro pietate, quam Chriſtus commendat, novam perfectiorem imaginantur. Cujus rei documentum eſt, quod ordinem ſuum perfectionis titulo unum dignantur, eundem omnibus Dei vocationibus adimunt. Sect. 10. 11.

16. Excipiunt non ſic vocari, quia perfectionem in ſe contineat, ſed quia ad acquirendam perfectionem ſit omnium optimus. Reſp. I. Cur ergo quoties res ſuas agunt, & commodum videtur, jactant apud plebem ſe eſſe in ſtatu perfectionis? Cur vitam monaſticam dicunt eſſe angelicam, perfectam, ab omnibus vitiis repurgatam?

Mera ergo eſt ludificatio, nec niſi quæſtui accommodata. II. Vt concedamus quod volunt, non poteſt tamen excuſari quod omnibus vitæ generibus à Deo ordinatis & laudatis commentitium neſcio quod anteferunt. III. Ipſi ſe accuſant, quod non ſint contenti præſcripta à Chriſto regula. Aperte enim docent ſe plus oneris ſuſcipere, quam ſuis Chriſtus impoſuerit: quoniam conſilia Euangelica de diligendis inimicis, de non appetenda vindicta, &c. ſe ſervaturos promittunt, quibus non ſint communiter aſtricti Chriſtiani. Atqui hoc nulli unquam veterum in mentem venit. Nam omnes una voce clamant præcepta eſſe, non tantum conſilia. Concludimus Monachiſmum hodiernum non alio niti fundamento, quam opinione perfectioris vivendi regulæ. S. 11. 12.

17. Eodem tendit, quod ſuæ perfectionis argumentum adferunt ex Matt. 19. 21. Adoleſcens quidam de perfectione juſtitiæ Dominum interrogans audit, vade, vende omnia, & da pauperibus. Hinc perfectos ſe eſſe jactant, quod omnia ſua relinquant. Reſp. I. Hoc ipſos facere, merito poteſt ambigi. II. Sed ut verum ſit, ex hoc loco, quam ſomniant perfectionem, minime probant. Paulus clare aſſerit, eum qui diſtribuerit omnia ſua pauperibus nihil eſſe, ſi charitatem non habeat, 1 Cor. 13. 3. Ergo ſi abſit charitas, nulla erit perfectio. Si dixerint ſummum hoc quidem ſed non unum eſſe perfectionis vinculum. At Paulus reclamans charitatem ſine ejuſmodi renuntiatione facit vinculum perfectionis. Iam non diſſidet diſcipulus à Magiſtro. Videndum ergo III. quis ſenſus ſit verborum Chriſti. Is minime obſcurus erit, ſi attendatur ſcopus Chriſti & ad quem verba hæc dirigantur. Quæſtio erat, quibus operibus

detur

detur ingreſſus ad vitam æternam. Chriſtus juvenem remittit ad Legem, in qua perfecta docetur juſtitiæ doctrina, ad ſalutem valida, niſi pravitas noſtra obſtaret. Iuvenis vana confidentia tumidus ſe omnia à puero ſervaſſe gloriatur. Interea divitiis abundans cor ſuum illis affixerat. Hoc vulnus arcanum ut Chriſtus aperiat, jubet ut omnia relinquat quæ habet, non aliter quam ſi ambitioſum omnibus honoribus, voluptuoſum omnibus delitiis jubeas renuntiare. Iuvenis ad hæc verba mœſtus diſcedit. Sic manifeſte comprobatum eſt, quam longo intervallo à perfecta Legis obedientia adhuc abeſſet. Male ergo Monachi ex hypotheſi generalem regulam colligunt. Sect. 13.

18. Inſtant, Locum illum ſic à quibuſdam Patribus fuiſſe intellectum. R. I. Non diffitemur; ſed certe non ex mente Chriſti. II. Nihil minus illis fuit propoſitum, quam talem Monachalem ſtabilire perfectionem, ut etiam duplicem Chriſtianiſmum erigerent: multo minus ut profeſſionem monaſticam formam eſſe voluerint ſecundi alicujus Baptiſmi. Vt autem in cœpta comparatione pergamus, quando Auguſtinus meminit veteres Monachos ſe totos ad charitatem accommodaſſe, quid cum illis noſtri Monachi ſimile habent? Illi quidem ſeparatim habitabant, non tamen habebant ſeparatam Eccleſiam, Sacramenta cum aliis participabant: ut pars plebis ad ſolennes conventus ſe ſiſtebant. At hi novitiæ profeſſionis Monachi peculiarem ſocietatem, peculiare miniſterium & altare erexerunt, privatim Sacramentorum adminiſtrationem adſciverunt; ſingularibus titulis, inſuper habito Chriſti nomine, à vulgo Chriſtianorum & inter ſe diſtingui affectarunt. Quid eſt ab Eccleſia diſceſſionem facere, Chriſtum

nominibus Doctorum dividere, ſi hoc non eſt? Nempe ut illis ſine iujuria Chriſti liceat, quod tam acriter in Corinthiis taxat Apoſtolus, 1 Cor. 1. ℣. 12. & 3. 4. S. 13. 14.

19. Hactenus ipſam Monachiſmi profeſſionem & vivendi inſtitutum perſtrinximus. In moribus vero quanta eſt ab antiquitate diſcrepantia? Nullus hominum ordo magis omni turpitudine vitiorum inquinatur. Nuſquam magis fervent factiones, odia, ſtudia partium, ambitus. Nullibi magis impudice vivitur: cœnobia dixeris lupanaria potius quam caſtitatis ſacraria. In victu autem quanta intemperantia. Talia monaſteria ſi hodie conſpiceret Auguſtinus, an veteres Monachos agnoſceret? Iam ſuo tempore de fucis quibuſdam Monachis conqueritur. Sed ad hodiernam impudentiam non devenerant. Nihil niſi notiſſima dicimus. Neque tamen omnes ſine exceptione accuſamus. Alicubi bonos adhuc in ſuo grege habent, ſed paucos & diſperſos, in tam ingenti improborum multitudine deliteſcentes, his ipſis exoſos & contemtos. S. 15.

20. Ex his quæ diximus conſtare arbitramur, falſo primæ Eccleſiæ exemplum prætexi ad hodierni Monachiſmi defenſionem. Interim non diſſimulamus in illa ipſa priſca conſtitutione non pauca eſſe, quæ nobis diſpliceant. 1. Non fuerunt ſuperſtitioſi in rigidioris diſciplinæ exercitiis; immodica tamen quædam fuit affectatio. 2. Pulchrum erat omni terrena ſollicitudine carere; at pluris fit à Deo familiam bene curare, in certa vocatione Deo ſervire. 3. Pulchrum fuit in ſeceſſu philoſophari. Sed in ſolitudinem velut odio humani generis confugere, & officia mandata deſerere, non videtur eſſe Chriſtianæ manſuetudinis

aut

aut ſocietatis. 4. Vel hoc ipſum in tali profeſſione non mediocre fuit malum, quod exemplum inutile & periculoſum in Eccleſiam invexit. S. 16.

21. Supereſt ut ipſa votorum genera, continentiæ, paupertatis & obedientiæ, examinemus. Ac de his quidem in genere aſſerimus. 1. quia fictitium cultum & quidem promerendi Dei cauſa inſtituunt, abominationi eſſe apud Deum. 2. quia ſine Dei vocatione & approbatione vivendi genus, quale libet, comminiſcuntur, temerarium & illicitum eſſe auſum. Nam quod ex fide non eſt, peccatum eſt, Rom. 14. 23. 3. quia perverſis atque impiis cultibus ſeipſos implicent, non Deo conſecrati ſed dæmoniis. Nam cur non liceat Monachis dicere, quod olim Iſraëlitis Deus exprobrat Deut. 32. 17. Pſ. 106. 37. S. 17.

22. Iam ut ſpeciatim ſingula vota excutiamus, Virginitatem Deo perpetuam promittunt. Atqui primum cônſtare illis debebat, an eos Deus in perpetuum à conjugii neceſſitate liberet. Excipiunt ſe hoc votum Dei gratia fretos nuncupare. Reſp. I. Nullibi Deus ſpeciale hoc donum omnibus promiſit. Qui habent eo utantur, Matt. 19. 11. Qui non habent, nec orando proficiunt, ne remedium, quod Deus offert, contemnant. Sic enim quaſi certa Dei voce ad conjugium citantur. II. Male continentiam definiunt. Neque enim tantum externam laſciviam, ſed animi quoque uſtionem Paulus prohibet, 1 Cor. 7. 9. Vtrunq; ergo & corpus & animam caſtam Deo exhibere debemus. Hoc qui non poteſt, continendi facultatem agnoſcat ſibi denegatam. III. Alioquin cælibatum non improbamus, modo ne pro cultu perperam æſtimetur, aut temere ab iis nuncupetur, quibus continendi poteſtas facta non eſt. S. 17, 18.

23. Inſtant. I. Antiquitus receptum, ut qui totos ſe Deo conſecrare vellent, etiam continentiæ voto alligarent. R. 1. Non ſtatim pro regula habendum eſſe quidquid olim factum eſt. 2. Tum nondum in uſu fuiſſe, ut poſt conceptum votum nullus pœnitentiæ locus fieret. Cujus rei teſtis Cyprianus Epiſt. 11. At noſtri nullam admittunt moderationem aut veniam, ſi quis poſt votum non poſſit perſeverare: imo conjugium magis contaminare quam ſcortationem aſſerunt. S. 17.

24. Inſtant. II. Tale votum fuiſſe uſitatum tempore Apoſtolorum, quia Paulus facit mentionem viduarum, quæ in publicum miniſterium recipiebantur, quas, ſi velint nubere, dicit primam fidem abnegare, 1 Tim. 5. 12. Reſp. Non inficiamur viduas illas ſibi perpetui cælibatus conditionem impoſuiſſe. Sed I. Negamus in ea re religionem aliquam ſtatuiſſe, ut poſtea fieri cœptum eſt. II. Non alia ratione profeſſæ ſunt cælibatum, niſi quod conjugium cum ea, quam ſubibant, functione minime conveniret. III. Ne ſic quidem obligatas fuiſſe, ut ſatius fuerit uri, vel in aliquam prolabi obſcœnitatem, quam legitimum matrimonium contrahere. IV. Talem ætatem à Paulo præſcribi, quæ ſit communiter extra periculum, præſertim poſtquam unico matrimonio contentæ ſpecimen ſuæ continentiæ jam ante præbuiſſent. Sect. 18.

25. Quod ajunt primam fidem abnegaſſe, id dicimus vel de fide in Baptiſmo data, quę omnium prima eſt, & quemque jubet vocationi ſuæ reſpondere, debere intelligi: vel quod amiſſo omni pudore & abjecta honeſtatis cura, ad omnem laſciviam & petulantiam ſe proſtituerent, à Chriſtianiſmo alienam. S. 18.

26. Eun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

26. Eundem porro locum ad moniales trahere ipſis libuit. Reſp. I. Paulus de Diaconiſſis loquitur, quæ publico miniſterio erga pauperes defungebantur, & in officia charitatis incumbebant. Moniales illæ cantionibus & murmure non intellecto Deum ſcilicet demulcere ſtudent. II. Illæ non vovebant cælibatum cultus ergo; ſed ut ad exequendũ munus eſſent expeditiores. III. Non vovebant in adoleſcentia aut medio ætatis flore, ſed ſexagenariæ, & poſtquam periculum incontinentiæ amplius non eſſet. Iam ante pręfixum illud tempus ex hoc loco non licuit aliud annorum tempus ſtatuere: multo minus tolerabile eſt, quod miſeræ puellulæ non fraude tantum, ſed vi, & minis eo compulſæ ſunt. S. 19.

27. In reliquis duobus votis impugnandis non eſt cur inſiſtamus, quia generatim ſuperius ſatis confutata ſunt, & ſi recte conſiderentur, non paucis ſuperſtitionibus implicita, in hoc compoſita eſſe videntur, ut Deo & hominibus illudant. S. 19.

28. Quæ illegitima ſint, quæ Deo accepta vota hactenus expoſuimus. Illud adhuc reſtat ut ſuccuramus timidis conſcientiis, quæ ubi votum improbant, obligatione dubiæ hærent. Hunc ſcrupulum facile ſibi eximet, qui cogitabit, irrita apud Deum eſſe vota, quæ non rite aut legitime, ſed ignorationis vitio & inconſiderate, aut ex ſuperſtitione ſunt concepta. Nam. I. In humanis etiam contractibus voluntate duntaxat ejus cum quo contrahimus obligamur. In divinis quanto minus tenemur, quando Deus res tales à nobis non requirit. Idque tanto minus, quia II. nulla Deo placent opera, niſi quæ ipſe mandaverit. Et III. quia conſcientiæ non habent teſtimonium, quod Deo placeant. Ergo cum dubitatione ſuſcipiuntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Quod autem non eſt ex fide peccatũ eſt, Rom. 14. ℣. 23. IV. Quando etiam abominationi Deo ſunt ejuſmodi vota, & vero nec à puro fonte emanent, nec in legitimum finem dirigantur, non modo nos non obligant, ſed etiam reſcindenda & deſerenda ſunt, ut non minus in illis pergere quam inchoare liceat. S. 20.

29. Hinc etiam haberi poterit, quomodo ſe adverſus improborum calumnias tueantur, qui ex Monachiſmo ad honeſtum aliquod vivendi genus tranſeunt. Accuſantur quidem fractæ fidei & perjurii, quia vinculum, quo Deo erant & Eccleſiæ obligati, abruperint. Sed facilis eſt ſolutio. I. Nullũ fuiſſe vinculum, ubi quod homo confirmat Deus abrogat. II. Vt fuerint obligati, quum errore impliciti tenerẽtur, tamen poſt notitiam veritatis per Chriſti gratiam liberos eſſe dicimus. Nam ſi crux Chriſti à Legis divinę maledictione liberat, quanto magis ab extraneis Satanæ vinculis? III. Si etiam ad cælibatum non fuerint idonei, habent quo ſe defendant. Nam ſi votum impoſſibile eſt certum animæ exitium, ſequitur in eo nõ eſſe permanendum. Eſt autem impoſſibile iis, qui ſingulari dono præditi non ſunt: ut & ſupra demonſtravimus & experientia loquitur, quæ horrendis exemplis iram Domini demonſtrat, & ultionem in eos, qui contemtis remediis & repugnante natura per contumaciam & obſtinationem id affectant, quod illis eſt denegatum. Sect. 21.

DISPVTATIO IX,
De Sacramentis in genere.

Ex lib. 4. cap. 14.

1. SVperius demonſtratum fuit Euangelii prædicatione Eccleſiam colligi. Huic affine eſt

aliud

aliud fidei adjumentum in Sacramentis. Multum auté noſtra refert intelligere quid ſint & in quem finem inſtituta, & quis eorum nunc uſus ſit. S. 1.

2. Principio definiendum eſt, quid ſit Sacramentum. Auguſtinus dixit eſſe rei ſacræ viſibile ſignum, aut inviſibilis gratiæ viſibilem formam. Quia obſcurior eſt definitio, nos paulo plenius, eodem tamen ſenſu, definimus eſſe divinæ in nos gratiæ & promiſſionis teſtimonium, externo ſigno confirmatum ad ſuſtinendam fidei noſtrę infirmitatem, cum mutua noſtræ erga ipſum pietatis teſtificatione. S. 1.

3. Ipſa Sacramenti vox ex veteri interpretatione ſumta eſt, quæ Græcam vocem *μυστήριον*, ubi de rebus divinis agitur, ita ſolet latine reddere, Eph. 1.9. & 3.2. Col. 1.26. 1 Tim. 3.16. Sacramentum poſuit pro arcano rei ſacræ. Sic etiam ſcriptores Eccleſiaſtici. Hinc factum ut ad ſigna illa, quæ auguſtam ſublimium ac ſpiritualium rerum repræſentationẽ haberent, deduceretur. S. 2.

4. In definitione poſuimus, quod Sacramentum appendicis vice promiſſioni, ſine qua præeunte non eſt Sacramentum, adjungitur, eo fine ut ipſam confirmet, obſignet, nobisque ratam faciat, idque ut nos in ipſius fide ſtabiliat. Veritas quidem Dei per ſe ſatis ſolida & certa eſt, ut hoc firmamento non indigeat: ſed quia fides noſtra exigua eſt & imbecillis, ut facile vacillet ac labaſcat, placuit Deo ſignis quoque externis fidem noſtram fulcire. Atque hac ratione tum ignorantiæ & tarditati noſtræ, tum etiam infirmitati conſuluit. Sane ſi incorporei eſſemus, iſtis opus non eſſet. Sed animales ſumus & corporibus inſertas animas habemus; ideo ſub viſibilibus & externis elementis Deus ſpiritualia tradit. Atq; ita ſe captui

noſtro

noſtro miſericorditer Deus attemperat: non quod ipſis rebus externis tales inditę ſint dotes, ſed quia in hanc ſignificationem à Deo ſignatæ ſunt. S. 3.

5. Vulgo dicitur ſacramentum conſtare verbo & externo ſigno. Per verbum intelligimus, non quod ſine ſenſu & ſine fide inſuſurratum, velut magica incantatione, conſecrandi elementi vim habeat, ſed quod prædicatum intelligere nos facit, quid viſibile ſignum ſibi velit. Sic Auguſtinus, Accedat verbum ad elementum & fiet ſacramentum. Vnde enim tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur. Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, quo corda mundantur, & Baptiſmus conſecratur, ut mundare poſſit, Rom. 10. 8. Act. 15. 9. 1 Petr. 3. 21. Nec aliud Chriſtus inſtituens ſacramenta voluit, nec fecit, nec nobis facere mandavit. Eadem ſemper mens fuit Apoſtolorum & purioris Eccleſiæ. Denique quoties ſignum aliquod Deus obtulit Patribus, à verbo illud nunquam ſeparavit. Concludimus verbum ſacramentale eſſe promiſſionem, quæ clara voce à Miniſtro prædicata, plebem eo manu ducit, quo ſignum tendit ac nos dirigit. S. 4.

6. Magna ergo eſt myſteriorum profanatio in Papatu, ubi ſatis eſſe putant, populo non intelligente, conſecrationis formulam demurmurare, idque Latine, tantum ne quid inde doctrinæ ad plebem perveniat. S. 4.

7. Qui vero contra ſacramenta diſputant, atque ſi eſſent ſupervacua, facile refelluntur. Aut, inquiunt, verbum Dei ſcimus, ante ſacramenti uſum, eſſe veram voluntatem Dei, aut neſcimus. Si ſcimus, nihil ex ſacramento, quod ſequitur,

novum

novum diſcimus, ſi neſcimus, non docebit nos id ſacramentum, cujus vis in verbo ſita eſt. Reſp. I. Non eſt neceſſe, ut novum ſit quod diſcimus. Satis eſt, ſi melius, certius & manifeſtius diſcimus. II. Sacramenta ſunt ſigilla, Rom. 4. 11, quæ diplomatibus aliisque publicis actis appenſa per ſe nihil ſunt, ſi membrana nihil habeat deſcriptum: addita tamen confirmant & obſignant illud quod ſcriptum eſt. III. Quum ex ipſis promiſſionibus palam ſit alteram altera confirmari, (nam ut quæque eſt manifeſtior, ita eſt ad fulciendam fidem magis idonea) quid obſtat, quo minus dicamus promiſſionem obſignari ſacramentis, quæ & promiſſiones offerunt clariſſimas, & præ verbo hoc peculiare habent, quod eas velut in tabella depictas nobis ad vivum repræſentant. S. 7.

8. Excipiunt non eandem eſſe rationem inter ſacramenta & diplomatum ſigilla. His principum edicta de rebus fluxis: illis Dei promiſſiones obſignari, quæ ſint ſpirituales & æternæ. R. I. Etſi utrinque corporalia ſigna adhibeantur, attamen in noſtris ſignis animus fidelis non hæret in carnali ſpectaculo, ſed per analogiæ gradus ad ſublimia myſteria aſſurgit. II. Cum ipſe Deus promiſſiones fœdera nuncupet, ſacramenta autem ſymbola fœderum eſſe pronuntiet, quid obſtat quominus ab hominum fœderibus ſimile adduci poſſit? Sane nec porca cæſa, nec dextera data quidquam efficeret, niſi verba intercederent, imo præirent. Sed hoc ubi fit, talibus ſymbolis fœderum leges ſanciuntur, quamvis prius verbis conceptæ & decretæ. III. Eam ob cauſam Auguſtinus non inſcite dixit, ſacramentum eſſe verbum viſibile, quia promiſſiones Dei velut in tabella depictas exprimit & repræſentat. IV. Poſſemus etiam aliis

ſimilibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſimilibus uti. Dicamus verbum Dei eſſe inſtar fun-
damenti, quo fides nititur: ſacramenta eſſe fidei
columnas, quibus ſolidius incumbit. Aut certe
eſſe ſpecula, in quibus gratiæ Dei divitias contem-
plari licet, & ubi Deus ſe manifeſtat, quantum
noſtra intereſt. Concludimus ſacramenta eſſe ex-
ercitia, quæ ſub rebus carnalibus, pro tarditatis
noſtræ captu, perinde ac pueros pædagogi manu
erudiunt & verbi Dei fidem nobis certiorem fa-
ciunt. S. 5. 6.

9. Objicitur rurſus. Cum ſacramenta etiam impiis porrigantur, unde gravioré potius damnationem contrahunt, nõ poſſe eſſe teſtimonia gratiæ Dei. R. 1. Sic nec Euangelium nec ipſe Chriſtus eſſent teſtimonia divinæ gratiæ, quia à multis ſpernuntur. Sic etiam diplomata quamvis authenticis ſigillis munita ab aliis irridentur, ab aliis ſuſque deque habentur, aliis etiam execrationi ſunt. Nihilominus illis voluntas Principis cõſignata eſt. 11. Non attendunt verbo & ſacramentis gratiam Dei offerri, ſed non apprehendi niſi ab his qui utrumque vera fide accipiunt: ſicut & Chriſtus oblatus quidem eſt omnibus ad ſalutem, ſed non ab omnibus acceptus. Probamus 1. Ex Auguſtino, quando dicit verbi efficaciam in ſacramento proferri, non quia dicitur, ſed quia creditur 2. Ex duplici diſcurſu Pauli. Nam quando apud fideles de ſacramentis diſſerit, Chriſti communionem in illis includit, Gal. 3. 37. 1 Cor. 12. 12. Quum de præpoſtero ſacramentorum uſu loquitur, nihilo plus illis tribuit, quam frigidis & inanibus figuris. Hæc ipſa tamen impiorum & hypocritarum perverſitas non obſtat, quo minus ubi & quoties Deo placet, ſacramentum ſit teſtimonium communionis Chriſti, quod ipſum Spiritus S. præſtando ratum

tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tum facit. Manent ergo ſacramenta vere teſtimonia & ſigilla gratiæ Dei, quam nobis obſignant & hoc ipſo fidem alunt, confirmant & adaugent. S. 7.

10. Objicitur III. Fidem noſtram ſacramentis non poſſe fieri meliorem ſi bona ſit, hoc eſt, ſi firmiter Dei miſericordiæ innitatur. Reſp. Supponunt falſum. Talem enim fidei perfectionem nemo unquam ex filiis hominum aſſequutus eſt, nemo aſſequetur in hac vita. Teſtes Apoſtoli, qui orant ut ſibi augeatur fides, Luc. 17. 5. Item is, qui dicebat, Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Sane hæc fides utcunque inchoata bona erat, ſed melior fieri poterat. Teſtis quoque eſt ipſorum, qui hoc tam ſecure obtendunt, conſcientia. Nam ſi peccatores ſunt, quod fateri coguntur, id ipſum fidei ſuæ imperfectioni imputent neceſſe eſt. S. 7.

11. IV. Ex Act. 8. 37. contendunt Baptiſmi confirmatione non eſſe opus, ubi fides totum cor implet. Sic enim Philippus Eunucho reſpondit, baptizari licere, ſi ex toto corde credat. R. I. Cur ergo Eunuchum fidem ſuam profitentem baptizat? II. Etiam vera fides per omnes ætatis gradus proficere debet, donec adoleſcat in virum perfectum. III. Homonymia eſt in phraſi. Nam toto corde credere non eſt perfecte credere ſed ex animo & ſincera mente Chriſtum amplecti, adeoque opponitur hypocriſi, Pſal. 119. 10. & 111. 1. & 138. 1. & 12. 3. S. 8.

12. V. Objiciunt. Si fides per ſacramenta augeatur, fruſtra datum eſſe Spiritum S. Nam hujus eſt virtus atque opus inchoare, tueri, & conſummare fidem. Reſp. Male quæ conjuncta ſunt ſeparant aut oppoſita eſſe fingũt. Nos tria hic agnoſcimus beneficia. Nam primum verbo ſuo nos

docet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

docet Dominus, dein ſacramentis confirma
Sancti vero Spiritus luce mentibus noſtris illud
& interius cor afficit. S. 8.

13. Hæc ſic plenius explicamus. Primum qua
do ſacramentis dicimus confirmari & augeri
dem, non arcanam aliquam illis vim perpetuo i
ſitam ſomniamus, ſed miniſterium tribuimus
Deo inſtitutum ut augendæ fidei ſerviant. Tu
autem rite ſuo munere perfunguntur, ubi interi
magiſter Spiritus S. acceſſerit, cujus unius virtu
corda penetrantur & affectus permoventur. Si il
deſit, nihil ſacramenta mentibus noſtris præſta
poſſunt. Sed illo intus agente miniſterium habe
multa energia refertum. Res hoc ſimili poteſt illu
ſtrari. Sicut oculi non viderent ſolis fulgorem, ni
inditam haberent cernendi aciem, nec aures voci
ſonum audirent, niſi ad audiendum aptæ nat
eſſent; ita ſacramenta nihil proficerent ſine Spi
ritus S. interna operatione & virtute. Hoc inter
eſt, quod audiendi videndique facultas naturalite
oculis & auribus eſt indita. Chriſtus autem præ
ter naturæ modum ſpeciali gratia in animis no
ſtris agit. S. 9.

14. Inſtant. Hac ratione fidei incrementum
tribui creaturis, & injuriam fieri Spiritui Dei, qui
ejus rei ſolus author eſt. Reſp. 1. Falſa rurſus eſt
oppoſitio, & operationes diverſæ confunduntur.
Quin ideo confirmationis & augmenti fidei ſolus
Spiritus S. author eſt, quia ſolus illuſtratione inte-
riori mentes noſtras comparat ad ſuſcipiendam
eam, quæ à ſacramentis proponitur, confirmatio-
nem. Sicut, ſi quid alicui velis perſuadere, nihil
effeceris, quamvis ſis inſtructus optimis conſiliis
& rationibus, niſi acuto ſit judicio ad percipien-
dum, docili ingenio ad auſcultandum, & fidem
dicenti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

dicenti faciat propter authoritatem: ita Spiritus S. agit in nobis. Oſtendit Deum eſſe qui in verbo & ſacramentis nobis loquitur: tum cordis noſtri pervicaciam emollit & ad obedientiam componit: denique externa illa verba & ſacramenta in animam tranſmittit. Verbum itaque & ſacramenta dicuntur fidem confirmare, quia Dei erga nos voluntatem externe ob oculos ponunt, in cujus cognitione robur & augmentum fidei conſiſtit. Sed Spiritus confirmat, dum eam animis noſtris inſculpendo efficacem reddit. 11. Dei gloriam ad creaturas non derivamus, quia nullam in illis virtutem ponimus, ſed inſtrumenta Dei agnoſcimus, quorum miniſterio bonitatis ſuæ munera nobis largitur. Sicut & panis paſcit nos, & Sol illuminat & ignis calefacit, nempe quatenus ſub illis Deus nobis benedictiones ſuas diſpenſat. Ita ſpiritualiter per Sacramenta fidem alit, quorum unicum officium eſt, promiſſiones divinas oculis noſtris ſubjicere, imo eſſe earum pignus. Nequaquam tamen in illis fiduciam defigimus, aut Dei gloriam ad illa transferimus, S. 10, 12.

15. Sic vero hæc conjungi & diſtingui tamen oportere 1. Verbi externi exemplo poteſt demonſtrari. Notum eſt verbum ſemen appellari. Si ſemen in ſegetem apte elaboratam & excultam inciderit, ſuum cum optimo fœnore fructum feret. Secus erit, ſi in deſertam agri partem deciderit. Ex ſemine tamen frumentum & naſci & augeſcere dicimus. Ita ſi verbum in duram cervicem inciderit, ſterileſcet. Si animam nanciſcitur cæleſtis Spiritus manu ſubactam, fructuoſiſſimum erit. Quid jam obeſt quo minus fidem è verbo initium & incrementum ſuum accipere dicamus. 11. Idem Apoſtolus diverſis locis optime explicat. Nam alias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

alias gloriatur ſe habere miniſterium Spiritus & hujus efficaciam magnopere effert, 1 Cor. 2. 4. Rurſus ſe & alios Miniſtros à Deo diſtinguit; eum qui plantat & rigat nihil eſſe, ſolum Deum dare incrementum, 1 Cor. 3. 16. Verbum itaque ab homine prædicatum nihil valet, niſi Spiritus Dei potentiam ſuam in prædicatione exerat. Et retineatur ſemper hæc diſtinctio, ut quid homo per ſe valeat, quid Dei proprium ſit meminerimus. Sect. 11.

16. Cæterum quod ſacramenta inſerviant confirmationi fidei noſtræ, vel hinc manifeſte probatur, quod, ubi Deus rerum ipſarum quæ ſacramentis promittuntur fiduciam tollere vult, ſacramenta ipſa auferat. Adamum à fructu arboris vitæ arcet, ne fiducia ſymboli promiſſionis ſpem ſibi immortalitatis faciat, Gen. 3. 22. Paulus probat Epheſios fuiſſe ſine Deo & ſine Chriſto, eo quod non fuerint participes Circumciſionis, Eph. 2. 12. Ita metonymice ſignificat à promiſſione ipſa excluſos, qui teſſeram promiſſionis non accepiſſent. Habent ergo ſacramenta ex Dei ordinatione vim augendi & firmandi fidem. S. 12.

17. VI. Ex nomine quoque ſacramenti argutias nectunt. Sacramentum ajunt proprie unam tantum habet ſignificationem, quæ ſignis conveniat, quod ſit ſolenne juramentum, quod miles novus Imperatori præſtat. Vnde colligunt ſacramenta non facere ad confirmandam fidem promiſſionum Dei, ſed nos potius his fidem noſtram Deo obſtringere, iisque Chriſtum Imperatorem profiteri. Item nos his ſymbolis à profanis hominibus diſcerni, ſicut olim à Græcis Romanos diſcernebat toga, & ipſi inter ſe ordines Romæ variis ſymbolis, puta lunatis calceis & purpura & annulo,

annulo, diſtinguebantur. Reſp. I. Veteres ad hunc uſum vocis apud Latinos non reſpexiſſe, ſed hoc tantum indicaſſe, ſacramenta eſſe ſigna rerum ſanctarum & ſpiritualium. II. Si argutari liberet, diceremus ἀναλόγως ad iſtam ſignificationem tranſtuliſſe, prout & nomen fidei pro certa veritatis perſuaſione uſurpatur, quum alioquin veritatem in præſtandis promiſſis ſignificet. Ita ſacramentum non tantum erit militis, qui vovet, ſed etiam Imperatoris, qui militem in ordinem recipit. III. Quod de externis inſignibus adferunt, quibus ad diſcriminationem utimur, non rejicimus, modo quod in ſacramentis eſt poſterius non deroget priori ſignificationi. Eſt autem illud primum, ut fidei noſtræ apud Deum ſerviant: poſterius, ut confeſſionem noſtram apud homines teſtentur. Hic ordo niſi ſervetur, neceſſe eſt frigere hæc myſteria. S. 13.

18. Hactenus eos refutavimus, qui vim ſacramentorum enervant & uſum prorſus evertunt. Sunt alii qui in alteram partem peccant, & neſcio quas arcanas virtutes ſacramentis affingunt. Scholaſtici magno conſenſu docuerunt ſacramenta novæ Legis juſtificare & conferre gratiam, modo ne ponamus obicem peccati mortalis. Hoc errore ſimpliciores decepti dona Dei quærunt ubi non reperiuntur, & à Deo ſenſim abſtracti meram vanitatem pro veritate amplectuntur. Itaque non immerito ſententiam dicimus eſſe pernicioſiſſimam. Nam. I. Iuſtitiam citra fidem pollicentur. Atqui Sacramentum citra fidem ſumtum, certiſſimum eſt Eccleſiæ & animarum exitium. Etenim nihil extra promiſſionem eſt exſpectandum. Promiſſio autem ſicut credentibus gratiam offert, ita incredulis iram minatur. Ergo non niſi

fide

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

fide percipitur. Sacramenta vero nihil amplius conferunt, quam verbo promittitur. 11. Iuſtitiæ cauſam à ſacramentis ducunt, ac ſi in eorum participatione juſtificatio ſita foret, quæ in uno Chriſto eſt repoſita, & ſine externi ſigni communicatione conſtare poteſt. Itaque recte dixit Auguſtinus, Inviſibilem ſanctificationem poſſe eſſe ſine viſibili ſigno, & hoc rurſus ſine vera ſanctificatione. Sic paſſim idem inter ſacramentum & rem ſacramenti diſtinguit, atque hæc aſſerit non ita cohærere, quin ſeparari queant; & in ipſa conjunctione ſemper rem eſſe diſcernendam à ſigno, ne ad alterum transferamus quod eſt alterius. Aliquando, inquit, homines Chriſtum induunt uſque ad ſacramenti perceptionem: aliquando etiam uſque ad ſanctificationem vitæ. Sacramenta omnibus ſunt communia bonis & malis: non eſt communis gratia, ſed electis propria. Idq; verum eſſe tum de Baptiſmo, tum de S. Cœna demonſtrat. Panem Domini docet à quibuſdam ſumi ad vitam, ab aliis ſumi ad exitium, non quod malum accipiant, ſed quia bonum mali male accipiunt. Sacramentum ergo à ſua veritate ſeparatur indignitate ſumentis, & vacuum manet ſignum ſine re, quia verbum quod illis incluſum eſt, ſine fide apprehenditur. S. 14, 15.

19. Sed rem paulo altius repetamus. 1. Non eſt dubium, quin Chriſtus ſit unica ſacramentorum ſubſtantia, nec extra ipſum ſacramenta quidquam promittere, imo omnes juſtitiæ & ſalutis cauſas excludere, ut in ſolo Chriſto nos retineant. Itaque Lombardi error non eſt tolerabilis, qui ea ſalutis & juſtitiæ cauſas facit. 11. Sacramentorum tamen miniſterio ad Chriſti notitiam in nobis fovendam & augendam nos adjuvari, utque

plenius

plenius in Chriſti poſſeſſioné mittamur. III. Non alias eſſe ſacramentorum quam verbi Dei partes: quæ ſunt offerre nobis ac proponere Chriſtum, & cœleſtes in eo theſauros. IV. Vtrinque opus eſſe fide, ſine qua nihil proſunt aut conferunt. Duo ergo nobis cavenda ſunt. 1. Ne noſtra culpa Sacramentum à rei veritate ſeparemus. 2. Vt in ipſa conjunctione diſtinctionem ſemper obſervemus, ne in externo ſigno hæreamus. Recte Auguſtin. Sicut ſigna pro rebus accipere ſervilis eſt infirmitatis, ſic inutiliter ſigna interpretari male vagantis eſt erroris. Ne arcanas eorum ſignificationes extenua, ac ſi fruſtra data eſſent. Noli etiam bonorum laudem, quæ non niſi à Chriſto per Spirit. S. conferuntur, ad ſigna transferre. S. 16, 17.

20. Sic facile corruit quod objici ſolet, An ergo impii ſua ingratitudine poſſint efficere, ut irrita ſit Dei ordinatio. R. Non pendet veritas ſacramenti à recipientis conditione vel arbitrio, ſed à Dei ordinatione. Itaque à Dei parte ſacramentum manet firmum, utcunque varient homines. Sane aliud eſt offerre, aliud recipere. Symbolum Domini verbo conſecratum revera eſt quod dicitur. Nulla tamen inde utilitas ad incredulos pervenit. Si carnaliter ſumis, ait Auguſtinus, Spirituale eſſe non deſinit, ſed tibi non eſt. S. 16.

21. Eodem pertinet, quod ex veterum ſcriptis adfertur, qui ſacramentorum dignitatem paulo magnificentius amplificant. Reſp. I. Nihil minus illis propoſitum fuiſſe, quam ut latentem aliquam virtutem Sacramentis inditam nobis commendarent, quaſi ipſa per ſe Spiritus S. gratias conferant, ſicut vinum in cratere propinatur. II. Illud arcte ſemper & firmiter tenendum, 1. Spiritum S. eſſe eum, qui Dei gratias ſecum adfert,

qui

qui dat Sacramentis locum in nobis, & efficit ut fructificent. 2. Sacramentis non aliud injunctum eſſe munus, quam ut teſtificentur nobis & ſanciant Dei erga nos benevolentiam, nec ulterius proficere, niſi Spiritus S. mentes noſtras & corda aperiat, noſque hujus teſtimonii capaces reddat. 3. Hanc dignationem habere Sacramenta, non ex propria vel intrinſeca virtute, ſed ex Dei inſtituto & ordinatione: adeoque id nobis eſſe, quod arrhæ vel teſſeræ in pactis ſanciendis, quæ non à ſe largiuntur gratiam, ſed renuntiant & rata faciunt apud nos, quæ divina largitate data ſunt. 4. Deum ſuæ inſtitutioni præſentiſſima virtute Spiritus ſui adeſſe, ne infructuoſa ſit & inanis, ſic tamen ut ſymbolis vices ſuas non reſignet. Ideo nō omnes, qui Sacramenta percipiunt, etiam inviſibili gratia ſanctificantur, quia non omnes habent Spiritum S. quem Dominus peculiariter ſuis confert. 5. Vnde ſequitur interiorem Spiritus gratiam ab externo miniſterio eſſe diſtinctam. Nam quod externa actione figurat ac teſtatur Miniſter, Deus intus peragit, ne ad hominem mortalem trahatur, quod ſolius Dei eſt. 6. Ita fit, ut operationi divinæ nihil decedat: & tamen Sacramentis ſua dignitas, vis & utilitas maneat. S. 17.

22. De Sacramentorum fine, uſu, & efficacia ſatis abunde diximus. Iam etiam de variis eorum generibus dicendum ſupereſt. Hic 1. Notemus Sacramenti nomen lata ſignificatione omnia ſigna cōplecti, quæ unquam Deus hominibus mandavit, ut certiores & ſecuros de promiſſionibus ſuis redderet. Horum alia in rebus naturalibus extare voluit, alia in miraculis exhibuit. Prioris generis exempla ſtatuamus arborem vitæ in paradiſo, tum etiam arcum cœleſtē, Gen. 2. 17. & 3. 3.

Gen.

Gen. 9. 13. Arbor vitæ Adamo fuit arrha immortalitatis. Arcus ipſi Noë & nobis hodie teſtis eſt fœderis divini, terram diluvio nunquam perditum iri. Vtrunque non à ſe, ſed ex Dei inſcriptione habent: ſicut rude argentum cum ſignato ejuſdem pretii eſt, quoad naturam, ſed à forma publice impreſſà novam taxationem accipit. Sic Deus naturæ Dominus Soli & ſtellis aliisque elementis notas ſacramentales verbo ſuo imprimere poſſet. Secundi generis exempla ſunt, lux in clibano fumigante, Gen. 15. 17. vellus Gedeonis modo rore irrigatum, modo intactum, Iud. 6. 37. Vmbræ ſolis retrogradatio, Eſ. 38. 7. quæ facta ſunt miraculoſe ad Abrahami, Gedeonis, & Ezechiæ fidem ſtabiliendam. S. 18.

23. II. Sciendum, quædam eſſe ſacramenta ordinaria in Eccleſia Dei, quæ religionis cauſa ſunt inſtituta. Scite enim Auguſt. dixit: In nullum religionis nomen coagulari homines poſſe, niſi aliquo viſibilium ſacramentorum conſortio colligentur. Ideo Deus ab initio certa pietatis exercitia ſervis ſuis inſtituit. Et videmus Ethnicos initiationes ſuas & ritus quamvis impios & ſuperſtitioſos habuiſſe, quod viderent religionem ejuſmodi externis ſignis carere non poſſe. Nos de illis agimus quæ Deus inſtituit & quæ veræ pietatis ſunt adjumenta, ac proprie hujus loci. S. 19.

24. Debent autem à ſuperioribus diſtingui. Nam illa, ut arbor & arcus, conſtabant ſimplicibus ſignis. Noſtra ſacramenta ſita ſunt in ceremoniis, aut ipſa potius cæremoniæ ſunt. Earum finis & uſus eſt, ut à parte Dei ſint teſtimonia gratiæ ac ſalutis, à parte noſtra ſint profeſſionis notæ. Vnde recte pactiones vocari poſſunt. Nam mutua hic inter Deum & nos interponitur ſtipulatio. Deus

enim

enim promittit gratiam & nos ſibi obſtringit
obedientiam, quam nos viciſſim ipſi pollicemu
Erunt ergo hæc ſacramenta cæremoniæ, quib
Deus vult exercere populum ſuum. 1. ad fide
intus fovendam, excitandam, cõfirmandam. 2.
teſtandam apud homines religionem. S. 19.

25. Hæc ipſa ſacramenta, de quibus nunc ag
mus, diverſa fuerunt pro varia diſpenſationis r
tione, qua viſum eſt Deo his aut illis modis dive
ſis ſeculis uti. In veteri Teſtamento mandata fu
Circumciſio: cui poſtea purificationes & ſacrifi
cia legalia aliique ritus Moſaïci fuerunt addit
Hæc Iudæorum fuerunt ſacramenta uſq; ad Chri
ſti adventum. His abrogatis Chriſtus duo inſti
tuit Novi Teſtamenti ſacramenta, Baptiſmum &
S. Cœnam. Nam impoſitionem manuum, qu
Miniſtri initiantur, hic præterimus, quia de i
tantum loquimur, quæ in uſum totius Eccleſiæ
ſunt inſtituta. S. 20.

26. Horum omnium tam Vet. quam N. Teſta
menti ſacramentorum finis & ſcopus idem eſt
nempe ut ad Chriſtum dirigant & ducant. Cer
tum enim eſt, nullam unquam Dei promiſſionem
hominibus oblatam, niſi in Chriſto. Et ad hoc
cœleſte exemplar Moſi in monte monſtratum to
tus legalis cultus componi debuit. In eo tamen
differunt, quod illa Chriſtum exhibendum: hæc
exhibitum teſtantur. S. 20.

27. De Circumciſione non poteſt dubitari.
Nam. 1. Symbolo hoc admonebantur corruptio-
nis univerſæ naturæ humanæ, quatenus ex ho-
minis ſemine prodit: & quod ejus amputatione
opus haberent. 11. Erat etiam memoriale, quo
confirmabantur in promiſſione data Abrahæ de
ſemine benedicto, Gen. 22.18. At hoc ſemen eſt

Chriſtus

Chriſtus teſte Paulo. Gal. 3. 16. Vnde etiam ſignaculum dicit eſſe juſtitię fidei, hoc eſt, ſigillum, quo certi fiebant ſuam fidem in illud ſemen ſibi à Deo pro juſtitia imputari. S. 21.

28. Baptiſmata & purificationes pollutionem, qua in ſua natura contaminati erant, ſignificabant: aliud vero lavacrum pollicebantur. Hoc lavacrum Chriſtus eſt, cujus ſolius ſanguine abluimur. Heb. 9. 1. 14. 1 Ioh. 1. 7. Apoc. 1. 5. S. 21.

29. Etiam Sacrificia ſuæ eos iniquitatis arguebant, ſimulque opus eſſe ſatisfactione docebant. Fore ergo ſummum aliquem Pontificem, qui ſanguinis effuſione, & grata victima Deo ſatisfaceret. Hic ſummus ſacerdos, hæc victima eſt ſolus Chriſtus. Heb. 4. 14. & 5. 5. & 9. 11. Phil. 2. 8. Rom. 5. ỳſ. 19. S. 21.

30. In Novi Teſtamenti Sacramentis res eſt liquidior, quo propius & clarius Chriſtus nobis eſt exhibitus. Baptiſma teſtificatur nos eſſe ablutos: S. Cæna nos eſſe redemtos. In aqua figuratur ablutio. In ſanguine redemtio. Hæc duo in Chriſto reperiuntur. 1 Iohan. 5. 6. Quo etiam ſpectat quod in cruce aqua & ſanguis ex Chriſti latere effluxit. Ioh. 19. 34. Porro Spir. S. primarius teſtis utriuſque teſtimonii certam fidem nobis facit. Si vero tempus illud vetus cum noſtro conferas, uberior hic ſe Spiritus gratia profert, quia & hoc ad regni Chriſti gloriam pertinebat. Ioh. 7. 39. S. 22.

31. Nec obſtat quod Paulus umbras dicit fuiſſe ſub Lege, corpus in Chriſto Col. 2. 17. Nam comparate tantum loquitur, non ut exinanire velit ſuo effectu teſtimonia gratiæ in Vet. Teſtamento, ſed ut amplificet gratiam quæ jam nobis data eſt, ut non mirum ſit Chriſti adventu abolitas eſſe cęremonias. S. 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

32. Contra Scholaſtici docuerunt, veteris & novæ legis ſacramenta tam longe inter ſe diſtare, ut illa tantum adumbraverint Dei gratiam, hæc vero præſentem conferant. In quo graviter aberrarunt. Nam I. Paulus dicit 1 Cor. 10,3. Patres eandem nobiſcum in ſignis ſuis eſcam ſpiritualem manducaſſe. Hanc vero eſcam aſſerit fuiſſe Chriſtum. Vere ergo ſe Iudæis edendum exhibebat, ut illa Sacramenta nemo dixerit fuiſſe inania ſigna. Eodemque nos ducit ſtatus cauſæ. Ne inani Chriſtianiſmi titulo & externis inſignibus freti Dei judicium contemnant, exhibet divinæ ſeveritatis in Iudæos exempla, ut ſciamus nobis eaſdem pœnas imminere. Hujus cõparationis firmitas in æqualitate conſiſtebat. Ideo in ſacramentis ipſos pares nobis facit: nec ullam prærogativam nobis relinquit, quæ ſpem impunitatis pariat. II. Apoſtolus Circumciſionem vocat ſigillum juſtitiæ fidei. At nihil Baptiſmo magis tribuere fas eſt, ſive rem ſacramenti ſpectes, hoc eſt, Chriſtum cum ſuis divitiis: ſive teſtandæ benevolentiæ Dei virtutẽ, quam etiam Patres in ſe ſentiebant. S. 23.

33. Objiciunt. I. Circumciſionem literæ conferri velut rem inanem. Sic autem longe infra Baptiſmum noſtrum deprimi. R. Idem Paulus & Petrus dicunt de Baptiſmo, nihil prodeſſe, ſine bonæ conſcientiæ teſtimonio, & niſi animus intus repurgetur. 1 Cor. 10.5. 1 Pet. 3.21. S. 24.

34. Inſtant. Circumciſionem manu factam à Paulo penitus contemni, comparatam cum Chriſti circumciſione. R. I. Paulum refellere eos, qui veterem corporum circumciſionem velut neceſſariam requirebant. Contra docet jam abrogatam eſſe, veritatem in Chriſto haberi, in quo ſpiritualiter circumciſi ſint quoad corpus & animam. Sed quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quia poterat excipi, nihilominus externa opus eſſe Circumciſione, quę Patribus non fuit ſupervacua, quamvis & apud ipſos veteris hominis fuerit depoſitio: reſpondet Paulus eos Chriſto conſepultos fuiſſe per Baptiſmum, qui nunc idem nobis valeat, quod veteribus Circumciſio. S. 24.

35. II. Objiciunt Iudaicas omnes ceremonias fuiſſe umbras rerum futurarum, corpus eſſe in Chriſto. Præcipue urgent, quod in epiſtola ad Hebræos aſſeritur, legalibus ceremoniis non fuiſſe expiata peccata: ſanguinem pecudum non pertigiſſe ad conſcientias: veteres umbras & ceremonias Moſaicas non habuiſſe imaginem rerum; non perfeciſſe ſuos cultores, nihil momenti habuiſſe ad juſtitiam, &c. R. Non ſequi nihil proinde habuiſſe ſolidi & veritate vacuas fuiſſe. Sed Apoſtoli conſilium eſt demonſtrare. I. Niſi ad Chriſtum dirigantur res eſſe nihili. II. Complementũ ſuum in Chriſto habuiſſe. III. Chriſti adventu debuiſſe abrogari. Quocirca aliud nihil agit Paulus, quam ut doceat à ſolo Chriſto pendere illarum efficaciam. Hunc eſſe ſcopum ex eo conſtat, quod non ſimpliciter loquitur, ſed per contentionem adverſariorum pravam interpretationem refellit. ſtatuebant illi pietatem in ſolis ceremoniis ſitam eſſe nullo Chriſti reſpectu. Ad refutationem ſatis erat omni virtute eas exuere, quando à Chriſto ſeparantur: quia nihil ſigna valent, ubi res ſignata tollitur. Eodem modo Chriſtus negat, Manna fuiſſe cibum Ioh. 6. 27. quia ſermonem craſſæ eorum opinioni accommodat, qui nihil aliud quam cibum ventris fuiſſe cogitabant, & à Chriſto ſejungebant. Ergo non hic agitur de efficacia ſignorũ, ſed de modo ſignificandi, adeoque per comparationem loquitur Apoſtolus, quam dum illi ne-

 gligunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

gligunt, neceſſe fuit eos graviter hallucinari. S. 23. 25.

36. III. Objiciunt Patrum de ſacramentis noſtris encomia. Exempli cauſa, quod veteris legis ſacramenta tantum promittebant ſalvatorem: noſtra vero dant ſalutem. Auguſt. R. I. Hyperbolicas eſſe loquutiones, quæ hyperbolico dogmati non patrocinentur. II. Auguſtinum agere de modo ſignificandi: de ipſa re & efficacia nobiſcum ſentire: Quod ex variis ejus teſtimoniis liquet. III. Non inviti agnoſcimus hoc eſſe diſcrimen, quod licet utraque Sacramenta Spir. S. gratias nobis offerri teſtentur, noſtra tamen id præſtant clarius & luculentius. Quo ſpectat illud Auguſtini, Chriſto revelato ſacramenta fuiſſe inſtituta, numero pauciora, ſignificatione auguſtiora, virtute præſtantiora. S. 26.

37. Tandem admonitos quoque Lectores volumus, quidquid de opere operato nugantur Sophiſtæ, non modo falſum eſſe, ſed etiam pugnare cum ſacramentorum natura. Nam inopes huc accedimus & præter mendicitatem nihil profitemur. Ergo recipiendo nihil agimus, unde laudem mereamur. Proinde nullum in hac actione opus eſt operatum. S. 26.

DISPVTATIO X,

De Baptiſmo.

Ex lib. 4. *cap.* 15.

1. BAptiſmus ſignum eſt initiationis, quo in Eccleſiæ cooptamur ſocietaté, ut Chriſto inſiti inter filios Dei cenſeamur. Finis duplex eſt ut fidei noſtræ apud Deum, deinde confeſſioni apud homines ſerviat. De utroq; deinceps videamus. S. 1.

2. Pri-

2. Primus finis tria complectitur. 1. Remiſſionis peccatorũ. 2. Mortificationis noſtræ. 3. Vnionis noſtræ cum Chriſto teſtificationem. S. 1.

3. De remiſſione peccatorum conſtat ex Mar. 16. 16. Eph. 5. 26. Tit. 3. 5. 1 Pet. 3. 21. Ex quibus locis patet, Baptiſmum inſtar ſignati cujuſdam diplomatis confirmare nobis & teſtificari peccata noſtra purgata & remiſſa nobis eſſe, ne unquam in conſpectum Dei veniant. S. 1. 2.

4. Errant ergo, quibus Baptiſmum nihil aliud eſſe viſum fuit, quam teſſeram & notam profeſſionis noſtræ, qua religionem apud homines profitemur. Nam quod primum eſt in Baptiſmo non perpendunt, nempe, ut cum hac promiſſione accipiatur, Quicunque crediderint & baptizati fuerint, ſalvi erunt. Marc. 16. 16. S. 1.

5. Eſt & alter cavendus error, ne virtutem purgandi, abluendi, remittendi peccata in aqua includamus. Neque enim ſalutis cauſam ſed doni iſtius cognitionem & certitudinem in Baptiſmo percipimus. Probamus 1. Ex Eph. 5. 26. Tit. 3. 5. ubi Apoſtolus verbum vitæ & lavacrum aquæ ſimul conjungit: nempe quia ſicut per Euangelium ablutionis nuntius affertur, ita per Baptiſmum idem obſignatur. 2. Ex 1 Pet. 3. 21. Hic etenim manifeſte diſtinguitur inter depoſitioné ſordium carnis & bonam conſcientiam corã Deo: & hanc Baptiſmo perfici aſſerit, ſic tamé ut fiat per aſperſionem ſanguinis Chriſti, qui per aquam propter abluendi ſimilitudinem figuratur. 3. Ipſe Baptiſmus teſtatur ſolum Chriſti ſanguinem verum eſſe atq; unicum noſtrum lavacrum. Itaque aliis ſecluſis mediis uni Chriſto mentes noſtras devincit. Proinde vel ex ipſa Baptiſmi ſignificatione refutantur, qui hanc virtutem aquæ adſcribunt. S. 2.

6. Tertio. Non minus errant, qui Baptiſma in præteritum duntaxat tempus conferri, novis lapſibus alia quoq; nova remedia quærenda eſſe ſomniant. R. I. Hoc errore olim factum eſt, ut nonnulli, niſi in ultimo vitæ diſcrimine, Baptiſmū ſuſciperent. In quam præpoſteram cautionem veteres Epiſcopi non ſine cauſa multoties in ſcriptis ſuis invehuntur. II. In eo hallucinantur, quod poſterioribus peccatis Baptiſmum aut ejus vim aboleri putant. Nam eo tempore quo baptizamur, ſemel in omnem vitam purgamur. Itaq; lapſis tantum eſt repetenda Baptiſmi memoria, & hac ipſa certiorandus eſt animus de remiſſione peccatorū: quia juſtitia Chriſti nobis ibi oblata eſt, cujus vis ſemper viget & nullis maculis opprimi poteſt. S. 3.

7. Si quis dixerit hac ratione peccandi licentiam concedi in futurum. R. Nihil minus. Nam hæc doctrina illis traditur, qui peccatis ſuis fatigati & oppreſſi gemunt, ut habeant quo ſe conſolentur adverſus omnem deſperationem. S. 3.

8. Objiciunt Chriſtum eſſe propitiatorem in peccatorum præcedentium remiſſionem. Rom. 3. 25. R. Paulus docet Chriſtum à Patre miſeris tantum peccatoribus datum eſſe, qui ad medicum conſcientiæ ſenſu vulnerati ſuſpirant. Vnde non ſequitur perpetuam peccatorum remiſſionem in Chriſto non obtineri. S. 3.

9. Superiori errori affine eſt Pontificiorum dogma, pœnitentiæ & clavium beneficio poſt Baptiſmum obtineri remiſſionem, quæ prima regeneratione per Baptiſmum datur. R. I. Non poſſe poteſtatem clavium à Baptiſmo ſeparari. Euangelium docet nos ſanguine Chriſti mundari à peccatis. Hujus ſignum habemus in Baptiſmo. Ad hunc ergo abſolutio illa refertur. II. Hic error commentitium

mentitium Pœnitentiæ ſacramentum peperit. III. Baptiſmus ipſe eſt pœnitentiæ ſacramentum. Ergo non eſt opus novis ſubſidiis. Nam pœnitentia in totam vitam nobis commendatur, ad cujus fines Baptiſmi vis extendi debet. Ergo ſatis eſt ad Baptiſmi memoriam recurrere, ut inde nos in unica per Chriſti ſanguinem ablutione confirmemus. S. 4.

10. Alter finis & fructus Baptiſmi in eo poſitus eſt, quod mortificationem & novam vitam oſtendit. Roman. 6. 3. Quo loco docet nos in mortem Chriſti baptizatos & conſepultos eſſe, ut in novitate vitæ ambulemus. Quod de imitatione Chriſti ſola intelligi non poteſt. Propoſitum eſt Apoſtolo demonſtrare, ſi Chriſtiani ſumus, nos debere mortuos eſſe peccato & juſtitiæ vivere. Hanc hortationem inde concludit, quod per Baptiſmum Chriſtus nos mortis ſuæ fecerit participes, ut in eam inſeramur: & ſicut ſurculus à radice ſubſtantiam & alimentum capit, ita qui credunt, efficaciam mortis Chriſti vere ſentiant in mortificatione carnis, & reſurrectionis in vivificatione Spiritus. Eodem argumento nos circumciſos & in Chriſto conſepultos eſſe per Baptiſmum affirmat. Col. 2. 12. Nec alio ſenſu Baptiſmum dicit eſſe lavacrum regenerationis & renovationis. Tit. 3. 5. Primum ergo promittitur gratuita peccatorum venia: deinde vitæ per Spiritum S. novitas. S. 5.

11. Vtrumq; hoc beneficium duplici ſigno fuit olim adumbratũ, in mari rubro & in nube. Mortificatio figurata eſt in ſubmerſione Ægyptiorum. Sic in Baptiſmo docemur Diabolum & peccatum ſubmerſum eſſe, noſque è captivitate & ſervitute liberatos eſſe: & quanquam, ſicut Ægyptii in littore proſtrati, terribili aſpectu adhuc terreant &

arma oſtendant, nocere tamen aut vincere non poſſe. In nube purgationis ſymbolum fuit. Nam ſicut illis Deus refrigerium præſtitit contra ſolis ardorem, ita in Baptiſmo agnoſcimus nos Chriſti ſanguine protegi contra Dei iram. Hoc myſterio noluit Deus vetuſtos Patres carere, etſi paucis alioquin rite fuerit cognitum. 1 Cor. 10.2. S. 9.

12. Tertia utilitas, quam è Baptiſmo fides noſtra accipit, eſt quod certò nobis teſtificatur, nos ſic Chriſto ipſi unitos eſſe, ut omnium ejus bonorum ſimus participes. Nam I. Ideo Baptiſmum nobiſcum communem habere voluit Matt. 3.13. ut eſſet firmiſſimũ ſocietatis & unionis noſtræ cum Chriſto vinculum. II. Hinc etiam Paulus probat nos eſſe filios Dei, quia Chriſtum in Baptiſmo induimus. Gal. 3.27. S. 6.

13. Ex his liquet Baptiſmi complementum eſſe in Chriſto: unde etiam proprium Baptiſmi objectum recte vocatur. Qua de cauſa in Chriſti nomen baptizaſſe leguntur Apoſtoli Actor. 8. 16. & 19.5. Non quod Patris & Spiritus S. invocationem omiſerint: ſed quia ſic teſtatum voluerunt, quidquid donorum Dei in Baptiſmo proponitur, in Chriſto uno reperiri. Nam per hunc Mediatorem Patri placamur: per ejus ſpiritum nova & ſpirituali natura imbuimur. Ita noſtrę tum purgationis tum regenerationis in Patre cauſam, in Filio materiam, in Spiritu S. effectũ conſequimur. S. 6.

14. Ex iiſdem conſtat tum Iohannis Baptiſtæ, tum Apoſtolorũ fuiſſe idem Baptiſma. Nam quod Chryſoſtomus negat in Iohannis Baptiſmo comprehenſam fuiſſe peccatorum remiſſionem, minime admitti poteſt: ſicut nec Auguſtini argutia recipienda eſt, in ſpe dimiſſa fuiſſe peccata baptiſmo Iohannis, Chriſti Baptiſmo reipſa dimitti. I. Quia mani-

manifeſte contradicunt Lucæ aſſerenti Iohannem prędicaſſe Baptiſmum pœnitentię in remiſſionem peccatorum. Luc. 3. 3. Hoc elogium extenuare nulla cogit neceſſitas. II. Quum in unam doctrinam utriq; baptizaverint, & in eandem pœnitentiam, eandem peccatorum remiſſionem, non potuerunt diverſæ manus diverſum facere baptiſmum, quem eundem eſſe eadem doctrina oſtendit. Iohannes agnum Dei prædicat qui tollit peccata mundi. Ad hanc confeſſionem nihil addere potuerunt Apoſtoli. Non negamus tamen omnem differentiam. Nam Iohannes baptizavit in eum qui venturus erat: Apoſtoli in eum qui ſe jam exhibuerat. Actor. 19. 4. S. 7.

15. Ob. I. Luculentiores Spiritus S. gratias à Chriſti reſurrectione fuiſſe effuſas. R. I. Apoſtoli vivente Chriſto baptizabant, qui Baptiſmus etiam Chriſti vocatur, neque tamen largiorem Spiritus opulentiam habebat, quam Baptiſmus Iohannis. II. Etiam Samaritani poſt aſcenſionem Chriſti baptizantur, nec tamen ultra piorum vulgarem modum Spiritu donantur, quamvis baptizati in nomen Chriſti, donec Petrus & Iohannes illis manus imponunt. S. 8.

16. Ob. II. Ex Matt. 3. 11. Vbi Iohannes dicit ſe baptizare aqua, Chriſtum baptizaturum ſpiritu & igne. R. I. Non hic baptiſmum varium diſtingui, ſed perſonas inter ſe conferri. Iohannes ait ſe eſſe miniſtrum aquæ: Chriſtum eſſe Spiritus S. datorem. Apoſtoli & qui hodie baptizant amplius ſibi arrogare non poſſunt, quam quod exterioris ſigni tantum miniſtri ſunt. II. Iohannes etiam peculiariter loquitur de miraculoſa & viſibili Spiritus S. effuſione, de qua Actor. 2. 3. S. 8.

17. Ex iis quæ dicta ſunt perſpicuum eſt, falſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

doceri, Baptiſmum nos eximere ab originali peccato, & in eandem naturæ puritatem reſtituere in qua creatus fuit Adam. At tale Doctorum genus nunquam aſſequuti ſunt, quid ſit peccatum originale, quid juſtitia originalis, quid gratia Baptiſmi. Nam I. ſupra probatum fuit peccatum originale eſſe naturæ noſtræ pravitatem, quæ nos reos facit iræ Dei. ob hanc corruptionem merito damnati ſumus coram Deo: nec nos tantum ſed etiam infantes, qui damnationem hanc à matris utero afferunt, & quorum natura eſt veluti quoddam peccati ſemen, ideoque Deo exoſa & abominabilis. Hanc damnationem ſublatam eſſe in Baptiſmo teſtatur Deus, promittens plenam ſolidamq; peccatorum remiſſionem & pœnæ quam meriti eramus, ex magna ſua miſericordia per imputationem juſtitiæ Chriſti. II. Etiam alterum demonſtratum fuit, peccatum originale novos aſſidue fructus parere, qui opera carnis in ſcriptura vocantur. Gal. 5. 19. Nam concupiſcentia nunquam plane in hominibus interit, donec per mortem corpus peccati exuerint. Iam vero Baptiſmus promittit quidem peccati mortificationem, non tamen ita ut non ſit, ſed tantum ne ſuperet aut dominetur. Nec tamen inde, quod peccatum ſemper in nobis habitat, peccandi licentia eſt arripienda. Quin potius hæc eo dicuntur 1. Vt quum à carne pungimur, non deſpondeamus animum 2. Vt tanto cautius ambulemus, tanto alacrius & conſtantius certemus, ad progreſſum nos animemus, ad victoriam nos ſtimulemus. Magis ſtrenue conabitur, qui ſibi non parum negotii reſtare novit: & multum profecit, qui concupiſcentiam minui indies ſenſerit; præſertim quod certi ſumus nos tandem ad ultimum carnis interitum perventuros.

III. Hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

III. Hoc certamen appoſite deſcribitur Rom. cap. 6. & 7. Poſtquam enim Paulus gratuitam per fidem juſtitiam aſſeruiſſet, ne quis hinc inferret pergendum eſſe tuto in peccatis, ſubjungit omnes qui juſtificantur fide, Spiritu quoque S. regenerari & hujus regenerationis arrham habere in Baptiſmo. Hinc concludit fidelibus nullum eſſe permittendum dominium in membris ſuis. Poterat urgeri, ſemper aliquid infirmitatis eſſe in fidelibus. Addit ergo conſolationem, quod non ſint ſub jugo legis. Hac occaſione docet, qualis ſit legis abrogatio, & quis ſit legis uſus. Summa eſt 1. nos à rigore legis liberatos eſſe, ut Chriſto adhæreamus. 2. legis officium eſſe, ut convicti pravitatis noſtræ miſeriam noſtram confiteamur. Hoc ut plenius demonſtret, non ab homine profano, ſed à ſeipſo regenerato exemplum petit, & quam illa pravitas nobis adhæreat, quantamque luctam contra Spiritum per reliquias carnis excitet, luculenter oſtēdit. Tandem quæ ſit anxietas filiorum Dei hoc in certamine depingit. *Infœlix ego, quis me liberabit?* &c. Rom. 7. 24. Concludit autem immota conſolatione Rom. 8. 1. *Nulla eſt damnatio*, &c. Quocirca credentes recepti in gratiam, in communionem Chriſti, in ſocietatem Eccleſiæ per Baptiſmū, etſi adhuc peccatum ſecum in carne ſua circumferant, reatu tamen & damnatione ſunt abſoluti. S. 10. 11. 12.

18. Hactenus fuit primarius Baptiſmi finis. Alter in Confeſſione noſtra coram hominibus poſitus eſt. Hac enim nota profitemur nos velle acceſeri in populo Dei: eadē teſtamur nos in unius Dei cultum, in unam religionem cum omnibus Chriſtianis conſentire. Hac etiam palam fidem noſtram profitemur, & in Dei gloriam obſequium noſtrum

noſtrum proferimus. Quo reſpexit Paulus, quum Corinthios interrogaret, annon in Chriſti nomen eſſent baptizati. Hinc enim ſequitur baptizatos ſic Chriſto eſſe obſtrictos, ut præter Chriſtum non poſſint alium confiteri, niſi confeſſionem in Baptiſmo editam velint abnegare. S. 13.

19. Ex præcedentibus etiam illud colligi poteſt, quæ nobis ſit utendi & accipiendi hujus ſigni ratio. I. Quidquid Deus per aquam figurat, ſimul quoque efficaciter implet, non quod gratia promiſſa ipſi ſigno illigata vel incluſa ſit, ſed duntaxat quia voluntatem ſuam hac teſſera repræſentare Domino viſum fuit. Itaque ſpectanda nobis ſemper eſt analogia vel ſimilitudo ſigni ad rem ſignatam, ut in rebus corporeis ſpirituales conſpiciamus. Tum vero dubitandum non eſt, quin ea Deus à parte ſua tam vere certoque nobis intus præſtet, quam certo videmus corpus noſtrum externa aqua ablui vel ſubmergi. Ita Baptiſmus erigendæ, alendæ, confirmandæque fidei noſtræ efficaciter inſervit. Et hujus rei documentum habemus in Cornelio, qui accepta peccatorum remiſſione & gratiis Spiritus Sancti viſibilibus donatus, poſt etiam baptizatus eſt, non ut largiorem remiſſionem acciperet, ſed ut certius fiduciæ augmentum ex pignore haberet. Actor. 10. verſ. 48. II. A parte noſtra 1. fide opus eſt, ſine qua nihil aſſequimur, & quæ ſi deſit, cedet ipſum Sacramentum in teſtimonium ingratitudinis & incredulitatis. 11. Quia etiam confeſſionis noſtrę ſymbolum eſt, teſtari eo debemus, fiduciam noſtram in ſola Dei miſericordia per Ieſum Chriſtum poſitam eſſe: tum vero nos uno fidei & charitatis conſenſu in Eccleſia cum omnibus fidelibus unanimes velle vivere, ſicut in uno Spiritu

omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

omnes ſumus baptizati in unum corpus. 1 Cor. 12. ỳſ. 13. S. 14. 15.

20. Adverſus primum illud objici ſolet ex Act. 9. 17. Si baptiſmi virtute peccata non abluuntur, fruſtra Paulo dictum fuiſſe, ut peccata ſua per baptiſmum ablueret. R. Fatemur ſigno accedere rem & veritatem, quatenus per externa media Deus operatur. Promittit remiſſionem peccatorum: accedit Baptiſmus in promiſſionis teſtimonium, & fidei certitudinem, ſive illius fidei ſenſum tum primum teſtetur, ſive teſtatum magis ac certius confirmet. Vere ergo Paulus ex Baptiſmo certus fuit remiſſa ſibi fuiſſe peccata. S. 15.

21. Porro ſi ſacramentum hoc velut ex Dei manu recipiendum eſt, non autem ex ejus manu æſtimandum, à quo adminiſtratur, non difficile erit Donatiſtarum errorem refutare, qui vim & pretium ſacramenti metiebantur miniſtri dignitate. Quales etiam hodie ſunt Catabaptiſtæ noſtri, qui baptizatos in Papatu rite baptizatos eſſe negant. Atque hinc anabaptiſmum furioſe urgent. R. I. Nihil ſacramento dari aut auferri ejus dignitate, per cujus manum traditur: ſicut nihil refert, quis aut qualis ſit tabellarius, qui epiſtolam adfert, modo authoris manus & ſignum ſatis agnoſcatur: qua de re in Baptiſmo dubitari non poteſt. II. Cogitandum eſt Baptiſmũ non eſſe hominis ſed Dei, à quocunque tandem adminiſtratus fuerit. Ideo quoq; non in hominis, ſed in Patris, Filii, & Spir. S. nomen baptizamur. Iam ſi Dei eſt baptiſmus, habet incluſam promiſſionem de remiſſione peccatorum, carnis mortificatione, & Chriſti participatione. Adhæc qui nos baptizant, qualeſcunq; fuerint, non in ſuæ ignorantiæ aut ſacrilegii conſortium tingunt, ſed in fidem Ieſu Chriſti, quia

Dei

Dei nomen invocant & in nomen Chriſti baptizant. III. Exemplum habemus in Iudæis, quibus nihil obfuit ab impuris ſacerdotibus fuiſſe circumciſos: neque propterea irritum fuit ſignum, ut iterari neceſſe foret, ſed ſatis erat ad ipſam originem redire. S. 16.

22. Objiciunt I. In conventu piorum celebrari oportere Baptiſmum. R. I. Hoc quidem requiritur, ut plane purus ſit Baptiſmus. Ex eo tamen non eſt conſequens, ſi ex parte eum idololatræ corrumpunt, ideo totam ejus vim periiſſe, aut Dei inſtitutionem eſſe abolitam. II. Simile videmus in Circumciſione, quæ licet olim multis ſuperſtitionibus eſſet vitiata, pro gratiæ tamen ſymbolo haberi non deſiit. III. Ioſias & Ezechias non vocarunt ad novam circumciſionem eos, qui à ſua defectione ex toto Iſraële ad Deum convertebantur. S. 16.

23. II. Objiciunt longam multorum annorum cæcitatem etiam poſt acceptum Baptiſmum. Et quia fides aliquot annis non eſt ſequuta, inde conantur evincere, irritum fuiſſe Baptiſmum. R. I. A parte Dei ſemper firma & verax manſit Dei promiſſio de remiſſione peccatorum indubiè danda credentibus. Ea promiſſio in Baptiſmo nobis fuit oblata. A noſtra parte propter incredulitatem diu ſepulta fuit. At nunc ubi Dei gratia reſipiſcere cœpimus, fide promiſſam gratiam intuemur & amplectimur, noſtramque cæcitatem & ingratitudinem accuſamus. Id vero ad legitimum accepti Baptiſmi uſum ſatis eſt. II. Hac de re conſtat ex concionibus Propheticis, quibus paſſim Deus populum ad reſipiſcentiam invitat, de altera circumciſione nihil præcipit, quamvis & ſacrilega manu eſſent circumciſi & ipſi turpi defectione ſeipſos

polluiſſent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

polluiſſent. Nempe quia fœdus Dei & ſymbolum fœderis ex Dei inſtitutione firmum ſemper manebat & inviolabile. Itaque ut reſtituerentur, non alia circumciſione, ſed ſola reſipiſcentiæ conditione opus erat. S. 17.

24. III. Fortius argumentum videntur ſibi contra nos ſtringere ex Act. 19. 3. 5. Paulum ajunt rebaptizaſſe eos, qui Iohannis baptiſmo ſemel tincti fuerant. Iam noſtra confeſſione idem prorſus fuit Iohannis baptiſmus, qui nunc noſter eſt. Hinc colligunt, Si qui antea perverſe inſtituti fuerant, poſt melius edocti in veram doctrinam ſunt rebaptizati, certe idem nobis in Papatu baptizatis faciendum eſſe, poſtquam vera religione imbuti ſumus. Porro male fuiſſe inſtitutos ex eo probant, quod ſe ignatos prorſus Spiritus S. eſſe confitentur. At hujus ignorantiæ culpam in Iohannem conferri non poſſe. R. I. Non neſciverunt an ſit omnino Spiritus Dei, de quo ex ſcripturis liquido omnibus Iudæis conſtabat: ſed an gratiæ ſpiritus extraordinariæ viſibiles Chriſti diſcipulis darentur. De his enim Paulus eos interrogaverat. II. Negamus rebaptizatos. Quod autem dicuntur baptizati in nomine Ieſu, ad gratias viſibiles Spiritus Sancti pertinet, quas tunc per manuum impoſitionem acceperunt. Has autem baptiſmi nomine ſignificari non eſt novum. Actor. 1. 5. & 11. 16. Nec movere nos debet, quod prius baptiſmi, poſt deſcenſionis Spiritus Sancti Lucas meminit. Nam Hebræorum more primum ſummam rei proponit, deinde fuſius explicat, & qualis fuerit ille baptiſmus, declarat. III. Si prior baptiſmus propter ignorantiam altero baptiſmo eſt corrigẽdus, quoties rebaptizandi fuerunt Apoſtoli, qui per totum triennium poſt acceptum Baptiſmum

vix

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

vix modicam ſincerioris doctrinæ particulam de-guſtaverant? IV. Quum tam multas ignorantia Dei miſericordia in nobis quotidie corrigat, qua flumina ſufficerent tot repetendis baptiſmis? S. 18

25. De myſterii hujus efficacia, dignitate, utilitate & fine ſatis multa diximus. Aliquid etiam de externis ſignis addendum eſt. Putamus autem genuinam Chriſti inſtitutionem ſolam hic nobis ſequendam eſſe. Nihil enim hac vel ſanctius, vel melius, vel tutius eſt. Nempe ſi baptizandus in cœtum fidelium repræſentetur, tota Eccleſia ſpectante & orante ſuper eum Deo offeratur, fidei confeſſio recitetur, Baptiſmi promiſſiones enarrentur, baptizandus tingatur in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti, demum cum precibus & gratiarum actione remittatur. Sic nihil omitteretur ad rem faciens, & ceremonia à Deo inſtituta clariſſime effulgeret. Proinde rejicimus omnes exoticas ceremonias, quas ſimplici Chriſti præcepto audacia hominum aſſuere non puduit, ut ſunt aquę incantationes potius quam benedictiones, cerei, chriſma, exſufflatio, ſputũ & ſimilia quibus ſimplicium oculos perſtringunt & mentem hebetant. S. 19.

26. Cæterum mergaturne totus qui baptizatur, idque ter an ſemel, an infuſa tantum aqua aſpergatur, minimũ refert, ſed id pro regionum diverſitate Eccleſiis liberum eſſe debet. Mergendi tamen ritũ veteri Eccleſię obſervatum fuiſſe cõſtat. S. 19.

27. De baptiſmi Miniſtro quæſitum fuit, an privatis hominibus ejus adminiſtratio permiſſa ſit. Nobis non videtur. I. quia eſt pars Eccleſiaſtici miniſterii, quod Deus non quibuſlibet ſed ad eam rem vocatis mandavit. II. Quia Apoſtolis hoc mandatũ dedit, ut baptizarent. Et ſic in ſua perſona Cænę adminiſtrationem iiſdem cõmiſit. S. 20.

28. Interea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

28. Interea non diffitemur veteri more receptum eſſe, ut laici in mortis periculo baptizarent, ſi Miniſter in tempore non adeſſet. Sed nec firma ratione hoc defendi poteſt, & ipſi veteres, præſertim Auguſtinus, de hac re valde dubitanter loquuntur. S.20.

29. De mulieribus citra ullam exceptionem ſancitum fuit in Concilio Carthaginenſi, ne baptizare omnino præſumant. Idem teſtatur Tertullianus & Epiphanius. S.20.21.

30. Excipiunt quidam, multum differre communem uſum, de quo illi loquantur, ab extraordinario remedio, quum ultima urget neceſſitas. R. Epiphanium, quando fœminis baptizandi licentiam denegat, nihil excipere. Et eo ipſo quod ludibrium eſſe pronuntiat, rem in totum damnat. Quin imo ubi hoc ne Mariæ quidem matri Chriſti permiſſum fuiſſe urget, nullam reſtrictionem addit. S. 21.

Objici ſolet. I. periculum eſſe, ne is qui ægrotat, ſi abſque Baptiſmo deceſſerit, regenerationis gratia privetur. R. 1. Falſum ſupponi, quaſi regenerationis gratia ab ipſo Baptiſmo pendeat. Nam promiſſio per ſe valida eſt. Accedit Baptiſmus, non ut efficaciam promiſſioni, tanquam per ſe infirmæ, conferat, ſed ut eam ſigilli inſtar nobis cōfirmet. Nullum ergo hic eſt periculum, ſi tantum in omittendo ſigno nec ſocordia eſt, nec contemtus. II. Non levem injuriam faciunt fœderi divino, quo nos & liberos noſtros cooptavit pro ſuis. Infantes ergo noſtri, antequam naſcantur, ad hoc fœdus pertinent, in quo eorum ſalus continetur. Quod ſi contigerit ut moriantur, antequam aquæ mergi datum fuerit, quis eos à regno cœlorum arcebit, quos promiſſionis beneficio ad Chriſti

corpus

corpus pertinere Scriptura teſtatur? III. Si pereunt omnes, qui aqua non tinguntur, noſtra deterior eſt conditio, quam fidelium ſub veteri lege, ubi promiſſio ante octavum diem ſaluti conferendæ per ſe ſatis erat efficax, quamvis ſigni adminiculo rata non eſſet. At venit Chriſtus ut gratiam ſub N. Teſtamento auctiorem faceret. IV. Hoc errore factum eſt, ut & dogma de neceſſitate Baptiſmi male fuerit expoſitum, & authoritas baptizandi ad eos tranſlata, qui ejus poteſtatem à Chriſto non acceperunt. S.20.22.

32. II. Importune urgent Sephoræ exemplum, quæ arrepto lapide filium circumcidit. Quo facto Angelus placatus fuit. Exod.4.25. Vnde inferunt factum hoc placuiſſe Deo. R. I. Negamus conſequentiam. Alioquin dicendum eſſet Deo placuiſſe cultum, quem Gentes ab Aſſyria traductæ erexerant. 2 Reg.17.32. II. Negamus hoc exemplum ad imitationem trahi debere. Poſſumus enim pro ſingulari exemplo habere. Deinde nuſquam legitur circumcidendi mandatum ſpecialiter Sacerdotibus datum fuiſſe, ſicut Apoſtoli Euangelii præcones & Baptiſmi adminiſtri à Chriſto conſtituti ſunt. Matt.28.19. III. Nemo ergo hunc honorẽ ſibi poteſt uſurpare, niſi vocatus ſit. Hebr.5.4. Et quidquid ſine fide fit, peccatum eſt. Rom.14.23. In muliebri autem Baptiſmo divelluntur quę Deus conjunxit. IV. Hoc factum Sephorę ex animi impotentia profectum eſt. Nam Deo & marito obſtrepit, fremit & murmurat, nec ſine indignatione præputium in terram projicit. V. Inexcuſabilis eſt temeritas, quod præſente Moſe primario Dei Propheta hoc facinus aggreditur. Dicant jam nobis an idẽ hodie permiſſuri ſint ſub Epiſcopi oculis. S.22.

33. Concludimus, Non aliunde petenda eſſe

Sacra-

Sacramenta, quam ubi Dominus ea depoſuit. Quando autem ab Eccleſia ſumere non licet, non ſic illis alligatam eſſe Dei gratiam, quin eam fide ex verbo Domini conſequamur. S. 22.

DISPVTATIO XI, De Pædobaptiſmo.

Ex lib. 4. cap. 16.

1. AD ſuperiorem diſputationem ſubjungenda eſt doctrina de Pędobaptiſmo, quam uti neceſſariam & à Deo comprobatam Eccleſiæ commendatam eſſe volumus. S. 1.

2. Fundamenti loco ſupponimus, vim & naturam Baptiſmi non in externis duntaxat ceremoniis ſitam eſſe, ſed pendere à promiſſione divina & myſteriis ſpiritualibus, quibus figurandis deſtinatus eſt. Nempe ut primo purgationem peccatorum demonſtret. Deinde carnis mortificationem. Tertio noſtram cum Chriſto ſocietatem. Quarto, ut teſtandæ apud homines religionis exiſtat ſymbolum. S. 2.

3. III. Deinde operæ pretium erit inſpicere, quid olim fuerit Circumciſio, cujus loco baptiſmus eſt inſtitutus. Principio conſtat ſignum fuiſſe fœderis Dei cum Abrahamo initi, quo ſe illi & ſemini ejus in Deum fore pollicetur. Quibus verbis vitæ æternæ promiſſio continetur, interprete Chriſto, qui ex iiſdem fidelium reſurrectionem concludit. Matt. 22. 32. Quo ſenſu etiam Paulus aſſerit Epheſios ſine Chriſto fuiſſe & ſine Deo, quod in Circumciſionis fœdus admiſſi non eſſent. Iam vero primus ad Deum acceſſus eſt peccatorũ remiſſio. Altera pars fœderis in mortificatione ſeu regeneratione ſita eſt. Vtriuſque circumciſio externa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

externa ſignum fuit. De ſpirituali circumciſion[e] manifeſte tum Moſes agit Deut. 10.16. & 30. [&] tum reliqui Prophetæ paſſim. Et quia horum d[o]norum fundamentum eſt Chriſtus, hoc ipſu[m] quoque in Circumciſione promiſſum & obſigna[]tum fuit, juxta illud quod Abrahamo dicitur, I[n] ſemine tuo benedicentur omnes Gentes. Ex his f[a]cile eſt colligere, in quo Baptiſmus & Circumciſi[o] differant aut conveniant. Sane in utroque una e[st] promiſſio remiſſionis peccatorũ, regenerationi[s] & vitæ æternæ. Vtrobique fundamentum iden[]. Proinde in re ſignata & virtute Sacramenti no[n] differunt. Quæ reſtat diſſimilitudo in ceremoni[a] exteriori conſiſtit. Extra hanc quidquid interio[]ris myſterii Circumciſioni convenit optima fide[i] analogia ad Baptiſmum ſimul pertinet. Adde quo[d] ſicut Iudæis Circumciſio ſignum fuit adoptioni[s] in familiam Dei, & primus in Eccleſiam ingreſſus, adhæc certiſſima profeſſionis nota; ita nunc quoque per Baptiſmum Deo initiamur, ut & ipſe nos populo ſuo adſcribat, & nos viciſſim in ejus nomen juremus. S. 3.4.

4. Iam porro quæramus, an jure infantibus Baptiſma communicetur. Negant adverſarii, nos affirmamus & quidem hiſce rationibus. I. Si rei ſignatę infantes ſunt participes, à ſigno arceri non debent, nec à figura depelli, ſi veritatem obtinent. At prius verum. Ergo & poſterius. Conſequentia patet. 1. quia ſtultum eſſet in elemento aquæ hærere, ad ſpirituale myſterium non attendere, adeoque ſignum exterius pluris cenſere quam rem ſignatam. 2. quia Deus olim per circumciſionem infantulis obſignabat fœderis promiſſionem. Atqui non lactabat eos fallacibus ſymbolis. Ergo participes eos fecit omnium bonorum, quæ per Circumciſio-

cumciſionem ſignificabantur. Eodem jure infantibus noſtris Baptiſmum deberi dicimus. 3. Si verbũ promiſſionis, cui ſignum exterius in Baptiſmo ſervire & ſubeſſe debet, ad infantes deſtinatur, quis ſignum, quod verbi eſt appendix, ab illis prohibere audeat? De Minori dubium eſſe non poteſt, quia fœdus firmum manet, nec ad Iudæos aut adultos tantum ſed etiam ad Chriſtianorum liberos ſpectat. S. 5.

5. II. Chriſtianis non minus hodie quam olim Abrahamo conſtare debet, non ſe tantum, ſed & ſemen ſuum eſſe in fœdere Dei. Alioquin adventu ſuo Chriſtus Patris gratiam imminuiſſet: quod dictu eſt blaſphemum. Cur autem hæc confirmatio ſit neceſſaria inde patet, quod hac ratione Deus olim Iſraëlitas voluerit ab impiorum liberis diſcerni. Vnde etiam ſanctum ſemen vocabantur. Qua ratione Paulus liberos Chriſtianorum, vel altero duntaxat fideli parente genitos, ab idololatrarum ſemine diſtinguit. 1 Cor. 7. 14. Nulla proinde cauſa eſt cur non hoc ipſum Chriſtiani teſtificentur atque obſignent in ſuis liberis. S. 6.

6. Excipiunt. Non alio quam Circumciſionis ſymbolo Dominum præcepiſſe fœdus ſuum confirmari. Hoc autem jam pridem eſſe abolitum. R. I. Manere eandem per ſigna confirmandi fœderis rationem. Fœdus enim commune nobis eſt cum Iudæis, & communis confirmandi cauſa. Modus confirmandi diverſus. II. Si Chriſtianis eripitur teſtimonium, quo Iudæi de ſalute ſeminis ſui confirmati fuerunt, tum Chriſti adventu obſcurior, & minus teſtata eſt nobis Dei gratia quã Iudæis. At hoc eſt falſum, quia luculentius Dei bonitas nunc eſt declarata, quam ſub obſcuris Legis umbris. S. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

7. III. Huc etiam pertinet quod Chriſtus obla tos ſibi infantes comiter amplectitur, & diſcipulo objurgat, quod illos ſuo aditu prohibere conaren tur, quorum ſit regnum cœlorum. Non venit er go ut limitaret Dei gratiam. S. 7.

8. Excipiunt, Chriſtum quidem amplexur eſſe infantes, iiſque bene precatum: ſed baptizaſſ eos non dicitur. Ita ſatis eſſe, ſi precibus infante adjuvemus. R. Chriſtus eos adduci ad ſe jube amplectitur, precatione & benedictione Patri cō mendat, manus imponit, regni cœlorum præro gativam tribuit, ipſe præſens & ſuos eſſe, & à ſ ſanctificari declarat: nos ne eos abigemus, ſign ſocietatis Chriſti privabimus, ab Eccleſia exclude mus, majoris pretii eſſe putabimus baptiſmo te ſtificari, quod infantes in fœdere Dei contirean tur? S. 7.

9. Cavillantur etiam 1. quod fuerint infante grandiuſculi, quia Chriſtus dicit, Sinite venire ad me. 2. quod non dicat puerorum eſſe regnum cœlorū, ſed talium, qui pueris ſimiles ſunt. R. Ad primum, homonymiam eſſe in voce Venire, quæ poſita eſt ſimpliciter pro accedere. Tum vero βρέφη & παιδία vocat Euangeliſta, quibus verbis infantuli Græcis intelliguntur ab uberibus pendentes. Ad ſecundum dicimus Chriſtum etiam ætate infantes comprehendiſſe, quos negat à ſe eſſe alienos. Alioquin non conſtaret omnino Chriſti ratio, qua hoc loco utitur. S. 7.

10. Ex his conſequitur pædobaptiſmum non eſſe noviter fabricatum, quum tam manifeſta Scripturæ approbatione fulciatur. Nam quod objiciunt, nuſquam reperiri vel unum infantem ab Apoſtolis fuiſſe baptizatum: longa vero annorum ſerie poſt Chriſti ætatem baptiſmum puerorum plane

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

plane fuiſſe incognitum; id vero partim inſulſum eſt, partim omnino falſum. Nã 1. quoties integras familias Apoſtoli leguntur baptizaſſe, quis dixerit omnes illas caruiſſe infantibus? Actor. 16. 15. 32. II. Nullibi legitur Apoſtolorum ſeculo ad S. Cænam mulieres fuiſſe admiſſas. Hic fidei regula nos inſtruit, quid finis & uſus adeoque ipſa Cænæ inſtitutio poſtulet. Idem de Baptiſmo judicandum eſt. III. De veteris Eccleſiæ teſtimonio tam fœdiſſime mentiuntur, ut nullus quantumvis vetuſtus ſcriptor exſtet, qui non ejus originem ad ſeculum Apoſtolorum referat. S. 8.

11. IV. Non exiguum hujus rei quoque argumentum ex fructu & uſu Pædobaptiſmi haberi poteſt, ſive parentes ſive liberos ſpectes. Vtrique enim ſicut olim Iſraëlitæ ſic & nos eximiam inde conſolationem capimus. I. quod promiſſio de ſemine noſtro parentibus piis hoc modo rata fit, Deum fore ſeminis noſtri Deum uſque in milleſimam generationem. Quæ res materiam ſuppeditat laudandi Deum, gaudendi in Dei miſericordia, redamandi tam benignum Patrem, cui etiam liberi noſtri curæ ſint: quique imbecillitati noſtræ hoc ſymbolo providere voluerit. II. Pueri per baptiſmum Eccleſiæ inſiti hæc inde accipiunt cõmoda. 1. quod aliis Eccleſiæ membris ſunt tanto commendatiores. 2. Ad ſerium colendi Dei ſtudium tanto magis animantur ubi adoleverint, quando etiam ſe pueros à Deo agnitos & adoptatos eſſe intelligunt. III. His adde ſeveram Dei comminationem, qua ſe vindicem fore reſtatur in omnes eos qui ſignum fœderis cõtempſerint. S. 9.

12. Supereſt ut exceptiones & argumenta adverſariorum diſcutiamus. Varie autem ad rationem noſtram à Circumciſione petitam excipere

ſolent,

ſolent, ut magnam inter illam & Baptiſmum diſſi-
militudinem eſſe demonſtrent. I. Ajunt ſtatu-
diem, nempe octavum, fuiſſe Circumciſion
R. Ejus rei certa fuit cauſa. Nos ad diem non obl
gamur. Illud tamen Deo placet, ut etiam apud no
ſoléni ritu in ſuum fœdus recipiantur infantes. S.

13. II. Excipiunt res ſignari diverſas: Circum
ciſionem mortificationis, non Baptiſmi fuiſſe f
guram. R. Hoc ipſum cauſæ noſtræ patrocinari
Nam etiam Baptiſmus mortificationis ſignum eſt
Vnde recte ſequitur in Circumciſionis vicem eſſ
ſuffectum. S. 10.

14. III. Excip. Non idem eſſe fœdus. R. Ho
contra ſcripturam aſſeri. Et ſi hoc verum ſit, Ju
dæi pecudum ſimiliores fuerint, quam hominum
quibus ultra temporariam vitam nullæ datæ ſin
promiſſiones, ut æterno demũ exitio perirẽt. S. 10

IV. Exc. Circumciſionem eſſe ſignum literale
Vnde contendunt promiſſiones ejus fuiſſe mer
carnales. R. I. Eodem modo & Baptiſmus literali
dici poteſt. Nam Apoſtolus circumciſionẽ & Ba-
ptiſmum in eo pares facit, quod in Chriſto ſpiri-
tualiter intelligi debeant. Etenim manifeſte diſtin-
guit inter Circumciſionem carnis & alteram non
manu factam, quam Circumciſionem Chriſti vo-
cat. Huic jam reſpondere Baptiſmum, qui in illius
locum ſucceſſit, cujus veritatem & complementũ
in ſe contineat, quod rem unam figuret: atque ita
probat jam nobis etiã in Chriſto nihil deeſſe. Col.
2. 11. 12. II. Nihil eſt abſurdius, quam pro mere
terreno & literali ſigno reputare, cui nihil ſubeſt,
niſi quod ſpirituale & cœleſte ſit. Cõſtat enim pri-
marias promiſſiones fœderis in V. Teſt. fuiſſe ſpi-
rituales & ad æternã vitam reſpexiſſe: & has à Pa-
tribus ſpiritualiter acceptas eſſe, ad eaſdẽ toto ani-
mi affectu aſpiraſſe. S. 11.

16. Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

16. Quod ajunt Deum benevolentiam ſuam terrenis & carnalibus beneficiis teſtatum eſſe, non inficiamur. Sed in his ſpiritualem promiſſionem ſemper primas tenuiſſe aſſerimus. Quod alias plenius à nobis eſt demonſtratum in diſcrimine Veteris & Novi Teſtamenti. S. 11.

17. V. Excip. In puerorum appellatione hanc prætendunt varietatem: olim filios Abrahæ dictos fuiſſe, qui carnales ejus eſſent liberi, nunc eos vocari, qui fidem ejus imitantur: & infantes illos carnales figuraſſe ſpirituales N. Teſt. liberos, qui verbo Dei ad vitam æternam regenerantur. R. In his quædam vera eſſe, quædam falſo dici. I. Fatemur carnale ſemen Abrahæ locum ſpiritualis ſeminis ad tempus tenuiſſe. Sed ſi intelligunt carnali iſti ſemini nunquam ſpiritualem Dei benedictionem promiſſam eſſe, in eo graviter falluntur. Nam 1. Dominus pollicetur Abrahæ ſemen, in quo benedicendæ ſunt omnes nationes terræ: ſimul fidẽ illi dat, ſe in Deum fore ipſi & ſemini ipſius. Et hac miſericordia multis retro ſeculis Iudęos complexus eſt, ut illam ſolam gentem peculium & populũ ſuum eſſe diceret. Ad cujus rei teſtimonium data etiam fuit Circumciſio, cujus ſymbolo in ſpẽ vitæ æternæ dirigerentur. Nec tamen dubium eſt, quin illi propriè Abrahę filii eſſent, qui per veram ſeminis benedicti fidem promiſſionis erant hæredes. Quanquam autem poſt Chriſti reſurrectionẽ etiam Gentiles una cum Iudæis filii Abrahæ per fidem eſſe cœperint, videmus tamen Rom. 4. 10. utroſq; dignitate adæquari, ut ad tempus Abraham pater eſſet circumciſionis: diruto pariete etiam gentilium pater fieret, citra circumciſionis ſignũ, quod Baptiſmum vice circumciſionis habeant. II. In eo etiam hallucinantur, quod fœdus cum

poſteritate Abrahami initum prorſus jam irritum facere videntur, atq; ita carnalem Abrahæ cognationem ſua dignitate ſpoliant: contra diſputationẽ Pauli. Rom. cap. 11. In qua hæc urget axiomata. 1. Iudæos in familia Dei eſſe velut primogenitos, ac primos & nativos Euangelii hæredes. Qua de cauſa illis Euangelium primo loco annuntiari debuiſſe; quod ubi oblatum rejecerunt, tunc demum ad gentes fuiſſe traductum. 2. Quamvis ſua ingratitudine & contumacia ceu indigni ſint abdicati, ſanctos tamẽ eſſe propter ſacrum illud Dei fœdus, quod cum iſta generatione pepigit. 3. Gentes, ſi cum illis componãtur, velut poſthumos aut etiam abortivos eſſe Abrahæ filios, idque non natura, ſed adoptione & per modum inſitionis in eorum familiam. 4. Quantacunq; contumacia cum Euangelio bellum gerere perſiſtant, minime tamen nobis eſſe deſpiciendos, quia Dei benedictio nondum penitus ab ipſis demigrarit, quam nunquam prorſus receſſuram eſſe teſtatur, eo quod donum & vocatio Dei ſint ſine pœnitentia. S. 12. 13. 14.

18. Hinc facile eſt reſpondere ad Scripturæ loca quibus abutuntur. Paulus, inquiunt, negat Abrahamum eſſe patrem eorum, qui ſunt tantum ex circumciſione. R. Apoſtolus ibi retundit eorum ſupercilium, qui omiſſa pietatis cura ſolis ceremoniis ſe venditabant: quod & nos coarguimus in illis qui nihil præter aquam in Baptiſmo quærunt. S. 13.

19. Locus Rom. 9. 7. magis favere videtur, ubi non eos qui ex carne ſunt, ſed filios promiſſionis dicit cenſeri in ſemine Abrahæ, ut carnalẽ cognationem plane videatur rejicere. R. Apoſtolo ibi propoſitum eſt demonſtrare, nullam eſſe cauſam cur Iudæi vel generis vel fœderis nomine glorientur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tur, quia externo ſemini Abrahæ non ſit alligata Dei bonitas. Ejus documentum profert in Iſmaele & Eſau, quos conſtat ſecundum carnem germanam Abrahę fuiſſe progeniem: ipſis tamen rejectis in Iſaaco & Iacobo reſidere benedictionem, nempe quia ſalus pendet à ſola Dei miſericordia. Quam autem minime hoc ipſum prærogativæ Iudæorum deroget, jam ex cap. 11. ad Rom. ſatis luculenter oſtendimus. S. 14.

20. Vtrumq; ergo verum eſt, Electionem Dei in diſcernendis veris regni hæredibus ab extraneis libero jure dominari: & tamen placuiſſe Deo ſemen Abrahę peculiari miſericordia complecti, idque circumciſione obſignare. Eadem nunc quoq; eſt Chriſtianorum ratio, quorum liberi in parentibus ſanctificantur. 1 Corint. 7. 14. Vnde merito colligimus per Baptiſmum ab impuris eſſe ſegregandos. Sic concidit imaginarium illud in pueris diſcrimen. Et manet extra controverſiam, Deum fœderatis ſuis adeo bonum eſſe, ut in eorum gratiam etiam liberos, quos procrearunt, populo ſuo accenſeri velit. S. 15.

21. Nimis futile eſt, quod infantes, qui olim circumcidebantur, volunt figuraſſe duntaxat infantiam ſpirituale͂, quę ex verbi regeneratione emergit. R. I. Cum Paulus Rom. 15. 8. Chriſtum dicit miniſtrum circumciſionis, nempe hoc vult, ipſum veniſſe in ſalutem gentis Iudaicæ, ut etiam poſt Chriſti reſurrectione͂, non allegorice, ſed uti verba ſonant, promiſſionem fœderis carnali Abrahæ ſemini implendam eſſe cenſeat. Nec aliter Petrus intellexit, cum Iudæos Prophetarum & Teſtamenti filios eſſe pronuntiat, & quide͂ hoc fine, ut probet Euangelii beneficium illis deberi. Actor. 2. 39. & 3. 25. Similiter Paulus probaturus Epheſios ca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ruiſſe Chriſto, pro argumento adfert, quod fuerint incircumciſi. Vnde ſequitur circumciſioné infantibus fuiſſe teſtimonium communionis cum Chriſto. II. Dominus in Lege ſua promittit ſe propitium fore cultoribus ſuis in milleſimam uſq; generationem. Quis niſi nugator dixerit hoc allegorice eſſe intelligendum? Iam quum Chriſtus ſtabiliendæ legis cauſa venerit, quatenus nobis ad vitam cedit, eadem quoque promiſſio ad Chriſtianos pertinebit. S. 15.

22. VI. Exc. Aliam quoq; diſſimilitudinem in ratione temporis aucupantur. Baptiſmũ affirmant ad primum ſpiritualis certaminis diem ſpectare: circumciſionem ad octavum, jam peracta mortificatione. Rurſus circumciſionem figuram appellant mortificandæ carnis, Baptiſmum ſepulturam, in quam nulli niſi mortui tradendi ſint. R. I. Manifeſtam hic eſſe contradictionem. Priore ſententia Baptiſmus deberet præire circumciſioni: per alteram in poſteriorem locum relegatur. II. Priorem ſententiam ut merum ſomnium rejicimus. Rectius Patres numerũ octonarium allegorice ad reſurrectionem Chriſti octavo die factam retulerunt: vel certe ad totũ vitæ præſentis curſum, quo ſemper mortificatio peragenda eſt, uſque dum ad octavum, hoc eſt, perfectũ vitæ noſtræ diem pervenerimus. Quanquã non eſt dubium, quin Deus teneræ ætatis habuerit rationem, quando circumciſionem in octavum diem differre juſſit. III. In poſteriore ſententia falſo ſumitur, nos ante mortuos per Baptiſmum ſepeliri. Ea enim conditione in mortem ſepelimur, ut emoriamur & mortificationem iſtam exinde meditemur. S. 16.

23. VII. Exc. Etiam de fœminis litem movent, quas negant eſſe baptizãdas, quod non fuerint circumciſæ.

cumciſæ. R. Sola maſculorum corpora circumcidebantur, quia ſola per naturã poterant. Fœminæ autem per eos circumciſionis ſociæ ac participes erant. Conſtat enim circumciſionis ſignum ad totius ſeminis Iſraëlitici ſanctificationem fuiſſe deſtinatum. S. 16.

24. Sic ſatis ſuperque depulſis adverſariorum ineptiis demonſtratum fuit, quam pulcherrime & ampliſſime utrumq; ſignũ circumciſionis & Baptiſmi in interiore myſterio, in promiſſionibus, uſu, & efficacia, conveniant. Nunc alia Catabaptiſtarum argumenta excutiamus. S. 16.

25. Ob. I. Negant infantes eſſe baptizãdos, quia per ætaté rei ſignatæ, ſpiritualis nempe regenerationis, minime ſint capaces. Proinde non alio, inquiunt, loco habendos eſſe quam pro filiis Adæ, donec in ætatem adoleverint ſecundæ nativitati congruentem. R. Si infantes Chriſtianorum inter filios Adæ ſinendi ſunt, omnes ergo in morte relinquantur neceſſe eſt. in Adamo enim nihil niſi mori poſſumus. Quod cũ negant adverſarii, Scripturæ aperte contradicunt, quæ 1. Nullam niſi in Chriſto ſpem vitæ eſſe teſtatur: In Adamo autem mori omnes pronuntiat. 1 Cor. 15. 22. 2. Omnes nos affirmat natura eſſe filios iræ, & in peccato cõceptos. Eph. 2. 3. Pſ. 51. 7. Ergo niſi è natura noſtra demigremus, in regnũ Dei aditus non datur. Huc pertinet illud Pauli 1 Cor. 15. 50. carné & ſanguinem non poſſe regnũ Dei poſſidere. Ergo aboleatur neceſſe eſt, quod citra regenerationé nõ fit. 3. Aſſerit ſolum Chriſtũ eſſe vitam. Ioh. 11. 25. & 14. 6. Huic ergo infantes inſerantur neceſſe eſt, ſiquidé vivere debeant. Effugere ergo non poſſunt adverſarii, quin miſeros infantes in Adamo morti adjudicent, quos Chriſtus ad ſe, hoc eſt, ad vitã adduci jubet. S. 17.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

26. Excip. Illud tamen nondum conſtare, quomodo regenerari poſſint infantes, præſertim nec boni nec mali cognitione præditi. R. I. Opus Dei non idcirco eſſe nullum, quia modum non intelligimus, aut quia captui noſtro non ſubjacet. Iam probatum eſt, cum infantes naſcantur peccatores, non admitti in regnum Dei, quo nihil ingreditur quod pollutum ſit, Apoc. 21. 27. niſi ante à Domino repurgentur & regenerentur. Sicut & Chriſtus expreſſe docet. Ioh. 3. 3. Iam non eſt dubium, quin ex illa ætate aliqui certe ſaluentur. Quocirca de regeneratione eorum dubitari non poteſt. II. Quid Deus poſſit facere, teſtatum fuiſſe dicimus in Iohanne Baptiſta, quem in matris utero ſanctificatū fuiſſe legimus. Luc. 1. 15. Quod enim ſemel factū eſt, quid obeſt quo minus in aliis poſſit fieri, pro omnipotentiſſima Dei virtute, quæ ſe anguſtiis nullis includi ſuſtinet? Quod particulam *Ab utero* ſic interpretantur, ac ſi dictum fuiſſet, E pueritia, textus ipſe refutat, qui Spiritu S. repletum fuiſſe ait cum nondum natus eſſet. III. Ipſe Chriſtus à prima infantia ſanctificatus fuit, ut ex ætate qualibet ſine diſcrimine electos ſuos in ſeipſo ſanctificaret: & ideo ex Spir. S. conceptus dicitur, ut ſciremus ſanctitatem ipſius ad nos uſq; transfundi. Iam vero Chriſtus perfectiſſimum eſt gratiarū Dei exemplar, quibus filios ſuos proſequitur. Ergo hac quoq; in parte nobis documento eſt, infantiæ ætatem non uſq; adeo à ſanctificatione abhorrere. IV. Vtcunque hoc fiat, illud certum eſt, neminem electorum ex hac vita evocari, qui non prius regeneretur Spiritu Dei. S. 17. 18.

27. Inſtant. Scripturam non agnoſcere regenerationem, niſi quæ fiat ex incorruptibili ſemine verbi Dei. R. Petrum loqui de adultis, quibus fatemur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

temur Dei verbum eſſe unicum regenerationis ſemen. Hinc colligi nequit, non poſſe Dei virtute regenerari infantes. Nec ſatis tutum eſt hoc adimere Deo, ne ſe illis quoquo modo cognoſcendum exhibere queat. S. 18.

28. Regerunt, fidem eſſe per auditũ Rom. 10. 17. R. Paulum agere de ordinaria fidei diſpenſatione, quam Deus in vocandis ſuis tenere ſolet. Quo ipſo nullam Deo præſcribit regulam, ne alia uti ratione poſſit. Multi enim vera cognitione Dei donati ſũt, quos tantũ interiori modo Spir. illuminavit. S. 19.

29. Adhuc tamẽ inſtant non eſſe infantes cognitionis Dei capaces, quos Moſes boni ſimul & mali notitia deſtitutos eſſe aſſerit. Deut. 1. 39. R. I. Non eſſe conſequẽs, quia Deus hoc poteſt facere ex ſua potentia. II. Abſurdũ eſt eos in præſens omni cognitione Dei privare, quos Deus etiam in prima infantia morientes ad pręſentiſſimam ſui contemplationẽ ſtatim recipit. Proinde poteſt eos exigua ſaltem ſcintilla irradiare, priuſquã ex hac vita egrediantur. III. An vero fidem habeant & noticiam qualis eſt adultorũ, in ſuſpenſo relinquimus. S. 19.

30. Ob. II. Priori affinis eſt altera objectio, qua Baptiſmum contendunt eſſe pœnitentiæ & fidei ſacramentum. Et quum hæc non cadant in tenellam ætatem, in Baptiſmi communionem non eſſe admittendam, ne inanis reddatur ſignificatio. R. I. Eadem ratione condemnant circumciſionem, quã certum eſt non minus fuiſſe pœnitentiæ ſacramẽtum Ier. 4. 4. Et ſigillum juſtitiæ fidei. Rom. 4. 11. Iam à Deo exigant rationem, cur eam infantium corporibus inſcribi juſſerit. Quidquid dixerint, nihil circumciſioni dare poterunt, quod non etiam Baptiſmo concedere cogantur. II. Deo in hac inſtitutione ſapientiæ & juſtitiæ laus ſemper

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

& ſatis conſtabit. Etſi enim infantes nondum per ætatem circumciſionis myſterium intelligebant, vere tamen circumcidebantur in naturæ vitioſæ mortificationé, quam adulti poſtea meditarentur. III. Dicimus baptizari infantes in futuram pœnitentiam & fidem : cujus utriuſque ſemen Spiritus operatione in illis latet. IV. Eodem reſponſo diluimus, quod ex Tit. 3. 5. adferunt, ubi Baptiſmum Paulus vocat lavacrum regenerationis & renovationis. Etenim ne circumciſio quidem hoc elogio carebat. An ergo nullis niſi regeneratis fuit conferenda? Nempe ſi Dei inſtitutum velis condemnare. Concludimus nullam hæc vim habere ad oppugnandum pædobaptiſmum, niſi & infantum circumciſionem deſtruere velint. S. 20.

31. Exc. I. Circumciſionem hanc certa Dei authoritate niti : non eſſe eandem rationem pædobaptiſmi. R. Imo eadem manet ratio, abſurdi reſpectu, quod imaginantur. Nam aut bene olim inſtituit Deus Sacramentum fidei & pœnitentiæ infantibus, aut Dei præceptum reprehenſione dignum arguant neceſſe eſt. Siquidem ibi abſurdum non fuit, nec in Pædobaptiſmo abſurdum eſſe juſte colligimus. S. 20.

32. Exc. II. Abſurdum, quo baptiſmum infantibus, ſive ſtatim moriantur, ſive adoleſcant, inutilem eſſe fingunt, facile eluimus. Nam ſi baptizati decedunt priuſquam ad ætatem veniant, virtute Spiritus renovantur, quomodo expedire ſolus ipſe providet. Si grandeſcere eo uſq; contingat, ut Baptiſmi veritatem edoceri queant, magis ad ſtudium renovationis accendentur, cujus ſignum in infantia acceperunt, ut toto vitæ decurſu eam meditarentur. Sect. 21.

33. Eodem pertinent citata ex Rom. 6. 4. Col. 2.

.12. Gal.3.27. 1 Pet.3.21. Nam I. Quando Paulus dicit nos Chriſto per baptiſmum conſepeliri aut Chriſtum induiſſe, non ea mens eſt, quod illæ res Baptiſmo præire debuerint tempore. Scribit enim jam baptizatis. Nec eos prius ſepultos eſſe voluit, antequam Baptiſmo initiarentur: ſed quę doctrina Baptiſmo ſubſit, ut eam jam baptizati recte meditentur: ſicut & Moſes atq; Prophetæ docent quid circumciſio ſibi vellet, qua tamen infantes ſignati fuerant. Eodem modo Galatæ baptizati Chriſtum induerant, ut poſtea Chriſto viverent, non quod ante vixiſſent. II. Idem reſpondemus ad locum Petri. Nam & circumciſionis veritas bonæ conſcientiæ teſtimonio conſtabat: nec minus tamen infantes Dei mandato circumcidebantur. Sed in eo perpetuo hallucinantur, quod rem temporis ordine ſigno præire velint. At vero ſicut in futurũ tempus videmus puerulis circumciſionem collatam, ita nihil plus in pædobaptiſmo præſentis efficaciæ quæramus, quam quod fœdus cum illis à Domino percuſſum confirmet & ſanciat. Reliqua, quo tempore Deus ipſe providerit, poſtea conſequentur. S. 21.

34. III. Objiciunt baptiſmũ dari in peccatorum remiſſioné. R. Retorquemus argumentũ. Parvuli naſcũtur peccatores. Quocirca jam à matris utero remiſſione opus habent. Ergo ſigno privandi non ſunt, quod iſta gratia multo eſt inferius. S. 22.

35. IV. Objiciunt loca Eph.5.26. 1 Cor.12.13. R. Hæc etiam loca pro nobis faciunt. Eccleſia mundatur lavacro aquæ, & per Baptiſmum in Chriſti corpus inſerimur. Infantes in Eccleſiæ parte jure cenſentur, nec à Chriſti corpore divelli poſſunt. His enim locis de tota Eccleſia & toto Chriſti corpore agitur. Ergo baptizãdi ſunt, S.22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

36. V. Objiciunt praxin ſeculi Apoſtolici. Petrus à Iudæis pænitentiam exigit; Philippus ab Eunucho fidem poſtulat, antequam baptizentur. Act. 2. 37. & 8. 37. R. I. Si literam urgent, alias ſola ſufficiet pœnitẽtia, alias ſola fides, quia diſtinctè exiguntur. II. Si dixerint locos eſſe connectendos, etiam alios conferendos eſſe conſequens erit. Iam vero ex loci circũſtantia patet hæc adultis à Petro & Philippo dici: proinde ad infantes male detorqueri. III. Diſcrimen hoc manifeſtũ eſt. Qui adulta demum ætate Chriſti fidem amplectuntur, quũ hactenus à fœdere alieni fuerint, non ſunt Baptiſmo inſigniendi, niſi perſpecta eorum converſione, pœnitentia, & fide, ſaltem quantum hominum judicio explorari poteſt. Infantium Chriſtianorũ alia ratio, quibus aditus in fœderis ſocietatem jure patet, quod in fœderis hæreditatem ſtatim ac nati ſunt à Deo cooptantur. Iñ Abrahamo adulto Sacramentũ circumciſionis fidem ſequitur: in Iſaaco filio præcedit. Sic ſi adulti & alieni à populo Dei ſe olim Iſraëlitis vellent adjungere in religionis communionem, prius de Lege & fœdere Dei edoceri oportebat antequam circumciderentur. Ita nec nos Turcam ad Baptiſmum receperimus, niſi confeſſione edita Eccleſiæ ſatisfaciat. Hujus ratio perſpicua eſt. Infidelis enim & impiis ortus parentibus à fœderis unione extraneus cenſetur, donec per fidem Deo uniatur. Proinde æquum eſt ut fœderis conditiones perdiſcat, priuſquam ſigno communicet, ne ſignificatio fallax & inanis ſit. Sed fidelium liberi hęreditario jure ſecundum fœderis formulã jam à matris utero in fœdere continẽtur. Proinde à ſigno arceri non poſſunt, tametſi in fœderis ſtipulationẽ jurare nequeunt. IV. Eandẽ reſponſionem damus ad locum Mat. 3. 6. S. 23. 24.

37. VI. Ob-

37. VI. Objiciunt verba Chriſti ex Ioh. 3. 5. Niſi quis renatus fuerit ex Spiritu & aqua, non poteſt ingredi in regnũ cœlorum. Baptiſmus, inquiunt, vocatur regeneratio. At hujus infantes non ſunt capacès. Ergo nec Baptiſmi. R. I. In eo falluntur quod Baptiſmi mentionem fieri hoc loco putant. Aqua enim exponit quid Spiritus faciat, nempe quod purgando & irrigando vice aquæ fungitur. Ita Matt. 3. 11. Spiritus & ignis conjunguntur, quia Spir. S. in regeneratione ignis officium & naturam habet. Propoſitum auté eſt Chriſto Nicodemum arguere, qui renaſcentiam corporalem ſomniabat. Docet ergo ſpiritualiter hoc fieri per Spiritum, qui in anima facit, quod aqua in corpore. II. Si hic liberet cavillari, inferremus Baptiſmum eſſe priorem fide & pœnitentia. Aqua enim, quam Baptiſmum eſſe volunt, præcedit Spiritum in verbis Chriſti. Per Spiritum vero intelligi dona ſpiritualia certum eſt. III. Hac poſita expoſitione omnes non baptizati excluderentur regno Dei. Iam dicant nobis. 1. quid puero fieri velint, qui probe edoctus, ante diem Baptiſmi, in fide Chriſti ſubita morte præter ſpé abreptus fuerit. An periiſſe exiſtimabunt, quod obtinendi Baptiſmi ademta fuerit facultas? 2. Quid reſpõdebunt Chriſto promittenti, omnem qui credit non viſurum mortem, nec in judicium venturum, ſed tranſiiſſe à morte in vitam: quem etiam nullibi comperimus damnaſſe nondum baptizatum? At illi citra exceptionem damnant; quos à Baptiſmo caſus aliquis prohibuerit (nam contemtum & neglectum Baptiſmi excipimus) quantacunque etiam fide præditi fuerint. 3. Adhæc annon inde ſequitur ſtante hac gloſſa omnes infantes damnari, quibus ipſi Baptiſmum opinione ſua ad ſalutem neceſſarium denegant?

Qua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Qua in parte Chriſto ſe opponunt, qui regnum cœlorum huic ætati adjudicat. IV. Etſi quod petunt concedamus, falſa tamen erit quoad infantes illatio, quia Deus ſuo eos modo regenerat ante mortem, ſicut ſupra probatum fuit. S.25.26.

38. VII. Objiciunt ipſam Baptiſmi inſtitutionem Matt.28.19. Marc.16.16. Chriſtus primum jubet docere, poſt baptizare: & Baptiſmo ſecundum à fide locum aſſignat. R.I. Pueriliter errant, quod primam Baptiſmi inſtitutionem ex his locis derivant & inde legem Baptiſmi petendam eſſe contendunt, quum ab exordio prædicationis ſuæ Apoſtolis Baptiſmum adminiſtrandum Chriſtus mandaverit. II. Si mordicus verborum ordini neceſſe eſt inſiſtere, ſequitur prius baptizandum eſſe, quam obſervatio mandatorũ Chriſti docenda, quia hoc membrum præceptum de Baptiſmi collatione ſequitur. III. Sed argutiis omiſſis negamus toto illo ſermone de infantibus vel unam eſſe ſyllabam. Iubet Chriſtus ut Euangelium omnibus ubiq; nationibus annuntient, & perditos ante homines doctrina ſalutis colligant. Agit ergo de adultis, qui ante inſtituendi ſunt ut credant, quam baptizandi. IV. Simili hoc explicari poteſt. Non permittit Apoſtolus ut edant, niſi qui laborant. 2 Theſſ.3.10. Paulum de certo hominum genere & certa ætate loqui palam eſt. Si quis hoc indifferenter ad omnes rapere velit & idcirco alimentis privare infantes, nonne ludibrio digniſſimus ſit? Ita & hoc loco inepte ad infantes trahitur, quod adultæ tantum ætati competit. S.27.28.29.

39. Ob. VIII. Chriſtum non ante triceſimum annum fuiſſe baptizatum. R. I. Hoc pertinet ad primam Baptiſmi inſtitutionem, cujus cum primordia quædam jeciſſet Iohannes, plenam ei authorita-

thorita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

thoritatem Chriſtus tribuit, quando eundem corpore ſuo ſanctificavit, & quidem ea, qua maxime decebat, temporis opportunitate, quum ſuam prędicationem auſpicaretur. Inde nihil aliud confici poteſt, quam Baptiſmũ originem ſuam ſumpſiſſe ab Euangelii prædicatione & ab authore Chriſto. II. Si præciſe triceſimus annus eſt ſervandus, cur omiſſa hujus temporis circũſtantia, prout quemq; ſuo judicio profeciſſe putant, ad Baptiſmum recipiunt? Qua in parte ridiculus ſane fuit Servetus, qui tempus hoc pertinaciter urſit, & tamen XXI ætatis anno cœpit prophetare, egregius ſc. Eccleſię doctor, antequam eſſet Eccleſiæ membrum. S. 29.

40. Ob. IX. Eadem ratione non Baptiſmũ tantum ſed & Cœnam Domini communicandã eſſe infantibus. R. I. Fuiſſe quidem id in Eccleſia veteri factitatum, ſed morem poſtea inoleviſſe: nec ſine juſta ratione, quia magnum inter utrumq; Sacramentum ſit diſcrimen. Baptiſmus enim eſt veluti ingreſſus quidã in Eccleſiam, & ſignum ſpiritualis noſtrę regenerationis. Cæna ſolidiorem cibum exhibet & grandiuſculis convenit. Ideo quoad Baptiſmũ Chriſtus nullum ætatis delectum fecit. Cænę paulo diverſa eſt ratio. II. Plæraq; ad Cænã ituris mandantur, quæ non niſi ab adultioribus præſtari poſſunt: ut probent & examinent ſeipſos: ut Cænã ſumant in Chriſti commemorationem: ut mortem Domini annuntient, ut digne accedant & manducent, addita cõminatione damnationis ſi indigne manducent. 1 Cor. 11. Hæc ab infantibus nemo ſanus exiget. Inepte ergo à Baptiſmo ad Cænã argumentãtur. III. Simile quid animadvertimus in circumciſionis & Paſchatis ſigno. Illa infantibus deſtinata erat. Paſcha vero, in cujus vicẽ Cęna ſubiit, non quoſlibet promiſcue, ſed eos admittebat con-

vivas,

vivas, qui de ejus ſignificatione rogare per ætatem poſſent. S. 30.

61. Serveti ratiunculas vix operæ pretium eſt recenſere: breviter tamen diluemus. Ob. I. Sacramenta Chriſti eſſe perfecta & exigere perfectos vel perfectionis capaces. R. Baptiſmi perfectioné male reſtringi ad unum téporis articulũ, quum ad eam tota vita per continuos gradus nos invitet. S. 31

42. Ob. II. Baptiſmum inſtitutum eſſe, ut quiſq; examinet ſeſe ex memoria ſepulturæ Chriſti. R. Male ad Baptiſmum trahi, quod proprium eſt S. Cœnæ. Nihil ſimile de Baptiſmo legitur. Rite igitur baptizantur infantes, licet hujus examinis nondum ſint capaces. S. 31.

43. Ob. III. Infantes adhuc manere in morte, Ioh. 3. 36. R. 1. Infantibus Chriſtum benedicere, proinde à morte eſſe exemtos. 2. Chriſtum ibi agere de præfractis Euangelii contemtoribus. Hoc nihil ad infantes. S. 31.

44. Ob. IV. Quiſquis natus eſt ex Spiritu, eum audire vocem Spiritus. R. I. Hoc nuſquam legitur. II. Non niſi de adultis intelligi debet. S. 31.

45. Ob. V. Quia præcedit quod animale eſt, exſpectandum eſſe tempus maturum baptiſmo, qui eſt Spiritualis. R. omnes quidem poſteri Adæ naſcuntur corrupti. Sed Deus ſtatim remedium adfert ſanctificans eos ſupernaturali gratia, cui plures annos eſſe præſcriptos non oſtédet Servetus. S. 31.

46. Ob. VI. Davidem, quum in arcem Sion conſcenderet, non cæcos aut claudos ſecum duxiſſe. R. 1. Eſt inepta allegoria. 2. Etiam claudi & mutili jam cum Davide militaverant. 3. Chriſtus cæcos & claudos ad cæleſte epulum invitat. Luc. 14. 21. 4. Ipſa hiſtoria huic gloſſæ repugnat. S. 31.

47. Ob. VII. Apoſtolos hominum fuiſſe piſcatores

tores non parvulorum. R. 1. Contra Chriſtus dicit rete Euangelicũ colligere omne genus piſcium. 2. Prædicatio Euangelii non tollit baptiſmum infantium. 3. Hac ratione negat etiam infantes eſſe homines. S. 31.

48. Ob. VIII. Spiritualibus quadrant ſpiritualia. 1 Cor. 2. 13. Infantes non ſunt ſpirituales. R. Ineptit. Agit Paulus de doctrina, & arguit Corinthios, quod adhuc primis doctrinæ rudimentis eſſent imbuendi. S. 31.

49. Inſtat. Novos homines paſcendos ſpirituali cibo. R. Sufficit infantibus adoptionis ſymbolum, donec adulti ſe examinare poſſint, & pares ſint ſolido cibo. S. 31.

50. Ob. IX. Chriſtum vocare omnes ſuos ad S. Cœnam. R. Suo & diſtincto tempore, quando nimirum adoleverint & memoriam mortis ſuæ celebrare poterunt. Nihilominus infantes pro ſuis amplectitur. S. 31.

51. Excipit, portentum eſſe, ſi homo, poſtquam natus eſt, non comedat. R. Etiam infantibus Chriſtum eſſe cibum, licet à ſymbolo abſtineant. Baptiſmi aliam eſſe rationem, quo janua in Eccleſiam aperitur. S. 31.

52. Rurſus excipit bonum œconomum diſtribuere cibum familiæ ſuo tempore. Matth. 24. 46. R. Sic eſt. Et nihilominus Baptiſmus tempeſtive datur infantibus. S. 31.

53. Objic. X. Iubere Chriſtum, ut Apoſtoli ad meſſem properent, dum albeſcunt agri. Ioh. 4. 35. R. Chriſtus vult ut alacriter ſe ad docendum accingant, quia præſentem laboris fructum cernunt. Inde non ſequitur non aliud niſi meſſis tempus baptiſmo eſſe maturum. S. 31.

54. Ob. XI. Chriſtianos & diſcipulos eſſe idem. Actor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Actor. 11. 26. R. Diſcipuli hoc loco vocantur, qui jam edocti fuerant, ſicut & Iudæos Moſis diſcipulos eſſe oportuit. Nec tamen idcirco extranei erant infantes. S. 31.

55. Ob. XII. Chriſtiani omnes ſunt fratres. Infantes non ſunt fratres, quia nobiſcum Cęnam non celebrant. R. 1. Attamen ſunt hæredes regni, quos Chriſtus amplexu ſuo velut teſſera adoptionis conjunxit adultis. Sunt ergo membra Chriſti. 2. Quod à Cæna ad tempus abſtinent, non impedit, quo minus ad Eccleſiæ corpus pertineant. Sane latro converſus ad Cænam nunquam acceſſit: fuit tamen frater piorum. S. 31.

56. Ob. XIII. Neminem fieri fratrem niſi per Spiritum adoptionis, qui per auditum tantum cōfertur. R. Locus agit de adultis & ordinario vocationis modo. Hoc perperam ad infantes trahitur, quos Deus arcana alia ratione poteſt Chriſto inſerere. S. 31.

57. Ob. XIV. Cornelius poſt acceptū Spir. S. fuit baptizatus. Act. 10. 44. R. Perperā ex uno exemplo generalē facit regulam. In Eunucho & Samaritanis Baptiſmus præceſſit dona Spirit. S. Act. 8. 27. S. 31.

58. Ob. XV. Dicit nos regeneratione deos fieri: eſſe autē Deos ad quos ſermo Dei factus eſt. Ioh. 10. 35. Id non cadere in infantes. R. 1. Delirium deitatis nobis reponit, de quo alias diximus. 2. Locum Pſalmi & mentē Chriſti detorquet. Agitur ibi de mandato Dei, quo Magiſtratus conſtituuntur. Quid hoc ad Euang. doctrinā, aut ad infantes? S. 31.

59. Ob. XVI. Infantes non poſſe novos homines dici, quia non gignuntur per ſermonē. R. Inſtitutionem adultis deſtinatam eſſe. In infantibus Deum ſervare ſuos regenerandi gradus. qua de re ſupra. S. 31.

60. Ob.

60. Ob. XVII. Ovem & capram in Lege non fuiſſe oblatã in ſacrificium ſtatim ac egreſſæ erant ex utero. R. Inepta rurſus allegoria: Contra regerimus primogenita, ſimulac vulvam aperuiſſent, fuiſſe Deo ſacta: deinde oportuiſſe agnum anniculum Deo mactari. Ergo etiam fœtus recentes & teneri Deo in ſacrificia deligebantur. S. 31.

61. Ob. XVIII. Neminem venire ad Chriſtũ, niſi à Iohanne pręparatũ. R. 1. Temporale hoc fuit Iohannis officium. 2. Infantes, quos Chriſtus amplexus eſt, non fuerunt à Iohanne præparati. S. 31.

62. Ob. XIX. Ex Triſmegiſto & Sibyllis probat ſacras ablutiones non convenire niſi adultis. R. Contra Deo noſtro viſum eſt infantes ſibi conſecrare & certis ſymbolis initiare, uti patet ex circumciſione & Baptiſmo. S. 31.

63. Ob. XX. Si infantes liceat ſine intellectu baptizare, Baptiſmum à pueris per jocum poſſe adminiſtrari. R. Idem de circumciſione poſſet dici. An idcirco inſtitutio divina res eſt ludicra & puerorum ineptiis obnoxia? S. 31.

64. Sed de his nugaciſſimis ratiunculis plus ſatis diximus. Ex tota autem hac diſputatione illud quibuſvis conſtare poſſe arbitramur, eos qui rixas & contentiones movent ob pædobaptiſmum, temere Eccleſias cõturbare. Aliud tamen porro molitur Satan. Nam I. Quum in Baptiſmo velut oculari ſpectaculo certiores fiamus, quantum poſteritas noſtra Deo optimo Patri curæ ſit, quam ne quidem poſt mortem noſtram velit deponere, unde ſingularis fiduciæ & ſpiritualis gaudii fructus parentibus exiſtit: Satan hoc agit, ut teſtificatione hujus gratiæ è medio ſublata, non ille tantum fructus nobis eripiatur, ſed ipſa quoq; promiſſio ſenſim evaneſcat. II. Tantundem quoq; de bonitatis divinæ

divinę gloria delibare conatur: quando gratiarum actionem pro tanto beneficio Deo debitam in impiam ingratitudinem convertit, & præterea parentes in liberis ad pietatem erudiendis ignavos reddit: qui alias hoc aculeo non parum incitantur, ut eos in ſerio Dei timore velint educandos, quos ſtatim à partu loco filiorum apud Deum haberi intelligunt. S. 32.

DISPVTATIO XII,

De Sacroſancta Chriſti Cœna.

Ex lib. 4. cap. 17.

1. POſtquam per Baptiſmum nos Deus in familiam ſuam recepit, & pro ſuis adoptavit, placuit ei, tanquam optimo Patri, etiam de cibo providere, ut in ſpirituali vita, in quam nos genuit, continuo hujus vitæ curſu conſervet & ſuſtentet. Qua de re per alterum Sacramentum, videlicet S. Cœnæ, tanquam pignore dato nos certiores reddere voluit. Hujus vero doctrinæ explicatio perquam eſt neceſſaria: 1. propter ipſius myſterii magnitudinem & utilitatem. 2. propter nebulas, adeoq; tenebras, quibus Satan hujus doctrinæ lucem conatus eſt obſcurare. 3. propter contentiones & pugnas, quibus idem Satan mirando artificio ſimplicium mentes, tum olim, tum noſtra præſertim ætate, ab hujus ſacri alimenti guſtu alienare tentavit. S. 1.

2. Primo dubitari non poteſt, quin Chriſtus ſit unicus animæ noſtræ cibus, ad cujus communicationem Pater cœleſtis nos invitat, ut omnem ex ipſo vigorem colligamus, donec ad ipſam immortalitatem in cœlis perventum fuerit. S. 1.

3. Quoniam vero myſterium hoc arcanæ Chri-

ſti unio-

ſti unionis comprehenſionem noſtram ſuperat, figuram ejus & imaginem in ſignis viſibilibus, panis nempe ac vini, ad captum noſtrum aptiſſimis exhibet, quibus velut datis teſſeris & arrhis in craſſiſſimas mentes noſtras ſimilitudine familiari penetrat, noſque certiores reddit non ſecus animas noſtras Chriſto paſci, quam panis & vinum corporalem vitam ſuſtentant. S. 1.

4. In hunc ergo finem ſpectat myſtica hæc benedictio, ut nobis confirmet, corpus Domini ſic pro nobis ſemel eſſe immolatū, & ſanguinem ejus pro nobis ſemel eſſe effuſum, ut perpetuus nobis cibus atq; potus ſit, cujus participatione unici illius ſacrificii efficaciam in nobis ſentimus. Nec aliud docent verba promiſſionis in inſtitutione Cænæ. Nam 1. dicit, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur. Ergo jubemur accipere & comedere corpus oblatum. 2. Calicem vocat fœdus in ſuo ſanguine. Proinde ſacer ille ſanguis effuſus libandus nobis porrigitur. Vtrinque ergo vivificæ mortis Chriſti virtus efficax ſtatuitur, & fœdus ipſum quodammodo renovatur vel potius continuatur, quantum ad fidei noſtrę confirmationem attinet. S. 1.

5. Magnum porro fiduciæ ac ſuavitatis fructum ex hoc ſacramento colligere poſſunt piæ animæ, quod teſtimonium habent ſe in unum corpus cum Chriſto coaluiſſe, ut quidquid ipſius eſt, ſuum vocare ipſis liceat. Vnde de vita æterna, adoptione, immortalitate, confirmatione, cæleſti opulentia, & perfecta juſtitia certi redduntur. S. 2.

6. Horum omnium adeo ſolidam habemus teſtificationem in hoc ſacramento, ut certo ſtatuendum ſit, vere nobis illa exhiberi, non ſecus ac ſi Chriſtus ipſe præſens oculis cerneretur, & mani-

bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

bus attrectaretur. Atq; huc nos deducunt. I. ip
verba promiſſionis, Accipite, edite, bibite: H
eſt corpus meum, quod pro vobis traditur: H
eſt ſanguis meus, qui pro vobis funditur. Nam
quod accipere jubet, ſignificat noſtrum eſſe: quo
edere jubet, unam dicit nobiſcũ fieri ſubſtantiam
quod corpus ſuum pro nobis ait eſſe traditũ, ſa
guinem pro nobis fuſum, docet utrumq; non ta
ſuum eſſe, quã noſtrum, quia non ſuo commod
ſed in ſalutem noſtram illa ſumſit & poſuit. Deni
his verbis, *pro vobis traditum, pro vobis fuſum* t
ta pene ſacramenti energia demonſtratur, n
modo corpus & ſanguinem ejus noſtra eſſe, ſe
etiam nobis in ſpiritualis vitæ alimentũ deſtinat
II. Idem docet repræſentatio harũ rerum ſub pan
& vino, quę nos à rebus corporeis quadam anal
gia ad ſpirituales deducit. Nam uti corporis noſt
vitam panis alit & ſuſtentat, ita corpus Chriſti ve
getandæ ac vivificandæ animæ unicus eſt cibus. E
ſicut corpori hos uſus vinum ſumtum affert, u
foveat illud, reficiat, cõfirmet, & exhilaret, ita ſan
guis Chriſti eoſdem nobis fructus adfert. Ita in ex
terna ſymbolorum, dum nobis communicantur
ſimilitudine non obſcure perſpicimus, quid no
bis ſacroſancti hujus corporis traditio, quid ſan
guinis effuſio proſit. S. 3.

7. Non ergo principaliter hoc agit S. Cæna, u
corpus & ſanguinem Chriſti ſimpliciter & ſin
altiori conſideratione porrigat, ſed multo magi
ut promiſſionem illam obſignet & confirmet, qu
carnem ſuam vere cibum & ſanguiné ſuum vere
potum eſſe teſtatur, quibus in vitam æternam paſ-
cimur. Vt autem hanc obſignationem efficiat, mit-
tit nos ad Chriſti crucem, ubi promiſſio illa vere
præſtita, & numeris omnibus impleta fuit. Neque
enim

enim ſalutariter Chriſto veſcimur niſi crucifixo, dum efficaciam mortis ejus vivo ſenſu apprehendimus. S. 4.

8. Vnde hoc etiam conſtat, quod Chriſtus panis vitæ dicitur, non eam à Sacramento ſumſiſſe appellationem. Neq; enim facit Sacramentum, ut panis vitæ eſſe primum incipiat; ſed ideo vere eſt panis vitæ, quia talis nobis à Patre datus, talemq; ſe nobis præſtitit, quando nobis natus & mortuus eſt, nobiſq; reſurrexit, ut nos immortalitatis atque benedictionis & glorię ſuæ conſortes faceret. Sane quidquid fecit aut paſſus eſt, id ad nos vivificandos factum eſt. Hanc vero vivificationē æternam eſſe voluit, qua ſine fine alamur & conſervemur in vita. Quo fine carnem ſuam dicit eſſe panē illum, quam pro mundi vita daturus ſit. Iohan. 6. ꝟ. 51. Nempe quia corpus ſuum in mortem pro ſalute noſtra expoſuit, ut nobis pro pane ſit ad ſpiritualem animæ vitam. S. 4. 5.

9. Reſtat ut applicatione id totum ad nos perveniat. Ideo enim nobis porrigitur, ut eo veſcamur. Hoc fit cum per Euangelium, tum vero illuſtrius per S. Cænam, ubi ſe cum omnibus ſuis bonis offert & ubi eum nos fide percipimus. Semel quidem crucifigendum ſeipſum dedit, quo panis vitæ fieret: ſed nunc quotidie ſe ipſum dat, quatenus crucifixus eſt, primū in Euangelio, ubi ſe nobis offert, deinde in S. Cænæ myſterio ubi hanc exhibitionē obſignat, & id ipſum intus complet, quod exterius deſignat. Atq; hac ratione Sacramentum teſtatur Chriſtum eſſe panem vitę, quo aſſidue nobis veſcendum eſt, & ut guſtum ſaporem & vim illius panis ſentiamus, efficit. S. 5.

10. Porro duo cavenda nobis hic ſunt vitia: I. Ne in extenuandis ſignis nimii, à ſuis myſteriis

ea

ea divellere & efficaciam minuere: II. Ne in ii[s]
dem extollendis immodici virtutem internam
obſcurare videamur. S. 5.

11. Primum hallucinari putamus eos, qui man[-]
ducare carnem Chriſti & bibere ejus ſanguinem
nihil aliud eſſe definiunt, quam in Chriſtum cre[-]
dere. Atqui Ioh. 6. Chriſtus videtur ſublimius ali[-]
quid exprimere, cum teſtatur nos vera ſui partici[-]
patione vivificari. Et hanc manducandi atque bi[-]
bendi verbis deſignat, ne quam vitam ab ipſo per[-]
cipimus, ſimplici cognitione percipi quiſpiam pu[-]
taret. Sicut enim non aſpectus panis, ſed eſus cor[-]
pori alimentum præbet, ita ut nutriamur ſpiritua[-]
liter, vere ac penitus animas noſtras Chriſti parti[-]
cipes fieri convenit. Itaque licet non ſit nec detu[r]
alia quam fidei manducatio, tamen non videtu[r]
nobis manducatio nihil aliud eſſe quam fides, ſed
potius fidei effectus & conſequens. Ita nemo ha[-]
bitationem Chriſti in cordibus noſtris Eph. 3. 17.
meram fidem eſſe interpretabitur, ſed eximium
potius fidei eſſe effectum, per quam Chriſtum ha[-]
bemus manentem in nobis. Eodemque ſenſu
Chriſtus panis vitæ nuncupatur, non tantum quia
credimus Chriſtum mortuum eſſe ac reſurrexiſſe,
ſed multo magis quod ſui communicatione vita
ipſius in nos tranſeat ac noſtra fiat. Fides enim no-
ſtra Chriſtum non eminus apparentem, ſed ſe no-
bis unientem amplectitur, ut ipſe caput noſtrum
ſit, nos vero ipſius membra. Nec obſtat quod Au-
guſtinus ſæpius dicit nos credendo manducare: il-
lud enim duntaxat indicare voluit, manducationẽ
iſtam cordis eſſe, non oris. Aliis tamen locis idem
nobiſcum ſentit, animas noſtras carnis Chriſti cõ-
munione refici, non minus quam corpora pane
quo veſcimur. Id ipſum voluit Chryſoſtomus,
quando

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quando dixit Chriſtum non fide tantum ſed reipſa ſuum efficere corpus: quibus verbis nudam fidei imaginationem excludi voluit. S. 5. 6.

12. Deinde gravius errant, qui Cænam docent ſolum externæ profeſſionis eſſe notam. Quem errorem ſupra cap. 14. ſatis refutavimus. Vnum hoc ſufficiet argumentũ, quod calix vocetur fœdus in ſanguine. Ergo promiſſioné exprimit ad fidei confirmationé. Proinde ſi S. Cœna recte uti volumus, ad Deũ ejuſq; promiſſiones reſpicere oportet. S. 6.

13. Tertio errant etiam, qui dum noſtram cum Chriſto communionem definire volunt, nos Spir. tantum participes faciunt, prætерita carnis & ſanguinis mẽtione. Quos uno verbo refutat Chriſtus, quando carnem ſuam teſtatur eſſe vere cibum, & ſanguinem ſuum vere potum, nec quenquam habere vitã, niſi qui carnem illam manducaverit, & ſanguinem illum biberit. Ad pleniorem hujus rei intellectum. I. fatemur tantam eſſe hujus myſterii ſublimitatem, ut ei nec mens cogitãdo, nec lingua explicando par eſſe poſſit. II. Nos Scripturæ ductu credimus Chriſtũ ab initio vivificum illud Patris verbum fuiſſe, qui omnibus vitæ fons eſt & origo. Vnde ſermo vitæ nuncupatur & in ipſo vita fuiſſe dicitur. Ioh. 1. 4. Sed quia homo per peccatum à Deo alienatus in morte jacet, non poteſt non remotiſſimus eſſe ab illo Sermone vitæ. Ideo placuit Filio Dei, aſſumta noſtra carne, ſe viſendũ oculis, manibuſque palpandum præbere, & vim iſtam in carnem, quam induit, diffundere, ut inde ad nos vitæ communicatio promanaret. Itaq; non modo vita eſt, quatenus Sermo eſt Dei æternus, ſed etiam quatenus fons ille vitæ habitat in carne noſtra, nec procul à nobis abſconditus eſt, ſed coram ſe participandum exhibet. Hinc ſe panem vitæ vocat, &

carnem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

carnem ſuam, quam daturus ſit pro mundi vita vere eſſe cibum, & ſanguinem ſuum vere eſſe potum docet. Ioh.6.48.51.55. ut certi ſimus hiſce alimentis in vitam æternã fideles educari. In quo piis ſita eſt eximia conſolatio, quando vitam in propria carne ultro ſibi expoſitam habent, ut nihil aliud ſuperſit, niſi ut præſentem amplexentur. III. Etſi autem tantã à ſeipſa virtutem non habet Chriſti caro ut nos vivificet, (nam & prima ſui conditione mortalis fuit, & nunc immortalitate prædita per ſe non vivit) jure tamen vivifica dicitur, quoniam vitæ plenitudine perfuſa eſt, idq; ut eam ad nos tranſmittat. Quo ſenſu recte dicitur Filio Patrem dediſſe vitam habere in ſemetipſo Ioh. 5.26. Agitur enim ibi de dotibus quibus ornatus fuit in carne, in qua apparuit. Quocirca caro Chriſti eſt inſtar fontis inexhauſti, quæ vitam à divinitate in ſeipſam ſcaturientem ad nos transfundit. Itaq; quiſquis carni ſuæ ac ſanguini communicarit, vitæ participatione ſimul fruitur. S.7.8.9.

14. Hinc colligimus communionem carnis & ſanguinis Chriſti neceſſariam eſſe omnibus, qui ad cœleſtem vitam aſpirant. Id porro demonſtramus ex illis Apoſtoli ſententiis, quibus aſſeritur, Eccleſiam eſſe corpus Chriſti, ipſum vero eſſe caput, ex quo totum corpus incrementum ſumit. Eph.1.23. & 4.15. Item corpora noſtra eſſe membra Chriſti. 1 Cor.6.15. Et multo adhuc luculentius. Eph.5.30. Nos eſſe membra corporis ipſius, ex carne & ex oſſibus ejus. At hæc vera non ſunt, niſi totus ſpiritu & corpore nobis adhæreat. Quia vero hæc fidelium cum carne & ſanguine Domini cõmunio verbis omnibus major eſt, ideo addit magnũ hoc eſſe arcanum, quod admirari quam explicare malit. Eph.5.32. II. Eodem ſpectant voces manducã-

di &

di & bibendi, quibus Chriſtus in hoc negotio utitur. Ioh. 6. Harum enim non quadraret analogia, niſi Chriſtus nos carnis ſuæ eſu & ſanguinis potu paſcat atque reficiat. Quod ſi cui in tanta locorum diſtantia videtur incredibile, meminerimus hoc fieri Spiritus S. operatione, cujus immenſa virtus longe ſupra ſenſus noſtros eminet, & vere unire poteſt quæ locis disjuncta ſunt. III. In eum quoq; finem inſtituta eſt S. Cæna, in qua hanc carnis & ſanguinis ſui communicationem teſtatur & obſignat, nõ inani aut vacuo ſigno, ſed efficaciam Spiritus ſui illic proferens, qua impleat quod promittit. Vere enim Chriſtus rem ſignatam offert & exhibet omnibus accedentibus ad illud ſacrum epulum, licet à fidelibus ſolis cum fructu percipiatur. Atq; hinc eſt quod Paulus panem vocat communionem corporis, & calicem communionem ſanguinis Chriſti. Etſi enim fractio panis ſit ſymbolum, non res ipſa, tamen quia Deus verax eſt, & fallere nequit, non eſt dubium quin vere præſtet & exhibeat illam corporis ſui participationem, quam in ſymbolo repræſentat. Denique certiſſima eſt regula: Quoties Dominus ſymbola inſtituit, etiam rei ſignatæ veritatem adeſſe voluit. Atqui præbet in S. Cæna corporis ſymbolum viſibile: ergo & ipſum corpus præbet. S. 9. 10.

15. Vt rem adhuc melius percipiamus, dicimus S. Cœnam conſtare duabus rebus: 1. corporeis ſignis quæ res inviſibiles oculis repræſentant. 2. Spirituali veritate, quæ per ſymbola figuratur ſimul & exhibetur. Hanc in tribus hiſce ponimus, ſignificatione; materia, quæ ex iſta dependet: virtute ſeu effectu, qui ex utraque conſequitur. Significatio ſita eſt in promiſſionibus, quæ quodammodo ſigno ſunt implicitæ. Materiam aut ſubſtantiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

vocamus Chriſtum cum ſua morte & reſurrectione. Per effectum intelligimus, redemtionem, juſtitiam, ſanctificationem, vitam æternam, &c. Hæc omnia fide percipiuntur, Chriſtus inquam totus cum ſuis donis omnibus. Non ſic tamẽ quaſi imaginatione duntaxat aut intelligentia concipiatur. Offerunt enim Chriſtũ promiſſiones, ut vera ejus communicatione fruamur. Tunc ergo bona iſta ad nos perveniunt, quando Chriſtus ſe noſtrum facit. Atq; hoc eſt quod in ſignis panis & vini nobis exhibetur, nos ſcilicet vere corporis & ſanguinis Chriſti participes fieri, ut primum in unum corpus cum ipſo coaleſcamus: deinde participes ejus ſubſtantiæ facti in bonorum quoque ſocietatem veniamus. S. 11.

16. Hactenus errores vidimus qui in defectu, nunc eos examinemus qui in exceſſu peccant. Hic mira aſtutia luſit Satan & mentes hominum è cælo abſtractas perverſo errore imbuit, ac ſi panis elemento affixus eſſet Chriſtus. Primum hic nobis res eſt cum Papiſtis, qui præſentiam localem in Sacramento ſomniant: ac ſi corpus Chriſti manibus attrectandum, atterendum dentibus, ore deglutiendum ſiſteretur. Sed verba tam ſunt prodigioſa, ut ipſe gloſſæ author moneat pejoris hæreſeos ſubeſſe periculum, niſi prudenter ſibi caveant lectores. S. 12.

17. Petrus Lombardus in excuſanda abſurditate multum laborat, magis tamen inclinat in ſentiam oppoſitam. Nec immerito. Nam I. Finitum eſſe corpus Chriſti, & cælo contineri uſq; dum redeat, minime ambigimus. Ergo nefas eſt illud ſub corruptibilia elementa retrahere, aut ubique præſens imaginari. II. Ne quidem opus eſt. Nam ut Chriſti participatione fruamur, ſatis eſt nos nexu

Spiritu

Spiritus Chriſto copulari. Nam hoc beneficium per Spiritũ ſuum Dominus largitur, ut unum corpore, Spiritu & anima ſecum fiamus. Ipſe eſt vinculum noſtræ conjunctionis cum Chriſto, & quidam veluti canalis, per quem quidquid Chriſtus ipſe eſt & habet ad nos derivatur. Qua de cauſa vim hujus participationis univerſam Scriptura ad Spiritum refert, præſertim Rom. 8. 9. 10. 11. Ubi non tollit eam, de qua nunc nobis ſermo eſt, carnis & ſanguinis cõmunionem, ſed ab uno in nobis inhabitante Spiritu effici docet, ut totum Chriſtum poſſideamus & habeamus in nobis manentem. III. Etiam ſimili hoc poteſt demonſtrari. Si enim Sol longe à nobis poſitus radiis in terram emicans, ad generandum, fovendum & vegetandum ſuam quodammodo ſubſtantiam ad eam trajicit, cur inferior eſſet Spiritus irradiatio ad communionem carnis & ſanguinis Chriſti in nos traducendam? S. 12.

18. Scholaſtici verecundius agere videntur, quando nec circumſcriptive nec corporali modo contineri illic Chriſtum concedunt. Interim ſubtilioribus præſtigiis ludunt, & Chriſtum in ſpecie panis, uti vocant, quærere jubent. Quamquam vero hanc rationem nec ipſi intelligant, nec aliis explicare valeant, tamen contendunt ſic Chriſtum eſſe in Sacramento, ut ſimul in cœlo maneat, nec aliam quam habitudinis præſentiam à ſe ſtatui. Iſtorum omnium hic finis eſt, ut per conſecrationem, qui antea panis erat, fiat Chriſtus, ut ſub albedine & colore panis lateat. Vide Lombardum Lib. 4. diſt. 12. Hinc prodiit fictitia tranſſubſtantiatio & converſio panis in corpus, ſubſtantia panis in nihilum redacta, ſub cujus tamen figura & colore, qui ſupereſt, Chriſtus ſe occultet. At I. An-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

non hac ratione Chriſtum affigunt albedini, idque abſurdiſſime. II. Panis ergo figura nihil aliud erit quam larva, quæ carnis conſpectum auferat oculis. III. Nonne & hoc abſurdum eſt, de vera fide, qua ſola Chriſto conjungimur, parum ſollicitos, carnalem tantum præſentiam quærere? IV. Hoc etiam ingenioſa ſua ſubtilitate effecerunt, ut panis pro Deo habeatur. V. Monſtrum hoc ignotum fuit veteri Eccleſiæ non priori duntaxat, quæ purior habetur, ſed etiam poſtquā nonnihil à puritate degeneravit, ut plane novū ſit figmentū. S. 13. 14. 15.

19. Excipiunt Patres converſionis voce in hoc negotio uti, adeoque docere in conſecratione fieri arcanam converſionem, ut jam aliud ſit, quam panis & vinum. R. I. Neminem veterum eſſe, qui Sacra Cænæ ſymbola non fateatur diſertis verbis panem & vinum eſſe: omnes dicunt S. Cænam cōſtare duabus partibus, terrena & cæleſti: terrenam vero interpretantur panem & vinum. II. Nihil minus voce converſionis indicatum voluerunt, quam panis ſubſtantiam in nihilum redigi, ſed uſu alium eſſe, quia myſterio dicatus non ſit amplius communis cibus, ventri paſcendo deſtinatus, ſed talis in quo nobis exhibetur ſpiritualis animæ cibus & potus. Quod ipſum & nos libenter concedimus. S. 14.

20. Inſtant. Si converſio ſit, neceſſe eſt aliud ex alio fieri. R. Damus, ſi intelligant uſū aliquid fieri, quod prius non erat. Addimus idem à veteribus dici de Baptiſmo. At aquam ibi manere nemo negat. Quod diſcrimen fingunt ex verbis Cænæ, qualia in Baptiſmo non reperiantur, jejunum eſt. De voce converſionis quæritur, quæ Patribus nihil amplius in Cæna ſignificat, quam in Baptiſmo. S. 14.

21. VI. Si ſtatuenda ſit converſio, evertitur Sacramenti natura, & tollitur analogia vel ſimilitudo, quæ deducere nos à re viſibili ad inviſibilem debet. Neque enim longius ſe extendet ſignificatio, quam nos ſpecie carnis Chriſti paſci. At voluit Chriſtus externo ſymbolo teſtari carnẽ ſuam eſſe vere cibum, atque ſic ſuſtinendæ noſtræ imbecillitati ſuccurrere. Iam ſi inane tantum panis ſpectrum, non verus panis apponitur, fallax erit ſpectaculum: tanquam ſi in Baptiſmo ſub figura aquæ oculos velis fallere, non certum ablutionis pignus tradere. Ita quoque hic perit myſterii veritas & fidei certitudo, niſi verus panis verum Chriſti corpus repræſentet. VII. Si ſpectrum panis duntaxat proponitur, quomodo ſtabit Pauli collectio, nos omnes panem unum atque corpus unum eſſe, quia panem unum ſimul participamus. 1 Cor. 10. 17. VIII. Craſſum hunc errorem promovit conſecrationis opinio, quæ tantundem apud eos valet, atq: magica incantatio. Atqui ſcire debebant, panem non ſibi, ſed hominibus ad quos dirigitur, eſſe ſacramentum. Patet hoc 1. Ex Baptiſmi aqua, quæ in ſe nõ mutatur, ſed nobis eſſe incipit, quod prius non erat, quum additur promiſſio. 2. Ex ſimili Sacramento aquæ profluentis è petra. Exod. 17. 6. Docet autem Paulus, Iſraëlitas eundem potum ſpiritualem nobiſcum bibiſſe. 1 Cor. 10. 4. Fuit proinde ipſis ſignum ejuſdem rei, quam nobis vinum repræſentat in Cœna. Iam vero jumentis communis erat aquatio. Non ergo in ſubſtantia facta eſt converſio in elemento terreno, ſed hominum reſpectu facta intelligitur, dum ad ſpiritualem uſum, tanquam promiſſionis ſigillum, adhibitum fuit. IX. Etiam ipſo ſacramenti fructu hac ſententia ſeipſos fruſtrantur. Dei conſilium eſt, commodis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

vehiculis nos ſurſum ad ſe attollere. At intervalla locorum impediunt, quo minus ad Chriſtum uſq; ſupra cælos penetrare poſſimus. Quod natura negabat, magis noxio pharmaco corrigere tētarunt, jubendo ſub pane Chriſtum quærere inviſibiliter latentem: ut ſcilicet manentes in terris nulla cæleſti Chriſti propinquitate egerent. X. Vel hoc ſolum poteſt ſufficere ad converſionem iſtam evertendam, quod poſt conſecrationem pars utraque Sacramenti panis & vini nomen retinet. 1 Cor. 11.26.27.28. S. 14.15.

22. Solent excipere. I. Virgam Moſis converſam in ſerpentem, tamen priſtinum virgæ nomen retinere. Eodem modo quamvis in novā ſubſtantiam tranſeat panis, tamen non inepte ſic vocari, quod panis apparet oculis. R. 1. Diſtinguendum eſſe inter præſtigias Ægyptiorum & illuſtre miraculum quod edidit Moſes. Illi enim nihil aliud quam tenebras ſpectantium oculis offuderunt. Et vere hic nulla fuit converſio. Vnde etiam ad profligandas eorum fallacias, una Moſis virga reliquas omnes narratur abſumſiſſe. II. Quod ad Moſen attinet, neſcitur ſubſtantiæne fuerit illa converſio. Interim fatemur nihilomagis Deo difficile fuiſſe ex virga facere ſerpentem, & rurſus virgam ex ſerpente, quam induere Angelos carneis corporibus, & paulo poſt exuere. Sed negamus hoc ad præſentem cauſam pertinere. 1. quia extemporalis & ocularis fuit illa converſio. Vnde exiguo poſt tempore virga rediit viſibiliter ad ſuam formam. At hujus quam ipſi fingunt converſionis in Cœna nullus in terra oculus teſtis eſt. 2. Nihil cum iſta Moſaica cōverſione ſimile habent locutiones iſtę, Panis quem frangimus, &c. Quoties ederitis panē hunc, &c. 1 Cor. 10.16. & 11.26. Item Communicabant

nicabant in fractione panis, &c. Act. 2. 43. 3. Denique nec vere nec apte promitteretur in Cœna carnem Chriſti vere nobis eſſe in cibum, niſi vera externi ſymboli ſubſtantia reſponderet. Ergo ne affinis quidem, multo minus eadem eſt hujus myſterii ratio. S. 15.

23. II. Excipiunt Ieremiam cap. 11. 19. conqueri lignum poſitum eſſe in pane ſuo. R. Inſulſe hoc torqueri ad probãdam tranſſubſtantiationẽ. Etenim figurata eſt loquutio, qua Propheta ſignificat hoſtium ſævitia panem ſuum infectum eſſe amaritudine. Qua figura etiam David uſus eſt Pſal. 69. 22. Nec obſtat quod nonnulli veterũ hinc allegorice concluſerint corpus Chriſti ligno crucis fuiſſe affixum: quia conſtat ſenſum hunc cum genuino Prophetæ ſenſu non convenire. S. 15.

24. Proſtrata Tranſſubſtantiatione ſequitur ut Conſubſtantiationis errorem refutemus, & ex eo natam Vbiquitatem. Nam quidam, cum viderent non poſſe analogiam ſigni & rei ſignatæ convelli, quin myſterii veritas concidat, fatentur manere ſubſtãtiam panis in Cœna, ſed volunt ſub ſe habere incluſum Chriſti corpus. Cujus dicti ſi hic ſenſus eſſet, quando panis in myſterio porrigitur, annexam eſſe exhibitionẽ corporis, quia inſeparabilis eſt à ſigno ſuo veritas, non valde pugnaremus. Sed quia in & ſub pane Corpus Chriſti locant, partim ubiquitatem illi affigunt, partim ſub illo tanquam inviſibile corpus & occultum latere volunt. Et quidquid obtendant, ſatis apparet eos locali Chriſti præſentiæ inſiſtere. Fons erroris in eo eſt, quod non aliam carnis & ſanguinis participationem cõcipiunt, niſi quæ vel loci conjunctione atq; cõtactu, vel craſſa aliqua incluſione conſtet. S. 16.

25. Hunc errorem pejori errore cumulant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Nec tamen omnes eodem modo loquuntur. Quidam ex ipſis jactant, non alias unquam dimenſiones habuiſſe Chriſti carnem, niſi quam longe lateque cælú & terra patent. Quod ex utero natus ſit, & creverit, & in cruce expanſus, ſepulchro incluſus dicitur, id ajunt diſpenſatione quadam factum eſſe, ut humilitatis officiis defungeretur. Quod ſolita corporis ſpecie poſt reſurrectionem conſpectus, in cælum aſſumtus, Stephano & Paulo viſus ſit, eadem diſpenſatione factum, ut ſe regem cæleſtem eſſe oſtenderet. Atqui vero hac ratione corpus Chriſti merum phantaſma fuerit, quod eſt Marcionem ex inferis excitare. S. 17.

26. Alii paulo argutius ſomniant, corpus quod in Sacramento datur, glorioſum eſſe & immortale. Proinde nihil eſſe abſurdi, ſi pluribus in locis, ſi nullo loco, ſi nulla forma ſub Sacramento continetur. At I. Reſpondeant nobis, quale corpus ſuum diſcipulis in prima Cœna Chriſtus diſtribuerit. Sane negari non poteſt, quin fuerit mortale, paulo poſt tradendũ, & quod imminente hora paſſionis humiliatum & à Deo percuſſum erat. Nam quod jam ante diſcipulis tribus in morte gloriam ſuam conſpiciendam præbuerit, ad horam illam pertinere omnes norunt, qua Chriſtus guſtum aliquem ſuæ gloriæ ad breve tempus exhibere voluit. Nec tamen hic duplex reperient corpus, nec unquam probabunt Chriſtũ in Cœna gloriam reſurrectionis præbere voluiſſe. II. Sic itidem Marcioni feneſtram aperiunt, ſi corpus Chriſti uno loco videbatur mortale & paſſibile, alio immortale & glorioſum. Sane ſi eorum opinio valet, idem quotidie accidit. Nam fateri coguntur, corpus Chriſti in ſe viſibile, latere inviſibiliter ſub pane. S. 17.

27. In genere tamen dicant nobis Conſubſtan-

tiationis

tiationis patroni, quando corpus & ſanguinem pani affigunt, quomodo non alterum ab altero divellant? Quum enim corpus in pane, ſanguinem in calice eſſe affirment (jam verò panis ſeorſum à calice porrigitur) annon à ſanguine corpus neceſſario eſt divellendum? Cōcomitantiæ enim figmentum ut nimis abſurdū facile rejicimus. Patet enim ſymbola, quibus corpus & ſanguinē Chriſti includunt, diſtincta eſſe, & locorum ſpatiis diſſita. S. 18.

28. Rectius facerent, ſi nos docerent oculis animiſq; in cœlum evehi, ut Chriſtum integrum in regni ſui gloria quæramus. Nam tametſi corpore in cœlum aſcendit, tamen ad dextram Patris ſedet, & in potentia & gloria Patris regnat. Nihil ergo impedit, quo minus ſe præſentem ſuis exhibeat potentia & virtute, vitam inſpirans, unde vivant, confirmentur, vegetentur & conſerventur incolumes, communione corporis ſui, quod pro nobis traditum eſt, quæ vita per virtutem Spiritus in credentes transfunditur. Quo etiam nos invitant ſymbola externa. Ita ſiquidem ſub panis ſymbolo corpore ejus paſcimur, & ſub vini ſymbolo diſtincte ejus ſanguine potamur, ut tamen ipſo toto perfruamur. S. 18.

29. Breviter talem Chriſti præſentiam in Cœna ſtatuere oportet, quæ nec panis elemēto ipſum affigat, nec in panem includat: deinde, nec menſuram illi ſuam auferat, vel pluribus ſimul locis diſtrahat, vel immenſam illi magnitudinem affingat. Illud enim derogat cæleſti gloriæ Chriſti, dum alligatur corruptibilibus & terrenis creaturis. Iſtud naturæ ejus humanę veritati palam repugnat, dum vel infinitum eſſe dicitur, vel in pluribus locis ſimul ponitur. S. 19.

30. His abſurditatibus ſublatis libenter recipi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mus, quidquid ad exprimendam veram ſubſtantialemque corporis ac ſanguinis Domini communicationem, quę ſub S. Cœnæ ſymbolis exhibetur, facere poteſt, ita ut non imaginatione duntaxat aut mentis intelligentia percipiatur, ſed ut Chriſto reipſa fruamur ad alimentum vitæ æternæ. Atque hæc noſtra ſententia Scripturis optime per omnia convenit; nihil continet vel abſurdi, vel obſcuri vel ambigui: à vera pietate & ſolida ædificatione non recedit: nihil denique habet in ſe, quod quempiam offendat, niſi forte quorum animos Sophiſtarum inſcitia & barbaries præoccupavit. Quorum calumniis ut occurramus, ſententiam noſtram accuratius tueri & aſſerere operæ pretium erit. S. 19.

31. Primum conſideremus verba inſtitutionis S. Cœnæ, ut appareat nos non diſcedere à verbis Chriſti. Narrant tres Euangeliſtæ & Paulus, Chriſtum accepiſſe panem, fregiſſe gratiis actis, dediſſe ſuis diſcipulis, dixiſſe, accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, vel frangitur. De calice ita Matthæus & Marcus, Hic calix eſt Sanguis Novi Teſtam. qui pro multis funditur in remiſſionem peccatorum. Paulus & Lucas, Hic calix eſt Novum Teſtamentum in meo ſanguine. Si Tranſſubſtantiatoribus credimus, pronomen *Hoc* ſpeciem panis denotat, quia peracta conſecratione nulla eſt ſubſtantia, quæ monſtrari queat. At hoc commentum à proprietate verborum eſt alienum. Chriſtus teſtatur, quod in manum porrigebat diſcipulis, ſuum eſſe corpus. Iam vero ſumſerat panem. Ergo panem oſtendit. Proinde abſurde ad ſpeciem panis transfertur, quod de pane prædicatur. Alii particulam, eſt, pro tranſſubſtantiari poſitam interpretantur. Atqui hoc genti-

gentibus & linguis omnibus eſt inauditum, ut verbum, Eſt, idem ſit atque converti in aliud. Fruſtra ergo verborum religionem obtendunt. S. 20.

32. Conſubſtantiatores panem in Cœna relinquunt, ſed ſine figura volunt eſſe ipſum Chriſti corpus. Et multa tamen illis inter ſe eſt varietas. Qui modeſtius loquuntur, præciſe quidem urgent literam, ſtatim tamen à rigore deflectunt, & *Hoc eſt corpus meum* tantundem ipſis valet, atque corpus Chriſti eſt cum pane, in pane, & ſub pane. Atqui multum differunt, panem eſſe corpus & corpus eſſe cum pane. Sic à verbis Chriſti ad ſuas loquendi formulas tranſiliunt. Quidam audaciores, ut ſe vere literales eſſe probent, non dubitant aſſerere, proprie loquendo panem eſſe corpus. Sed I. ita ſequeretur, panem eſſe Chriſtum, & eſſe Deum. Omnes enim conſentiunt totum Chriſtum nobis offerri in Cœna. Iam vero blaſphemum eſt ſine figura prædicari de elemento corruptibili, quod ſit Chriſtus. II. Concedant neceſſe eſt has duas propoſitiones, *Chriſtus eſt Filius Dei, & Panis eſt Chriſti corpus,* eſſe longiſſime diverſas. Vnde autem differentia? Non aliam ſane adducent, niſi quod ſacramentali modo panis vocatur corpus. Non ergo proprie. III. De verbis Chriſti *Hoc eſt corpus meum* hoſtiliter litigant, quod figurate accipi nequeant, quia ſint aperta. Cur nõ etiam de illis, Calicem eſſe teſtamentum in ſanguine? Vtrinque enim eadem debet eſſe religio. Certe interpres Paulo & Luca fidelior & certior haberi nequit. Quę in priori parte myſterii obſcurius dicta ſunt, ex altera, ubi pluribus verbis explicatur, ſic interpretemur, panem eſſe corpus Chriſti, quia fœdus eſt in corpore. Ita autem in Chriſti corpore & ſanguine teſtamentum erit, quod non aliter proſit

nobis

nobis fœdus ſacrificio mortis Chriſti ſancitum, niſi accedat arcana illa cõmunicatio, qua in unum cum Chriſto coaleſcimus. Cujus rei panis & vinum ſymbola ſunt. Si hæc impugnant, cum Paulo & Luca certamen illis eſt. S.20.

33. Nos dicimus panem eſſe corpus, quia nomen rei attribuitur ſymbolo, propter affinitatem quam habent cum ſuis ſymbolis res ſignatæ. Allegorias & parabolas omittimus. Metonymicũ eſſe ſermonem aſſerimus, paſſim in Scriptura uſitatũ, ubi de ſacramentis agitur. Sic tranſlatitiè dicitur, Circumciſionem eſſe fœdus: agnum eſſe tranſitum, ſacrificia Legis eſſe expiationes: petram in deſerto fuiſſe Chriſtum. Nec ſolum à digniori ad inferius nomen transfertur, ſed contra etiam rei ſignatæ tribuitur nomen ſigni viſibilis: ut quum Deus dicitur apparuiſſe Moſi in rubo: arca fœderis vocatur Deus & Dei facies: & columba Spiritus Sanctus. Ratio hujus tranſlatitiæ appellationis conſtat ex analogia. Etſi enim ſymbolum ſit corporeum & viſibile, res ſignata vero ſpiritualis & cæleſtis, à qua ſymbolum eſſentia differt, tamen quia rem, quam repræſentat, non figurat tantum ceu nuda & inanis teſſera, ſed vere etiam exhibet, merito propter ſimilitudinem & vicinitatem alterius ad alterum, proclivis ultro citroque fit deductio. Ejus rei veritas conſtat I. Ex eo quod etiam humanitus excogitata ſymbola rerum tamen titulis interdum ornantur, quamvis imagines plærunque ſint rerum abſentium, ſæpe etiam fallaciter res ipſas adumbrent. Quanto magis ſigna à Deo inſtituta mutuabuntur rerum nomina, quarum & minime fallacem ſignificationem ſemper gerunt, & adjunctam habent ſecum veritatem. II. Cum hæc metonymia ſacramentis omnibus ſit communis,

certe

certe ſicut petra dicitur Chriſtus. 1 Cor. 10.4. quia ſymbolum erat, ſub quo ſpiritualis potus percipiebatur, ita panis Chriſti corpus nuncupatur, quia ſymbolum eſt, quo veram corporis ſui manducationem Dominus nobis offert. III. Idem ſenſit Auguſtinus. Si ſacramenta, inquit, quandam ſimilitudinem non haberent earum rerum, quarũ ſunt ſacramenta, utique ſacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerunq; etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Excipiunt hic Auguſtinum non meminiſſe S. Cœnæ. R. 1. Poſito genere poni ſpeciem. 2. Eundem Patrem alibi etiam ad Cœnam reſtringere. Vt quum ait, Chriſtum non dubitaſſe vocare corpus ſuum, quum ſignum & figuram corporis ſui daret Apoſtolis ſuis. S. 21.

34. Sed hic objiciunt. I. Verbis iſtis, *Hoc eſt*, tantam ineſſe emphaſin, ut nullam figuram admittant. Proinde non ejuſdem eſſe generis cum aliis ſacramentis. R. Nec antecedens omnino verum eſt, & porro negamus conſequeniam. Nam I. ubi de ſacramentis agitur, idem fere verbum occurrit. Panis eſt *κοινωνία* corporis Chriſti. 1 Cor. 10. 16. At aliud eſt cõmunicatio, quam corpus ipſum. Baptiſmus eſt lavacrum regenerationis. Tit. 3. 5. Et tamen multis eſt inutilis. Circumciſio eſt fœdus. Gen. 17. 13. Agnus eſt Peſah. Exod. 12. 43. Petra eſt Chriſtus. 1 Cor. 10. 4. An minus emphaticum his locis eſt verbum ſubſtantivum? II. Sic etiam Ioh. 7. 39. legimus, *Nondum erat Spiritus S.* Et 1 Cor. 12. 12. de Eccleſia dicitur, *Hæc eſt Chriſtus*. Habet & hic emphaſin verbum *Eſt*. Nemo tamen ex eo negabit æternam Spiritus eſſentiam, aut Eccleſiam confundet cum Chriſto. S. 22.

35. II. Odioſe jactant humanum ſenſum nobis obſtare, quo minus credamus verbis Chriſti. R.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Mera hæc eſt calumnia. Nos ea non minus amplectimur quam ipſi, ſed majori religione expendimus. Tantum hoc agitur, an nefas ſit de genuino ſenſu ſciſcitari. S. 22.

36. III. Vetant vel tantillum à litera diſcedere. R. Habeat ergo Deus oculos, aures, manus, pedes, quod Anthropomorphitæ urgebant, quia mēbra hæc ei ſcriptura aſſignat. At omnes norunt per tranſlationem hęc dici. Et, ſi hęc lex ſtatuenda ſit, quid non abſurdi ex Scripturis poſſit elici? S. 23.

37. IV. Objiciunt, Non eſſe veriſimile Chriſtū, quando Apoſtolis ſingulare pararet ſolatium, ænigmatice loquutum eſſe vel obſcure. R. Dilucidam fuiſſe diſcipulis conſolationem nullo ænigmate implicitam. Intelligebant nomen rei ſignatæ ſigno tranſſcribi, quod in myſteriis ſciebant non eſſe inſolens. Et ſine dubitatione edendo conſenſum ſuum teſtantur. Sane cum toties in minimis difficultatibus perplexi hæreant, non tam faciles fuiſſent ad credendum quod repudiat ratio, Chriſtum ſcilicet in menſa diſcumbentem ſub ſuo conſpectu, inviſibilē tamen includi ſub pane. S. 23.

38. Sed ad hæc omnia breviter reſpondemus, ſi præciſe verbis Chriſti ſit inſiſtendum, quum panem corpus ſuum & vinum ſanguinem ſuum diſtincte vocat, aut confuſa erit battologia, aut erit partitio, quæ corpus à ſanguine dividat. Imo ſequetur ex hoc errore, panem eſſe ſanguinem & calicem eſſe corpus Chriſti. Deniq; quum fateantur panem & corpus eſſe res diverſas, quomodo alterum de altero proprie & ſine figura prædicabitur? Nemo dicit veſtem proprie vocari hominem, quam concedit diverſam eſſe ab homine. Injuriam proinde nobis faciunt iſti literales & ſyllabarum aucupes, quaſi Chriſtum accuſemus mendacii,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

dacii, aut fidem verbis ejus detrahamus, quæ ipſi furioſe pervertunt ac confundunt, nos autem fideliter ac dextre explicamus. S. 23.

39. V. Hujus mendacii infamiæ alterum aſſuunt crimen, nos ita rationi humanæ eſſe addictos, ut nihilo plus tribuamus Dei potētiæ, quam naturæ ordo patitur, & dictat communis ſenſus. R. I. Improbam hanc eſſe calumniam. Dicimus Chriſtum perinde animas noſtras è cœlo paſcere carne ſua, atq; corpora pane & vino aluntur. Addimus Chriſtum tam externo ſymbolo, quam Spiritu ſuo ad nos deſcendere, ut vere ſubſtantia carnis & ſanguinis ſui animas noſtras vivificet: nos vero fidei alis ſuperato mundo tranſcēdere in cœlos. Hic nihil magis præter naturam, quam ut vitam ſpiritualem & cæleſtem animæ mutuentur à carne, quæ originem ſuam è terra accepit, & morti fuit ſubjecta: nihil magis incredibile, quam res toto cœli & terræ ſpatio remotas, ita non ſolum conjungi, ſed uniri, ut alimentum percipiant animæ ex carne Chriſti. Quam multa quivis ſentit in paucis hiſce verbis ſubeſſe miracula, totidem arcanæ Dei potentiæ argumenta? II. Dicimus non eſſe quærendum, quid Deus potuerit, ſed quid voluerit. Placuit ipſi Chriſtum fratribus per omnia ſimilem fieri excepto peccato. Iam noſtra caro certa ſua dimenſione conſtat, quæ loco continetur, tangitur, & videtur. Non facit ergo Deus, ut eadem Chriſti caro plura & diverſa loca occupet, ut nullo loco contineatur, ut modo & ſpecie careat. III. Potentiæ Dei contradictoria attribuunt, ut carnē Chriſti faciat ſimul eſſe & non eſſe carnem. Non minus ac ſi lucem dicant ſimul eſſe lucem & tenebras. Quo ipſo ordinem ſapientiæ Dei pervertunt. Sicut voluit lucem eſſe lucem, & tenebras

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eſſe tenebras, ita carnem voluit eſſe carnem & Spiritum eſſe Spiritum, denique unumquodque ea eſſe lege & conditione, qua à Deo creatũ eſt. Iam vero, teſte Auguſtino, ſic carnem induit Chriſtus, ut ei gloriam quidem dederit, naturam & veritatem non abſtulerit. S.24.

40. Excipiunt ſe habere verbum, quod teſtatur de voluntate Dei. Non ergo dubitandum de potentia. R. I. Sic olim Anthropomorphitæ & Marcion & Manichæi jactabant ſe habere expreſſa Scripturæ verba. At ſicut cum illis Patres, ita & nos cum Vbiquitiſtis de ſenſu diſputamus. II. Potentiam Dei in dubium non vocamus, ſed figmentis eorum reſiſtimus, quibus totum naturæ ordinem evertunt, & Deum circumſcribere audent, idque ſine Scriptura. Ex quo enim verbo ſumſerunt corpus Chriſti in cœlo eſſe viſibile, latere inviſibile in terra ſub innumeris fruſtulis panis? Vnde etiam probabunt carnem Chriſti corporaliter eſſe in Cœna comedendum? III. Tantum abeſt ut quidquam de potentia Dei velimus imminutum, ut doctrina noſtra apprime magnificum ejus ſit elogium. S.25.

41. Quod vero nos inſimulant, quaſi myſterium hoc humanæ rationis modo metiamur, & quamvis ore Chriſti promiſſum ſit, ideo tantum reſpuamus, quia ſecundum communem ſenſum creditu eſt difficile, id vero ut merum mendacium rejicimus. Nos in fidei myſteriis non conſulimus ſenſum cõmunem. De verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, inter nos & adverſarios quæritur. Illi commentum ſomniant à verbis Chriſti alieniſſimum, unde fœdæ exſurgunt abſurditates, ex quibus dum ſe explicare nequeunt, modo demergunt ſe in abyſſum omnipotentiæ Dei, modo præciſe

verbis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

verbis Chriſti inhærent, cujus voce contenti ſunt, etſi neſciant quomodo ſub pane lateat corpus Chriſti. Nos verborum Chriſti intelligentiam non minore obedientia, quam cura cõſequi ſtudemus. Nil temere accipimus, ſed ſedula meditatione ſenſum amplectimur, quem Spiritus Dei ſuggerit: ex perpetuo Scripturæ uſu Sacramentis communem explicationem laudamus. Nec nefas eſſe ducimus, ſanctæ Virginis exemplo, in re ardua ſciſcitari, quomodo fieri poſſit, Luc. 1. 34. S. 25.

42. Hactenus ex ipſis verbis S. Cœnæ ſententiam noſtram demonſtravimus. Eandem aliis rationibus, non ex Ariſtotele, ſed ex puro Dei verbo deſumtis, ſic porro probamus. Corpus Chriſti finitum eſſe ac cœlo comprehendi uſque ad ultimum diem tradit Scriptura. I. Dicit Chriſtus ſe abire, & relinquere mundum. Ioh. 14. 12. 28. Item ſe non ſemper fore cum diſcipulis in mundo. Matth. 26. 11. Iam non eſt dubium quin vere illud faciat, quod verba ſonant. S. 26.

43. Sed enim ad locum Ioh. 14. excipiunt, diſceſſum illum nihil aliud eſſe, quam mutationem mortalis ſtatus. R. Si hoc eſt, tum non ſubſtituiſſet Chriſtus Spiritum S. qui ſuppleret abſentiæ ſuę defectum. Certe advẽtus Spiritus & aſcenſus Chriſti antitheta ſunt. Ideo fieri nequit, ut Chriſtus ſecundum carnem nobiſcum habitet, eo modo quo Spiritum ſuum mittit. S. 26.

44. Ad locum Matt. 26. reſpondent Chriſtum negare ſe pauperem aut miſerum ſemper fore. R. 1. Ex ſcopo, non agi eo loci de egeſtate & inopia, vel miſero terrenæ vitæ ſtatu, ſed de cultu & honore. Non placebat diſcipulis unctio tam pretioſa, quam in pauperes expenſam maluiſſent. Sed Chriſtus ait ſe non ſemper fore præſentem, ut tali

honore

honore colatur. 2. Ex Auguſtini interpretatione, qui hæc verba, Me non ſemper habebitis, referenda dicit ad præſentiam corporis. Alioquin ſecundum majeſtatem providentiam & ineffabilem gratiam ſuam Chriſtum ſemper implere, quod dicit Matt. 28. 20. Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi. Vbi tribus modis Chriſtum præſentem nobis facit, Majeſtate, Providentia, Ineffabili gratia, ſub qua mirificam iſtam corporis & ſanguinis ejus cõmunionem comprehẽdimus, modo Spiritus S. virtute fieri intelligamus, nõ fictitia corporis ipſius ſub elemento incluſione. S. 26.

45. II. Chriſtum etiam poſt reſurrectionẽ verum retinuiſſe corpus, ipſe Chriſtus luculenter indicat, quando carnem ſe habere & oſſa teſtatus eſt, quæ videri & palpari poſſent. S. 26.

46. III. Ipſum aſcenſus nomen toties repetitum, annon veram migrationem ex uno loco in alterum ſignificat? Hic. I. Nos rogant, an ergo certam cœli regionem Chriſto aſſignemus? R. curioſam eſſe hanc & ſupervacaneam quęſtionem, modo in cœlis eſſe credamus. II. Noſtra interpretatione rejecta ſuam reponunt, Per *Altitudinem* notari imperii majeſtatem. At eos refutat aſcendendi modus. Spectantibus diſcipulis in ſublime fuit evectus & receptus in cœlos. Act. 1. 9. Marc. 16. 19. Luc. 24. 51. III. Excipiunt nube interpoſita ſubductum fuiſſe è conſpectu, ut diſcerent fideles non fore poſtea in mundo viſibilem. R. Cur non potius momento evanuit, aut nubes eum collegit antequam pedem moveret, ut fidem faceret pręſentiæ inviſibilis? Cõtra ſublimis fertur in aërem & ſubjecta nube docet ſe non amplius eſſe quærendum in terra, ſed nunc domicilium ſibi eſſe in cœlis. Id ipſum Paulus aſſerit, atque inde jubet nos Chri-

ſtum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſtum exſpectare. Phil. 3.20. Idem Angeli dicunt, Ieſum aſſumtum in cœlos, ſic inde rediturum, quemadmodũ eum viderant aſcendere. Act. 1. 11. IV. Tergiverſantur effugio viſibilis & inviſibilis præſentiæ, tunc ſcilicet venturum viſibilem, qui in terra manſerit ſemper apud ſuos inviſibilis. R. Angeli talem duplicem præſentiam nullam inſinuant. Diſcipulos ſimpliciter faciunt oculatos aſcenſus teſtes, ne qua ſuperſit dubitatio. Porro jubent eos patienter exſpectare, donec redeat judex mundi, ut omnes pios ſecum in cœlum colligat. S. 27.

47. IV. Auguſtinus in hac materia, ut ſupra vidimus, totus plane noſter eſt. Nam quod eum nobis extorquere conantur, fruſtra eſt. Etenim nimis aperta ſunt ejus pronuntiata. De verbis Chriſti, Non dubitavit Dominus dicere *Hoc eſt corpus meum*, cum ſignum daret. De veritate corporis Chriſti, Corpora, ſi illis tollantur ſpatia locorum, nuſquam fore, & quia nuſquã erunt, penitus non fore. Immortalitatem carni ſuæ dedit Chriſtus, naturam non abſtulit. Secundum hanc formam non putandus eſt ubique diffuſus. Cavendum enim, ne ita divinitatem aſtruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, ut quod in Deo eſt, ſit ubique ut Deus. Vna enim perſona Deus & homo eſt, & utrumq; unus Chriſtus: ubique, per id quod eſt Deus, in cœlo, per id quod eſt homo. Item, Secundum præſentiam Majeſtatis nos ſemper habere Chriſtum: Secundum præſentiam carnis dictum eſſe, Me non ſemper habebitis. Item, Reliquit Chriſtus diſcipulos præſentia corporali, ut futurus ſit cum illis præſentia ſpirituali. Quæ contra ſolent afferre plane frivola ſunt. Vel enim, quę figurate ab ipſo dicta ſunt, proprie accipiunt: vel contra naturam ejus, quod generatim

neratim aſſeritur, falſo ſpecialé in cœna virtutem ſomniant, etiam contra mentem Auguſtini: vel abſurde carnem cum gratia & virtute, corporalem præſentiam cum viſibili confundunt. Quæ omnia plenius ab authore noſtro demonſtrantur. S.28.

48. Porro latebram illam præſentiæ inviſibilis, in qua cauſæ ſuæ præſidium ponunt, propius excutiamus. I. Nullam ex Scripturis ſyllabam proferent, qua probent inviſibilem eſſe Chriſtum. Eſt ergo mera principii petitio. II. Duplex faciunt Chriſti corpus, quod in ſe viſibile eſt in cœlo, in cœna ſpeciali diſpenſationis modo inviſibile. Itaq; ipſis ubique locorum eſt, ſed abſque forma. At hoc repugnat Petro aſſerenti Chriſtum cœlo capi, donec iterum adveniat. Excipiunt iniquum eſſe naturam glorioſi corporis ſubjicere communis naturæ legibus. Sed 1. Serveticum hoc eſt delirium, abſorptum fuiſſe corpus à divinitate. Nam ex cõſequenti idẽ pene dicunt. Etenim inter dotes glorificati corporis numerant inviſibili modo omnia implere. Quocirca ſequitur aboleri corpoream ſubſtantiam, nec ullum relinqui diſcrimen diuinæ & humanæ naturæ. 2. Ita multiforme & varium Chriſti corpus fingitur, quod uno in loco appareat, in altero ſit inviſibile. Quo poſito, ubi manet ipſa corporis natura ſuis dimenſionibus conſtans? ubi manet unitas? Rectius Tertullianus ex eo verum fuiſſe corpus Chriſti probat, quia in myſterio Cœnæ figura ejus proponitur in pignus vitæ ſpiritualis. At figura falſa eſſet, ſi quod repræſentat vere non eſt. 3. Probat Chriſtus Luc. 24.39. corpus ſuum glorioſum eſſe verum corpus, quia carnem & oſſa habet, quia palpari & videri poteſt. Aufer hoc proprium corporis attributum, jam caro eſſe deſinet. Latibulum fictitiæ diſpenſationis

ad quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ad quam confugiunt, eodem argumento fictum eſſe convincitur, quod Chriſtus probat ſe non eſſe ſpectrum, quia ſit in carne viſibilis. Hoc abſolute pronuntiatum diſtinctionem non admittit. Secus nova corporis definitio foret excudenda. Deinde nullum quoq; iſta diſpenſatio locum habet Phil. 3. 21. ubi dicitur Chriſtus hoc noſtrum humile corpus cõfiguraturus corpori ſuo glorioſo. At in iſtis qualitatibus nobis cum Chriſto nulla erit conformitas, ut cuique inviſibile ac immenſum ſit corpus. Falſo proinde hanc dotem glorioſo corpori Chriſti affingunt, quod multis in locis ſimul ſit, nulloq; ſpatio contineatur. 4. Hæc ſententia evertit carnis reſurrectionem. Indubium eſt Chriſtum nos facturum eſſe in carne noſtra conſortes & ſocios ſuæ tum reſurrectionis tum ejuſdem gloriæ. Aut ergo Chriſtus veſtitus gloria cœleſti eandem nobiſcum carnẽ retinuit, aut, ſi aliam inviſibilem & immenſam induit, ſpes noſtræ reſurrectionis periit. At vero nihil eſt è Scriptura evidentius, quam Chriſtum in vera carne natum, paſſum, reſuſcitatum eſſe, & in cœlos aſcendiſſe. Hæc autem eſt propria corporis veritas, ut ſpacio contineatur, dimenſionibus ſuis cõſtet, ut ſuam faciem habeat. In eo porro ſpei noſtræ certitudo & firma conſolatio, quod Chriſtus noſtram carnem in cœlum intulit. 5. Concludimus ſtultum eſſe hoc cõmentum, idque eo magis, quod tam mentes hominum quam Chriſtum pani affigit. Quorſum enim occulta ſub pane præſentia, niſi quod, dum Chriſtum ſibi conjunctum habere cupiunt, in externo ſymbolo ſubſidunt? Atqui Dominus nõ oculos tantum ſed omnes ſenſus noſtros è terra in cœlũ ſubducere voluit. Ideo etiam Dominus ſe attingi à Maria vetuit, quia nullibi quam in cœlo vult quæri. Ioh. 20. 17. S. 29.

49. I. Objiciunt Chriſtum poſtea viſum fuiſſe Stephano. Act. 7. 55. Item Paulo. Act. 9. 4. R. Non neceſſe fuit Chriſto locum mutare, qui ſervorum ſuorum oculis perſpicaciam dare potuit, quæ cœlos penetraret. S. 29.

50. II. Objiciunt Chriſtum exiiſſe è ſepulcho clauſo, & clauſis januis ad diſcipulos ingreſſum eſſe. Mat. 28. 6. Ioh. 20. 19. R. 1. Sicut aqua miraculoſe Chriſto iter præbuit Mat. 14. 25. ita ad ejus occurſum ſe flexit lapidis durities. 2. Probabilius eſt, ejus imperio amotum fuiſſe lapidem, & mox tranſitu dato in locum ſuum rediiſſe. 3. clauſis januis ingredi, hoc eſt, quum obſeratæ eſſent fores, non valet idem atq; penetrare per ſolidam materiam. Potuit enim ſibi patefacere aditum divina virtute, ut repente ſteterit inter ſuos admirabili plane modo. S. 29.

51. III. Citant ex Luc. 24. 31. Chriſtum ſubito evanuiſſe ex diſcipulorum oculis. R. 1. ἄφαντος factus eſt & diſparuit, ſed ab illorum oculis. 2. Tenuit illorum oculos, ut & antea, quum ſimul iter facerent. 3. Adhuc in terra verſabatur. Quid ergo hoc ad rem? Ipſi enim alium fingunt eſſe in cœlo, alium in terris, adeoque ſui diſſimilem. 4. Ita nugando ex carne Chriſti Spiritum faciunt, & adhæc qualitates ei penitus contrarias induunt. Vnde neceſſario ſequitur duplicem eſſe carnem. S. 29.

52. Sed enim ut demus inviſibilẽ præſentiam, nondum tamen probata erit prodigioſa ubiquitas, ſine qua fruſtra Chriſtum ſub pane includere tentabunt. Nam I. Firmiter jam ex Scriptura demonſtratum eſt, Chriſti corpus, non minus quam noſtrum, certa loci & humani corporis menſura circumſcribi. II. Chriſtus ſuo in cœlum aſcenſu palam fecit, non omnibus ſe eſſe in locis, ſed quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

do in unum tranſit, alterum relinquere. S. 30.

53. Hic nobis ſolent I. Objicere promiſſionem Chriſti Matt.28.20. Ego vobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſeculi. R.1. Promiſſio hæc ad corpus non eſt trahenda. Alioquin neceſſe eſſet Chriſtum etiam extra uſum Cœnæ in nobis habitare corporaliter, quia agitur ibi de perpetua conjunctione. Ceſſent ergo de verbis Chriſti in Cœna litigare. 2. Contextus evincit Chriſtum eo loci diſcipulis ſuis promittere invictum auxilium adverſus omnes Satanæ & mundi inſultus. Ideo præſentiæ ſuæ fiducia eos armat, ut in obeunda difficili provincia alacres & conſtantes ſeſe præbeant. Modum ergo præſentiæ hic diſtinguere oportuit. S. 30.

54. II. Contendunt propter unitas in Chriſto naturas, ubicunq; eſt divinitas Chriſti, illic quoq; eſſe carnem, quę ab illa ſeparari nequit. R. 1. Pudere eos debebat hujus erroris. Sane Papiſtarum tolerabilior & magis verecunda hujus loci eſt doctrina. Et palam eſt, ſic olim Eutychen, & poſtea Servetum deliraſſe, ut ex duabus naturis medium quid conflaret, quod neque Deus eſſet neque homo. Iam vero Eutychen omnes fatentur jure damnatum. Et qua de cauſa? niſi quod diſcrimine ſublato, perſonæ unitatem urgens ex Deo hominem faceret & ex homine Deum. 2. Vnio non confundit nec miſcet naturas, ſed unica eſt perſona conſtans duabus naturis, ſic tamen, ut cuique ſalva maneat proprietas. 3. Rectè diſtinguunt Scholaſtici. Quamvis totus Chriſtus ubique ſit, non tamen totum quod in eo eſt ubique eſſe. Totus ſemper ſuis adeſt, & in Cœna ſpeciali modo præſentem ſe exhibet, ſic tamen ut totus adſit non totum. S. 30.

55. III. Adducunt pro ſe loca Ioh. 3. 13. Nemo aſcendit

aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit Filius homi-
nis, qui in cœlo eſt. Et Ioh. 1. 18. Filius qui eſt in
ſinu Patris enarravit nobis. R. Hæc dicuntur per
κοινωνίαν ἰδιωμάτων. ſicut & illud 1 Cor. 2. 8.
Dominus gloriæ crucifixus eſt, non in divinitate,
ſed in carne. Sic idem Chriſtus, ut filius hominis
ſecundum carnem habitabat in terris; ut Deus, erat
in cœlo. Sic deſcendiſſe dicitur ſecundum divini-
tatem, non quod reliquerit cœlum, ſed quia cor-
poraliter in Chriſti humanitate ineffabili modo
habitat. S. 30.

56. Ex his quæ dicta ſunt, de præſentia Chriſti
in Cœna quid ſtatuendum ſit, facile poteſt intelli-
gi. Adverſarii nullam carnis Chriſti præſentiam
concipiunt, niſi in pane ſiſtatur, niſi ad nos corpo-
raliter deſcendat. Atqui hac ratione nihil reliquum
faciunt arcanæ Spiritus operationi, quæ Chriſtum
nobiſcum unit. Nos Chriſtum à ſua cœna non tol-
limus, ſed præſentem nobis eſſe fatemur: nefas ta-
men eſſe ducimus carnem ejus de cœlo detrahere.
Nam quum ſit myſterium cæleſte, non eſt neceſ-
ſe Chriſtum elicere in terras, ut nobis ſit conjun-
ctus. Tum vero non minus potimur ejus præſen-
tia, ſi ad ſe nos evehat, quam ſi corporaliter ad nos
deſcendat. S. 31.

57. Ergo omnis de modo præſentiæ quæſtio
eſt, de quo libenter fatemur, ſublimius eſſe arca-
num, quam ut ingenio noſtro comprehendi vel
verbis enarrari queat. Experimur magis quam in-
telligimus. In Chriſti veritate libenter & tuto ac-
quieſcimus. Pronuntiat ille carnem ſuam eſſe
animæ noſtræ cibum, & ſanguinem eſſe potum.
In ſacra ſua Cœna jubet nos ſub ſymbolis panis &
vini corpus ac ſanguinem ſuum manducare & bi-
bere. Nihil dubitamus, quin & ipſe vere porrigat,
& nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

& nos vere recipiamus. Tantum abſurda rejicimus, quæ aut cæleſti Majeſtate Chriſti indigna, aut ab humanę naturæ ejus veritate aliena eſſe apparet. Receptus eſt Chriſtus in gloriam regni cœleſtis, & ſupra omnem mundi conditionem evectus. Porro verus homo eſt, & quæ vere propria ſunt humanitatis etiam poſt gloriam retinuit. Nos vero nihil dicimus abſoni. Spirituale eſt regnum Chriſti. Ergo quidquid agit cum Eccleſia, ad rationem hujus ſeculi non eſt exigendum. Eam corporis præſentiam ſtatuimus, quam ſacramenti ratio poſtulat. Hanc tanta virtute & efficacia hic eminere dicimus, ut non tantũ vitæ æternæ ſed etiam carnis noſtræ immortalitatis fiduciam animis noſtris afferat, quia ab immortali ejus carne vivificatur. Porro quum de ſacramento habeatur ſermo, ejus omnia ad fidem referenda eſſe dicimus. Fides hæc nos vera corporis Chriſti participatione non minus laute affluenterque paſcit, quam qui Chriſtum de cœlo detrahunt. Denique ſufficit nobis Chriſtum è carnis ſuæ ſubſtantia propriam vitã in animas noſtras ſpirare & diffundere, quamvis in nos non ingrediatur ipſa Chriſti caro. Ad fidei vero analogiam hæc omnia optimè cõgruunt. Hyperbolas iſtorum hominum, tanquam veritatis involucra, præſertim autẽ mixturam carnis Chriſti cum anima noſtra, vel transfuſionem, qualis ab ipſis docetur, merito repudiamus: illius Iohannis ep. 2. ℣ſ. 7. ſemper memores, Qui non confitetur Chriſtum veniſſe in carne, ex Deo non eſt. At iſti homines, licet diſſimulent, vel non advertant, Chriſtum carne ſua ſpoliant. S. 32.

58. Atque hæc de præſentiæ modo dicta ſufficiant. Quæ ſi pro dignitate expenſa fuiſſent, jam pridem & fœdis erroribus & horrendis diſſenſio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

nibus janua clauſa eſſet. Iam vero hyperbolicum præſentiæ modũ exigunt curioſi homines, de quo non ſecus tumultuantur, ac ſi de religione actum ſit, niſi ſtatuatur incluſio Chriſti ſub pane. At hoc quærendum erat, Quomodo Chriſti corpus, *ut ſemel pro nobis traditum eſt*, noſtrum fiat: quomodo ſanguinis *effuſi* participes fiamus. Hoc enim eſt totum Chriſtum poſſidere, ut bonis ejus fruamur. Hinc etiam de communicatione judicare licet. Illi carnalem eſſe volunt, dum Chriſtum pani includunt. Nobis ſpiritualis eſt, quia vis arcana Spiritus vinculum eſt noſtræ conjunctionis cũ Chriſto. Idem dicimus de manducatione, quæ nobis itidem eſt Spiritualis, nec minus tamen vera & realis, etſi non ſit carnalis. Nam de modo quæritur. Itaque falſo jactant, quæ de ſpirituali manducatione docemus veræ & reali opponi. S. 33.

59. Objiciunt, nos fructum vel effectum duntaxat attingere, quem ex eſu carnis Chriſti percipiunt fideles. R. I. Et hoc falſo dici. Nam ſupra docuimus, Chriſtum ipſum eſſe Cœnæ materiam. Inde vero ſequi effectũ, quod ſacrificio mortis ejus expiamur à peccatis, ſanguine abluimur, reſurrectione erigimur in ſpem cœleſtis vitæ. II. Ipſi potius hic errant, quod eſum carnis Chriſti ſacramẽtum eſſe putant. Qui error à Lombardo ortum habuit. Bene quidem ille inter carnem Chriſti & alendi efficaciam diſtinguit. Quod autem carnem Chriſti, & quidem ſub pane contentam, vult eſſe ſacramentum, error eſt non ferendus. S. 33.

60. Atque hinc etiam nata eſt Sacramentalis manducationis interpretatio. Nam putarunt impios quoque & ſceleratos edere corpus Chriſti, quamvis ab eo ſint alieni. Atqui cogitare debuerant I. Chriſti carnem in myſterio Cœnæ non mi-

nu

nus eſſe rem ſpiritualem, quam ſit æterna ſalus. Vnde ſequitur eos, qui vacui ſunt Spiritu Chriſti non edere carnem ejus. II. Nimis indigne laceratur Chriſtus, quum ei affingitur corpus emortuum, & quod nullius ſit vigoris, quod adhęc proſtituitur incredulis. III. Repugnant verba Chriſti Ioh. 6. 56. Quiſquis ederit carnē meam & biberit ſanguinē meum, in me manet & ego in eo. S. 33.

61. Excipiunt iſthic non agi de eſu ſacramentali. R. I. Et hoc fatemur. Illud tamen manet non comedi carnem Chriſti abſque ullo fructu. 2. Dicant nobis quamdiu impii contineant carnem Chriſti, poſtquam manducarunt. S. 33.

62. Objiciunt. I. Non poſſe hominum ingratitudine quidquam detrahi de fide promiſſionum Dei. R. Damus vim myſterii integram manere à parte Dei. Sed aliud eſt offerri, aliud recipi. Chriſtus quidem ſpiritualem hunc cibum atq; potum porrigit. Sed impii faſtidioſe rejiciunt. Horum rejectio facere nequit, ut cibus & potus ille naturam ſuam perdat. S. 33.

63. Excipiunt hac ſimilitudine ſentētiam ſuam juvari: carnem Chriſti, licet incredulis ſit inſipida, eſſe nihilominus carnem. R. Omnino. Sed ab ejus externa participatione impii diſcedunt inanes, quia vaſe fidei carent, ſine cujus guſtu caro illa non comeditur. Inde autem ſacramento nihil decedit. S. 33.

64. Objiciunt. II. Si panem corruptibilem & nihil præterea recipiunt impii, derogatur verbo Chriſti, Hoc eſt corpus meum. R. Verax eſt Deus non in ipſa receptione, ſed in bonitatis ſuæ conſtantia. Chriſtus carnem & ſanguinem ſuum non minus vere indignis liberaliter offert, & præſtare paratus eſt, quam electis fidelibus. In quo ſita eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſacramenti integritas, quam violare totus mundus non poteſt. Sed impii ſua duritie repellunt gratiam Dei, quo minus ad illos penetret, non ſecus atque pluvia ſuper duram rupem decidens effluit. Etenim firmum illud manet, Chriſtum abſque fide non recipi. S. 33.

65. Objiciunt III. Quomodo Chriſtus in damnationẽ quibuſdam venerit, niſi ſint qui eum indigne recipiant. R. Homines ſibi mortem accerſunt, nõ indigne recipiendo ſed potius reſpuendo. S. 33.

66. Ob. IV. Ex parabola Chriſti Matt. 13. 7. ſemen enaſci inter ſpinas, & poſtea ſuffocatum corrumpi. R. 1. Chriſtus illic diſſerit, quid valeat fides temporalis. At hanc ipſi non putant eſſe neceſſariam edendæ carni Chriſti, & bibendo ejus ſanguini. Hac enim in parte Iudam æqualiter faſciunt ſocium Petri. 2. Ipſa parabola eos refellit. Dicit Chriſtus aliud ſemẽ cadere ſuper viam, aliud ſuper petram, neutrum agere radicem. Ita incredulis ſua obſtat durities. 3. Rectius facerent ſi hoc myſterio ſalutem ſuam velint adjutam, ut fide homines deducerent ad Chriſtum fontem vitæ: deinde Sacramentum docerent eſſe adminiculum, quo in corpus Chriſti inſerimur, vel inſiti potius magis cum eo coaleſcimus, donec ſolide nos ſecũ uniat in vita cœleſti. Sic dignitatem hujus myſterii ſatis magnifice commendarent. S. 33.

67. Objiciunt. V. Paulum dicere eos, qui indigne manducant, reos fieri corporis & ſanguinis Chriſti. Hoc autem dici non potuiſſe, niſi eorum eſſent participes. R. Non ideo damnari quod comederint & biberint carnem & ſanguinem Chriſti, ſed quod myſterium hoc pignus ſacræ cum Chriſto conjunctionis profanaverint. S. 33.

68. VI. Objiciunt nobis Auguſtinum, ſed fru-

ſtra:

ſtra: quod Calvinus S. 34. ſolide demonſtrat. Sane nimis luculenter paſſim aſſerit Sacramentis nihil decedere: nec evacuari, quam figurant, gratiam infidelitate vel malitia hominum. Auguſtini verba manifeſta ſunt. Qui manducat, inquit, carnem & ſanguinem meum, nempe virtutem Sacramenti, non tantum viſibile ſacramentum, non morietur in æternum: qui intus comedit, non foris: qui corde comedit, nõ qui premit déte. Item, Sacramentum proponi quibuſdam in vitã, aliis in exitium: Rem ſacramenti, omnibus ad vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus fuerit particeps. Per ſacramentum autem intelligit viſibile ſignum: per rem ſacramenti ipſum Chriſti corpus. quod antitheſis inter epitheta viſibile & inviſibile apertè innuit. Item, Qui non manet in Chriſto, nec Chriſtus in eo, non manducat ſpiritualiter carnem ejus, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſignum corporis. Item, Iudam manducaſſe panem Domini, ſed reliquos diſcipulos panẽ Dominum. Et paſſim docet Chriſtum non aliter quam fide recipi. Denique in ſolis electis ſacraméta efficere quod figurant. Reliqua vide apud Calvinum. S. 34.

69. Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, facile erit judicare de carnali adoratione, quam temere quidam in ſacramento erexerunt. ſic enim colligunt. Si corpus Chriſti ibi eſt, tum & anima & divinitas Chriſti ſunt una cum corpore, quia divelli jam non poſſunt. Illic igitur adorandus Chriſtus. R. I. Nemo ſobrius perſuadeat ſibi Chriſti corpus eſſe ipſum totum Chriſtum. II. Quid ſi concomitantiam illam negemus? Chriſtus enim de corpore & ſanguine ſuo diſtincte loquitur, modum autẽ præſentiæ non deſcribit. Ex re tam ambigua non conficient quod volunt. III. Caret hæc opinio Scri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

pturæ teſtimoniis. Itaque in exercitiis conſcientię non modo non prodeſt, ſed graviſſime animos hominum diſſolvit & labaſcere facit, quando non tantum ſe ſolos ſibi e,us authores eſſe cogitabunt, ſed Apoſtolorum quoque doctrinam & exempla ſibi adverſari videbunt. Sane in Dei cultu extra Dei verbum nihil eſt tentandum. Nulli ergo licet formam adorationis præſcribere, de qua nullum verbum legitur. S.35.

70. Nos vero periculoſæ huic adorationi, quæ plena eſt carnalis craſſæque de Deo opinionis, ſequentes opponimus rationes. I. Quod in Scriptura nulla illius mentio oſtendi poteſt. At non fuiſſet prætermiſſa, ſi Deo acceptã, ſi neceſſaria foret. II. Quia Chriſtus inſtituens hoc ſacramentum, juſſit illud accipere edendo & bibendo, non præcepit adorare. III. Apoſtolos non legimus proſtratos adoraſſe panem, ſed, ut erant diſcumbentes, accepiſſe & manducaſſe. IV. Apoſtolica deinceps Eccleſia non dicitur in adoratione, ſed in fractione panis cõmunicaſſe. Act.2.42. V. Paulus etiam profeſſus ſe traditurum, quod à Chriſto acceperat, ejus non meminit. 1 Cor.11.23. VI. Sacramenti officium eſt, mentem hominis adjuvare, ut ad percipiendam Spiritualem myſteriorum altitudinem ſurſum in cœlum aſſurgat. At hæc opinio homines in ſigno externo detinet: contra Nicœnam Synodum, quæ vetat nos humiliter attentos eſſe ad propoſita ſymbola: contra uſum veteris Eccleſiæ, cui moris fuit ante conſecrationem populum monere, ut ſurſum haberet corda: contra Scripturam, quæ non ſolum Chriſti aſcenſionem diligenter enarrat, ſed ex ea quoque quærere jubet ea quæ ſupra ſunt, Chriſtum inquam in cœlo ſedentem ad dexteram Patris Col. 3. 2. VII. Pugnat etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

etiam hæc ſententia cum Scriptura, dum ſibi pro arbitrio Deum fabricatur, & dona pro ipſo datore colit. Qua in re dupliciter peccatum eſt. Nam & honor Deo raptus ad creaturam tranſlatus eſt, & ex ſancto ejus Sacramento factum eſt execrabile idolum. Ita non ſuperſtitione tantum, quod ſe coram pane proſternunt, ut Chriſtum illic adorent, ſed impia quoque idololatria ſeſe polluerunt. S. 35. & 36.

71. Hanc ſuperſtitionem alia porro cumularunt, quando novos ritus excogitarunt à Cœnæ inſtitutione prorſus alienos, idque hoc prætextu, ut divinis honoribus ſignum afficientes Chriſto venerationem deferant. Cõſecrant hoſtiam, quam in pompa circumferant, ſpectandam, colendam, invocandam exhibeant. Quæro I. Cum ne in Cœna quidem hæc adoratio legitima ſit, quis ejus extra Cœnam uſus eſſe poteſt, niſi ſuperſtitioſus? II. Dicant, qua virtute hoſtiam putent in talem finem eſſe conſecratam. Nam verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum, tantum abeſt ut eos juvent, ut contra ipſos faciant. Præceſſit enim mandatum, Accipite & manducate. Videmus promiſſionem annexam eſſe pręcepto, à quo illa ſeparari non debet. Exemplo res fiet clarior. Invoca me, inquit Deus, & addit promiſſionem, Ego exaudiam te. Iam ſi quis alium quam Deum invocet, an de hac promiſſione poterit gloriari? Ita faciunt, qui omiſſo mandato de manducatione, mutilam promiſſionem accipiunt. S. 37.

72. Sed ut res ſit expeditior, cogitemus in quos fines S. Cœna ſit inſtituta. In his tales ritus non inveniemus. Primum jubet Chriſtus, ut hoc faciamus in ſui memoriam, quod Paulus interpretatur, annuntiare mortem Domini. Primus ergo finis

eſt, ut inſerviat Sacramentum alendæ ac ſovendæ fidei noſtræ. Secundus ad externam confeſſionem pertinet, ut publice atque uno ore ſimul omnes fateamur, quod & fides in Sacramento agnovit, ſolam Chriſti mortem eſſe noſtram vitam, utq; hac confeſſione Chriſtum glorificemus & gratiarum actione celebremus. Tertius, ut nos cum ad puritatem & ſanctimoniam vitæ, tum vel maxime ad charitatem, pacē, & conſenſum animet & inflammet. Hanc unitatem repræſentat panis qui in Sacramento exhibetur, qui velut ex multis granis confectus eſt, ſic inter ſeſe commixtis, ut alterum ab altero diſcernere non poſſis. In hunc modum & nos una junctos & connexos eſſe decet, ut nihil diſſidii aut diviſionis intercedat. Deinde, quum omnes de uno pane participemus, unum corpus nos omnes eſſe neceſſe eſt, ut præclare Paulus ex calicis & panis participatione demonſtrat. 1 Cor. 10. 16. Ideo enim ſuum corpus nobis in Cœna Chriſtus cōmunicat, ut unum prorſus nobiſcum ſit, & nos cum illo. Non poſſumus ergo fratres lædere, aut ſpernere, aut quavis injuria violare, quin id redundet in Chriſtum; nec à fratribus diſſidere, quin ſimul à Chriſto diſſideamus; nec Chriſtum diligere, quin eum pariter diligamus in fratribus. Rurſus, qualem corporis noſtri omniumq; membrorum gerimus curam, talis quoque fratrum gerenda eſt. Et ſicut doloris ſenſus in quacunq; parte corporis ad alias omnes diffunditur, ita nos quoque compaſſione tangi debemus, ubi fratrem malo aliquo affici conſpicimus. Atque huc Chriſtus non tantum exemplo ſuo, ſed & conjunctionis & communitatis beneficio invitat & ſtimulat. Ideo quoque recte Auguſtinus paſſim ſacramentum hoc appellat, Charitatis vinculum. S. 37. 38.

73. Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

73. Hinc & illud, cujus ſupra meminimus, confirmatur, rectam Sacramenti adminiſtrationé non abſq; verbo conſtare. Nam ſive in fide ſimus confirmandi, ſive in confeſſione exercendi, ſive excitandi ad officium, prædicatione verbi opus eſt. Itaque præpoſtere S. Cœna in mutam actionem apud Papiſtas converſa fuit, quando totam vim conſecrationis à ſacerdotis intétione pendere voluerunt. At I. Intereſt populi, ut myſterium hoc ipſis explicetur, ut auditores ædificentur, animis & cordibus quod ibi agitur recipiant, in complemento promiſſionis efficaciam ſentiant. II. Fons erroris inde eſt, quod non obſervarunt promiſſiones non ad elementa ipſa, ſed ad eos qui recipiunt deſtinari. Sane Chriſtus non alloquitur panem, ut corpus fiat, ſed diſcipulis ſui corporis & ſanguinis communicationem pollicetur. Nec alium ordinem docet Paulus, quam ut una cum pane & calice promiſſiones fidelibus offerantur. 1 Cor. 10. & 11. Faceſſat ergo magica illa incantatio, quaſi ſatis ſit verba demurmuraſſe, quæ ab elementis exaudiantur. S.39.

74. Eadem ratione concidit repoſitio Sacramenti, quam nonnulli urgent, ut ægrotis extra ordinem diſtribuatur. Nam aut ſine recitatione inſtitutionis Chriſti ſacramentum accipient, & inutile ipſis erit: aut miniſter una cum ſigno veram myſterii explicationé conjunget, & vera erit conſecratio, quam urgemus. Quod Eccleſiæ veteris exemplum obtendunt, nobis, in re tanta veritatem ſpectantibus, præjudicare non debet. S.39.

75. Porro ſicut ex finibus S. Cœnæ conſtat, panem qui diſtribuitur, cibum eſſe Spiritualem, ſuavem, & ſalutiferum piis Dei cultoribus, cujus guſtu Chriſtum ſentiunt ſuam eſſe vitam, tum etiam

ad gratiarum actionem & mutuam inter ſe charitatem commovétur, ita rurſus in nocentiſſimum venenum vertitur omnibus iis, quorum fidem non confirmat, & quos ad confeſſionem laudis & charitatem non excitat. Nam quia in animam incidit malitia pollutam, majore illam ruina præcipitat, non ſuo quidem vitio, ſed quia pollutis & infidelibus nihil eſt mundum. Tit. 1.15. Qua de cauſa Paulus dicit eos, qui indigne manducant & bibunt, reos eſſe corporis & ſanguinis Chriſti: Item edere & bibere ſibi judicium, quod non diſcernant corpus Domini. Non diſcernunt autem, quia ſine fide & charitatis ſtudio ſeſe in hanc menſam ingerunt. Rei adhæc fiunt corporis & ſanguinis Chriſti, quoniam utrumq; ſacrilega impietate polluunt, dum non credunt Chriſtum eſſe vitã ſuam, & diſſidiis, quantum in ſe eſt, Chriſti corpus diſcerpunt. Itaque merito damnationem ſuam edere dicuntur. Nam Sacramento accepto fatentur non eſſe alibi vitam quam in Chriſto, adeoque hanc unam eſſe ſalutem, Chriſto eſſe unitum. Incredulitate vero ſua & malevola diviſione teſtimonium adverſus ſe pronuntiant, damnationemque ipſi ſuam obſignant. S. 40.

76. Eam ob rem Paulus præcipit, ut homo ſeipſum probet. 1 Cor. 11.28. Quibus verbis jubet Apoſtolus ut quiſq; ſeipſum examinet 1. An vere in Chriſtum credat. 2. An oris confeſſione agnoſcat. 3. An innocẽtiæ & ſanctitatis ſtudio ad Chriſti imitationem aſpiret. 4. An fratres omnes pro Chriſti mẽbris habeat, iiſdem ſe totum tradere & cõmunicare paratus ſit. Quæ ipſa fidei & charitatis officia quum exigimus, nõ omni numero perfecta eſſe volumus, ſed ut quiſq; eo cõtendat, ut inchoatam fidem & charitaté indies magis magiſq; augeat. S. 40.

77. Pon-

77. Pontificii aliam hic manducandi dignitatem excogitarunt. Digne ajunt eos manducare, qui in ſtatu gratiæ ſunt. Hos eſſe interpretantur, qui puri purgatiq; ſunt ab omni peccato. At vero hęc inutilis eſt probatio & miſera conſcientiarum carnificina. Hoc dogmate poſito, omnes homines à ſacramenti hujus uſu arcerentur. Nemo enim, quamvis totis viribus adniteretur, hanc dignitatem ſibi arrogare audeat. S. 41.

78. Vt huic ulceri mederentur, modum hunc poſuerunt acquirendæ dignitatis, ut quantum in nobis eſt habito examine, & præſtita contritione, confeſſione, ſatisfactione noſtram indignitatem expiemus. Qua de re vide ſupra diſputationē c. 4. lib. 3. In præſentiarum ſufficit nihilominus miſeros homines manere deſperationem & ruinam. Nam 1. Si Dominus neminem admittit in ſuæ Cœnæ participationem, niſi juſtum & innocentem, quæ omnino cautio hominem ſuæ juſtitiæ ſecurū reddet? Quando ſciet homo ſe feciſſe quod in ſe erat, & quomodo illud ſpondere ſibi audeat? Nunquam ergo de ſua dignitate ſecurus, torquebitur ſemper horribili illo interdicto, quo judicium edicitur indigne edentibus & bibentibus. 2. Cum in S. Cœna omnes Euangelii delitiæ nobis proponantur, alienam eſſe doctrinam neceſſe eſt, quæ miſeros & trepidos peccatores hujus ſacramenti conſolatione ſpoliat. 3. Aliter in hoc examine nos affectos eſſe convenit. Datur enim hic Chriſtus in cibum famelicis, in vitam mortuis. Ergo pauperes, ægri, peccatores & ſemimortui ad hanc Cœnam accedimus, ut à Chriſto juſtitiam & vitam accipiamus. Proinde non dignitatem, ſed vilitatem potius & indignitatem noſtram offerimus, ut ex ſua miſericordia nos ſe dignos faciat.

Omnis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Omnis vero dignitas, quam Deus poſtulat, fide præcipue conſtat, quando omnia in Chriſto, nihil in nobis reponimus: tum etiam in peccatorum noſtrorum confeſſione & vera pœnitentia: adhæc in charitate, licet imperfecta, qua animam unam, cor unum, linguam unam nobis omnibus optamus. Et hanc augeri quotidie petimus, quando præſtari ſolida non poteſt. S.41.42.

72. Sunt qui dignitatem in fide & charitate poſitam eſſe nobiſcum fatentur, ſed in modo dignitatis à nobis diſſentiunt. Fidem enim & charitatem perfectam exigunt. Sed I. Hi non minus, ac priores illi, omnes à S. Cœnæ acceſſu arcent. Omnes enim convicti ſuæ imperfectionis tenentur. Nemo ergo niſi indigne acciperet. II. Perfectio iſta reddit ſacramentum irritum & ſupervacuum. Neque enim perfectis inſtitutum eſt ſed infirmis & debilibus, ad excitandum, exercendum, confirmandum fidei atque charitatis affectum, defectum vero utriuſque corrigendum. S. 42.

80. Cæterum, quoad externos hujus actionis ritus, multa conſtat eſſe indifferẽtia & in Eccleſiæ libertate poſita. Sane nihil refert, an in manum accipiant fideles nec ne: inter ſe dividant, aut ſinguli, quod datum ſibi fuerit, edant: panis ſit ne fermentatus an azymus: vinum rubrum an album. Olim omnes in manum accipiebant. Chriſtus juſſit inter ſe dividere, Luc. 22. 17. Fermentatus olim erat panis ante tempus Alexandri Papæ, qui primus azymo delectatus eſt, forte ut novo ſpectaculo animos in admirationem traheret. Id tamen ſemper cavendum, ne nimiis, frigidis & hiſtrionicis ceremoniis conſcientiæ graventur. Religione, non ſuperſtitione, populus debet contineri. Et ex Dei verbo nobis ſapiendum eſt, nec extra illud in my-

ſteriis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſteriis Dei humana procacitate laſciviendum. Qui ergo vetuſtate multas hujuſmodi inventiones tueri conantur, cogitent non longe ab Apoſtolorum ætate multa humanitus invecta: cogitent porro, quanti Deo ſit verbi ſui obedientia, cui ſoli nobis eſt inhærendum. S. 43.

81. Nos omiſſa ceremoniarum congerie ſic decentiſſime Cœnā adminiſtrari poſſe cenſemus. I. Si ſæpiſſime & ſingulis ad minimum hebdomadibus proponeretur Eccleſiæ. Initium autem fieret à publicis precibus, deinde haberetur concio. II. Poſt hanc miniſter, propoſito in menſa pane & vino, inſtitutionem Cœnæ recitaret, promiſſiones ejus enarraret, ſimul omnes interdicto Domini excluſos excommunicaret. III. Poſtea oraretur, ut nos Dominus ad ſuſcipiendum fide & charitate hoc alimentum erudiret atque formaret, adeoque pro ſua miſericordia nos tali convivio dignos faceret. IV. Quo decet ordine fideles ſacroſanctis epulis communicarent, miniſtris panem frangentibus & populo præbentibus. V. Interea aut canerentur Pſalmi, aut aliquid ex Scriptura legeretur. VI. Finita Cæna hortatio haberetur ad ſinceram fidem, ad fidei confeſſionem, ad charitatem & mores Chriſtianis dignos. VII. Poſtremo gratiarum actio referretur & laudes Deo canerentur. Quibus finitis Eccleſia dimitteretur in pace. Sect. 43.

82. De tempore etiam quæſitum fuit, quando & quoties ſit communicandum. Ac jam pridem inſtitutum fuit, ut ſemel quotannis ſacramentum acciperetur. Cujus decreti Zepherinum fecerunt authorem. Sed id minus eſt credibile, præſertim quale nunc habemus. Neque enim dubium eſſe poteſt, quin tum S. Cœna haberetur fidelibus,

quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quoties in cœtum convenirent; quin etiam bona eorum pars cõmunicaret. Sed quum vix unquam eveniret, ut omnes ſimul communicarent, eſſet vero neceſſe, ut qui permixti erant profanis & idololatris, externo aliquo ſymbolo teſtarentur, diem illum ordinis & politiæ cauſa ſtatuiſſe videtur, quo Chriſtianorum orbis fidei confeſſionem participatione Cœnæ ederet. Hoc viri boni inſtitutum non malum, poſteritas detorſit ad legem de una quotannis communicatione. Quo factum eſt, ut non tantũ plæriq; perfunctorie hoc agant, ſed etiam peſſima cum opinione, quaſi poſtquam ſemel cõmunicaverint, in reliquum anni tempus pulchre defunctos, ſecuros eſſe liceat. At longe aliter factum oportuit. Singulis ad minimum hebdomadibus proponenda erat Chriſtianis menſa Domini, & declarandæ promiſſiones. Nullus quidem neceſſitate cogendus, ſed cohortandi omnes & ſtimulandi: objurgandus etiam ignavorum torpor. Sect. 44. 46.

83. Hanc ſententiam noſtram probamus I. Ab hujus Sacramenti fructu & neceſſitate. Opus eſt frequenti memoria paſſionem Chriſti repeti, quo & fidem ſuam pii ſuſtentent ac corroborent: & ſeſe ad confeſſionem laudis gratiarumq; actionem hortentur: & mutuam inter ſe charitatem alant atq; teſtificentur. II. Ab uſu Eccleſiæ Apoſtolicæ, quem Lucas deſcribit Act. 2. 42. Perſeverabant in doctrina, communicatione, fractione panis & orationibus. Et eundem apud Corinthios inſtitutum fuiſſe ordinem ſatis ex Paulo conjicere licet. III. Ab uſu veteris Eccleſiæ: de quo conſtat ex Canonibus Apoſtolorum, itemque Anacleti & Calixti. Item, ex decretis Antiocheni & Toletani concilii. IV. Ex manifeſto teſtimonio Auguſtini

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

in 6. cap. Ioh. tract. 26. Et ex epiſtola ad Ianuarium priore. V. Ex concionibus & ſeveris objurgationibus Chryſoſtomi, quibus in hanc populi ſocordiam invehitur, quod intereſſent concioni, à Cœna abſtinerent. Fruſtra ergo, inquit, habetur quotidiana oblatio, fruſtra ſtamus ad altare, nemo eſt qui ſimul participet. Contumelia afficis & convivium & convivatorem. Stas inter eos, qui ſe oratione ad ſumendum ſacroſanctum cibum præparant, & hoc ipſo fateris te eſſe ex eorum numero, nec tamen participas: nonne ſatius foret te non comparuiſſe? Si indignus es Cœna, & communione orationis indignus es, &c. Concludimus, ſic agendum eſſe, ut nullus Eccleſiæ conventus fiat ſine verbo, orationibus, participatione Cœnæ & eleemoſynis. S. 44. 45. 46.

84. Supereſt controverſia de altero S. Cœnæ ſymbolo, An calix ſcilicet diſtribuendus etiam ſit laicis & profanis; quibus titulis impie hæreditatem Dei Papiſtæ inſigniunt. Ipſi quidem ſignum vini raſis & unctis ſuis veluti peculiare peculium attribuunt. At contra, edictũ Chriſti eſt, ut omnes ex eo bibant. Præterea Chriſtus, fidei noſtræ ſuccurrere volens, calicem ſeorſum à pane ſtatuit, ut doceat ſe ad potum non minus, quam ad cibum ſufficere. Tollatur pars una, & non niſi dimidium alimentorum in eo reperiemus. Duplex proinde fidei noſtrę arrha ex Chriſti ordinatione retinenda eſt. Sect. 47.

85. Objiciunt pericula, quæ accidere poſſent, ſi omnibus ſacer hic calix exponeretur. R. Plus apud nos valere æternã Dei ſapientiam, qui cum hæc pericula providere potuerit, in duplici tamen ſigno S. Cœnam adminiſtrari voluerit. S. 47.

86. Excipiunt I. Vnum ſignum pro duobus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

eſſe ſatis, quia corpus ſanguinem per concomitantiam complectitur. Nam ſi corpus eſt, certe totus Chriſtus eſt, qui à ſuo corpore jam divelli non poteſt. Reſp. 1. Hoc eſt merum rationis humanæ figmentum. II. Chriſtus à ſanguine corpus ſuum & verbis & ſignis diſtinxit, panem corpus, calicem ſanguinem ſuum vocans. Ipſi reclamant panem eſſe ſanguinem. Vnde ſequetur etiam vinum eſſe corpus. III. Inauditum eſt, corpus aut ſanguinem Chriſti Deum & hominẽ appellari. IV. Si ſub altero ſigno ſe totum deſignare voluiſſet, dicere poterat, Ego ſum, non, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. V. Argutiis his pias animas neceſſaria fidei confirmatione fraudant: S. 47.

87. Exc. II. Ex ſimplici facto non eſſe ducendam perpetuam Eccleſiæ regulam. R. Negamus eſſe ſimplex factum. Nam 1. Præcipientis hæc verba ſunt, *Bibite ex hoc calice omnes.* Nempe inſtituit, ut Apoſtoli ſic in poſterum facerent. 2. Paulus idem pro certo inſtituto commendat. 1 Corinth. 11. Sect. 48.

88. Exc. III. Solos Apoſtolos in hujus Cœnæ participationem à Chriſto admiſſos, quos jam in ſacrificorum ordinem allegerat. Reſp. 1. Hanc exceptionem nullo Dei verbo niti. Nec Scriptura Apoſtolos facit ſacrificos, quod ſine contumelia dignitatis Chriſti dici non poteſt. Et quamvis duodecim tantum accubuerint, præcepit tamen Chriſtus ut ſic porro & ipſi facerent, & utrumque ſignum diſtribuerent. II. Repugnat veteris & melioris Eccleſiæ conſuetudo mille annis poſt Apoſtolos, quę ſine exceptione omnes faciebat utriuſque ſymboli participes. An dicent eam ignoraſſe, quos Chriſtus convivas ad Cœnam ſuam admiſerit? Vide Tert. lib. de reſur. Theodor. l. 3. c. 18.

Hieron.

Hieron. in Malach. 2. Chryſoſt. in 2 Corinth. 8. hom. 18. Nec aliter ſtatuunt Gregorius, Gelaſius, Cyprianus. III. Verba Chriſti aperta ſunt, de pane, ut edant: de calice, ut bibant. IV. Si Chriſtus ſua Cœna ſolos ſacrificos eſt dignatus, peſſime ſine Dei mandato in participationem, non tantum calicis ſed & corporis, vocati ſunt extranei à Domino excluſi. V. Paulus dicit ſe tradidiſſe, quod à Domino acceperat. At tradidit omnes ſine diſcrimine admittendos. 1 Cor. 11. 25. 26. 27. 28. 29. Videant nunc ipſi, unde hanc ſacrilegam traditionem acceperint. S. 48. 49. 50.

89. Objiciunt Eccleſiæ decretum. Reſp. Aut ipſi non ſunt Eccleſia, qui Chriſti inſtitutionem abrogant, aut Apoſtolica Eccleſia non fuit Eccleſia: quod abſit. Ergo non tenemur iſto Eccleſiæ Romanæ decreto. S. 50.

DISPUTATIO XIII, De Miſſa Papali.

Ex lib. 4. cap. 18.

I. QVam Cœnam Chriſtus inſtituerit, ſuperiori capite vidimus, ſimulque ab inventis humanis vindicavimus. Supereſt adhuc, ut de Miſſa Papali agamus, quæ peſtilentiſſimo errore totum pene orbem excœcavit, & , ut verbo dicamus, horrendæ abominationis caput eſt. Finxerunt Miſſam eſſe ſacrificium ad impetrandam remiſſionem peccatorum. Non moramur, quid Scholaſtici argutentur. Communis hæc eſt Romaniſtarum tum verbis prodita, tum quotidiano uſu recepta ſententia, Miſſam eſſe opus, quo ſacerdos Chriſtum offert ad promerendum Deum pro ſe & aliis, vel eſſe victimam expiatoriam, qua pro vivo-

vivorum & mortuorum expiatione Deo ſatisfiat. Et hęc quidem opinio tanti apud eos valet, ut uno Miſſæ nomine totam fidei ſummam complecti ſe multi credant. Sed nobis facile erit has tenebras ex verbo Dei diſcutere. Principio autem demonſtrabimus hæc quinque. 1. Miſſam inſigni contumelia Chriſtum afficere. 2. Crucem ejus ſepelire & opprimere. 3. mortem ejus oblivioni tradere. 4. fructum, qui ex ea nobis provenit, tollere. 5. Ipſum ſacramentum enervare & diſſipare. S. 1.

2. Primum intolerabilem illic blaſphemiam ac contumeliam Chriſto dicimus irrogari. Chriſtus enim ſacerdos à Patre conſecratus eſt, non ad tempus ſed in æternum, idq; ſecundum ordinem Melchiſedec, in cujus perſona æternum ejus ſacerdotium fuit figuratum. Pſ. 110. 4. Heb. 5. 6. 10. & 7. 17. 21. Nullo igitur opus habet vicario aut ſucceſſore. Conſequentiam probamus ex Heb. 7. 23. 24. 27. 28. Ideo enim in Veteri Teſtamento ſucceſſio erat & ſubrogatio ſacerdotum in locum demortuorum, quod quum eſſent mortales, ſacerdotio in æternum defungi non poterant. Secus eſt de Chriſto, cujus ſacerdotium eſt perpetuum, quia ipſe manet in æternum. Heb. 7. 23. 24. Iam vero Pontificii ſacrificulos ſuos velut ſucceſſores & vicarios ſacerdotes ſubrogant, qui quotidie ſacrificent. Qua ſubrogatione Chriſtum æterni ſacerdotii honore ſpoliant, adeoque è dextera Patris deturbare conantur, in qua ſedere immortalis nequit, quin ſimul æternus ſacerdos maneat. S. 2.

3. Excipiunt I. Non ſuffici ſuos ſacrificulos Chriſto, quaſi demortuo, ſed ſuffraganeos duntaxat eſſe æterni ejus ſacerdotii. Reſp. Fortius eos conſtringi verbis Apoſtoli. Aſſerit enim ideo plures fuiſſe ſacerdotes, quia morte impedirentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Chriſtum immortalem unum eſſe, nec conſortibus indigere. S. 2.

4. Excipiunt II. Melchiſedeci exemplum pro ſe facere. Nam, quia panem obtuliſſe dicitur & vinum, colligunt præludium fuiſſe Miſſæ ſuæ. R. Nimis hoc eſt jejunum. Melchiſedecus Abrahæ & comitibus feſſis ex itinere & prælio commeatum præbuit. Humanitas regis laudatur, Sacrificii nulla fit mentio. Sect. 2.

5. Inſtant, Ibidem ſacerdotem dici Altiſſimi. Reſp. I. Non ad panem & vinum illud pertinere, ſed ad benedictionem qua benedixit Abrahamo. Vnde Apoſtolus præſtantiam ſacerdotii Chriſti colligit. II. Si oblatio Melchiſedeci figura fuiſſet ſacrificii Miſſalis, Apoſtolus rem tam ſeriam & propoſito ſuo neceſſariam nõ tacuiſſet. III. Nunquam ſe ab argumento Apoſtoli expedient; Ideo ceſſare jus & honorem Sacerdotii inter homines mortales, quia Chriſtus immortalis eſt unicus ac perpetuus ſacerdos. S. 2.

6. Altera Miſſæ virtus propoſita fuit, quod Chriſti crucem & paſſionem opprimit & obruit. Nam I. Certiſſimum eſt everti crucem Chriſti, ſimulac erigitur altare. Chriſtus in cruce ſemetipſum obtulit in ſacrificium, & quidem ſemel tantum. nactusq; æternam redemtionem una oblatione in perpetuum nos ſanctificavit. Heb. 7. 27. & 9. 18. & 10. 10. 14. Iam vero acquiſita ſemel remiſſione peccatorum nulla amplius reſtat oblatio pro peccato. Heb. 10. 18. Idque Apoſtolus firmiſſime demonſtrat collatione ſacrificii Chriſti cum oblationibus Legis, quas ex eo inefficaces fuiſſe arguit, quod ſæpius iterarentur. Heb. 7. 27. & 9. 25. 26. & 10. 3. Quapropter aut Chriſti ſacrificio purgationis æternæ vim defuiſſe dicendum,

aut

aut uno ſemel ſacrificio Chriſtum in omnia ſecula defunctum eſſe, ac proinde reiteratione non indigere fatendum erit. II. Chriſtus moriens teſtatur uno ſuo ſacrificio perfectum eſſe & impletum, quidquid in ſalutem noſtram erat. Ait enim, Conſummatum eſt. Ioh. 19. 30. Igitur ſacrificium hoc ſemel peractum neceſſe eſt perfectum eſſe, ejusque efficaciam permanere in æternum. Non licebit ergo alia innumera ſacrificia aſſuere, quod in ſingulos dies faciunt Miſſatici, niſi imperfectionis illud & infirmitatis inſimulare velint. At hoc non alio ſpectaret, niſi ut Chriſti paſſio ſepulta & ſubmerſa jaceret. S. 3.

7. Excipiunt I. Non varia nec diverſa eſſe ſacrificia, ſed unum idemque ſæpius repeti. R. Contradicunt Apoſtolo, qui tota diſputatione ad Hebræos hoc unum contendit, non modo nulla alia eſſe ſacrificia, ſed unum illud ſemel oblatū fuiſſe, nec amplius iterandum. S. 3.

8. Excipiunt II. Non eſſe repetitionem ſed applicationem. Reſp. Applicationem male definiunt. Neque enim hac lege ſe Chriſtus ſemel obtulit, ut novis quotidie oblationibus ratum fieret ſuum ſacrificium, ſed ut Euangelii prædicatione ac S. Cœnæ adminiſtratione fructus ejus communicetur. Ita rite nobis applicatur crucis ſacrificium, dum Chriſtus ſe nobis communicat, & nos eum vera fide recipimus. Quo ſenſu Paulus dicit Chriſtum eſſe Paſcha noſtrum immolatum, nos autem jubet epulari. 1 Cor. 5. 7. S. 3.

9. Objiciunt vaticinium Malachiæ, c. 1. 8. futurum ut incenſum per orbem univerſum offeratur nomini Dei, & oblatio munda. R. 1. Prophetam ſub typis ætati ſuæ cōgruentibus de Spirituali cultu in totum orbem propagando vaticinari. Neque

hoc

hoc novum aut inſolitum eſt Prophetis, quum de gentibus in veram religionis ſocietatem vocandis agunt. Sic pro converſione ad Dominum, aſcenſum in Ieruſalem Eſ.2.3. pro Dei adoratione, munerum omne genus oblationem Mal.1.11. Pſ.72.10. pro ampliore ejus noticia, ſomnia & viſiones ponunt. Ioel.2.28. Sic Eſaias c.19.19.21. prædicit de altaribus erigendis, & ſacrificiis, incenſis, votis offerendis in Ægypto, Aſſyria & Iudęa. Cujus Prophetiæ complementum in Chriſti regno concedant neceſſe eſt, aras tamen & ſingulis regnis ſingula templa deſtinata non oſtendent. 11. Hallucinantur quod nullum agnoſcunt ſacrificium, niſi Miſſarium. Habent enim & nunc fideles ſacrificium & mundam oblationem, quam Deo offerant. De qua poſtea dicemus. S.4.

10. Tertio explicandum eſt, quomodo veram & unicam mortem Chriſti ex hominum memoria deleat. I. Conſtat confirmationem teſtamenti pendere à morte teſtatoris. Ita etiam Chriſtus teſtamentum, quo nos remiſſione peccatorum & æterna juſtitia donavit, morte ſua voluit confirmare. In hoc teſtamento ſi quis variare aut innovare quidquam audeat, mortem Chriſti abnegat & pro nihilo habet. Atqui ſingulæ Miſſæ novam peccatorum remiſſionem, novam juſtitiæ acquiſitionem promittunt. Prorſus ergo novum & diverſum conſtituunt teſtamentum. Imo tot erunt teſtamenta, quot Miſſæ ſunt. Sequitur unicam & veram Chriſti mortem per Miſſas obliterari: niſi forte velint Chriſtum altera jam morte novum hoc teſtamentum, vel potius infinitis mortibus innumera Miſſarũ teſtamenta rata facere. II. Miſſa certe directe eo ſpectat, ut rurſum, ſi fieri poſſit, trucidetur Chriſtus. Novum enim Chriſti teſtamentum

mentum præ ſe fert. Ejus ergo mortem poſtulat. Nam ubi teſtamentum eſt, mortem teſtatoris intercedere neceſſe eſt. Heb.9.16. III. Si Chriſtus ſingulis miſſis immolatur, ſingulis eum momentis mille in locis crudeliter interfici opportet. Sic enim concludit Apoſtolus, ſi neceſſe habuiſſet ſæpius offerre ſeipſum, opportuiſſe illum frequenter pati ab origine mundi. Heb.9.26. S. 5.

11. Excipiunt I. Hæc per calumniam ſibi objici, quando ne cogitarint quidpiam tale, ac ne poſſint quidem. R. Neque hoc nos dicimus. Scimus mortem & vitam Chriſti non eſſe in eorum manu. Tantum oſtendimus, quale abſurdum ex impio illo & ſceleſto dogmate conſequatur. S. 5.

12. Excipiunt. II. Sacrificium hoc eſſe incruentum. R. Hæc diſtinctio naturam ſacrificii & inſtitutionis divinæ evertit. Firmum enim ſtat principium Apoſtoli, ad ſacrificium requiri ſanguinis effuſionem. Heb.9.22. S.5.

13. Quartum Miſſæ munus eſt, quod fructum mortis Chriſti nobis præripiat. Facit enim ut illum non agnoſcamus nec cogitemus. Quis enim cogitabit ſe morte Chriſti redemtum eſſe, ubi novam redemtionem viderit? Quis confidet ſibi remiſſa eſſe peccata in Chriſto, ubi novam remiſſionem viderit? S.6.

14. Excipiunt, non alia cauſa nos peccatorum remiſſionem in Miſſa obtinere, niſi quia morte Chriſti jam eſt acquiſita. R. 1. Sic non evadunt. Nam quum Chriſtum Patri in Miſſa offerunt, dicunt ſe hoc oblationis opere aſſequi peccatorum remiſſionem, & participes fieri paſſionis Chriſti. Quod tantundem valet, ac ſi dicas ea lege nos à Chriſto redemtos eſſe, ut nos ipſi redimamus. Ita paſſioni Chriſti nihil ſupererit, niſi ut ſit in exem-

plum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

plum redemtionis. II. Chriſtus de Cœna longe aliter loquitur. Ablegat enim nos ad mortis ſuæ ſacrificium. Cœnam memoriale eſſe vult, ex quo diſcamus victimam expiatricem non niſi ſemel offerri debuiſſe. Vtrumque ergo ſtatuendum, Chriſtum unicam eſſe victimam, & unicam factam eſſe immolationem, ut fides noſtra tota cruci ejus affixa maneat. S. 6.

15. Quinto. Miſſa ipſam Domini Cœnam de medio ſuſtulit. Nam I. Cœna ipſa donum Dei eſt, cum gratiarum actione recipiendum. Miſſa pretium Deo numerat, quod ipſe in ſatisfactionem accipiat. Iam vero multum intereſt inter dare & accipere, inter Deo gratias agere, & Deum ſibi debitorem facere. II. S. Cœna promittit vitã & æternã & aſſiduam in morte Chriſti, quia in ea omnes ſalutis noſtræ numeri ſint impleti. Miſſæ ſacrificium docet Chriſtum oportere quotidie ſacrificari, ut aliquid nobis commodet. III. Cœna in publico cœtu Eccleſiæ diſtribuenda erat, quo nos de communione noſtra mutua in Chriſto certos redderet. Hanc communitatem diſſolvit Miſſæ ſacrificium. Ex quo enim error invaluit, ſacerdotes pro populo ſacrificare, quaſi relegata ad eos Cœna, deſiit populus fidelium Eccleſiæ communicare. Adhæc factus eſt aditus Miſſis privatis, in quibus ſacrificulus ſuam victimam ſeorſum vorat. Ita ſe à toto populo ſegregat, ut excommunicationẽ potius, quam communitatem referat. Hinc alius obrepſit mos, & paulatim cœperunt in ſingulis templorum angulis innumerabiles Miſſæ fieri. Ita populus huc atque illuc diſtractus eſt, quem in unum cœtum coire oportuerat, ut ſuæ unitatis myſterium agnoſceret. IV. Manifeſte idololatriam committunt, quum panem in ſuis Miſſis oſtendunt

pro

pro Chriſto adorandum. Fruſtra enim promiſſiones de Chriſti præſentia jactant, quæ ſane datæ non ſunt, ut homines profani quoties velint & in quemlibet abuſum corpus Chriſti conficiant, ſed ut fideles in Cœna celebranda vera ejus participatione fruantur. Concludimus Miſſam eſſe meram Cœnæ profanationem. S. 7. 8.

16. De privata Miſſa hæc addimus. Primum valde dubium eſſe, unde Miſſa nomen acceperit: veriſimile tamen eſt, ab oblationibus, quæ conferebantur, ſumtum eſſe. Vnde & veteres plurali fere numero uſurpant. Privatam vocamus, non quod non alias magna hominum multitudo adſit, ſed quia nulla illic eſt inter fideles Cœnæ Dominicæ participatio. Qua in re impius eſt Cœnæ abuſus. Mandat Chriſtus accipere & dividere inter nos. Et Paulus commendat fractionem panis, ut quæ ſit cōmunio corporis & ſanguinis. Vbi unus ſine diſtributione accipit, quid ſimile eſt? S. 7.8.

17. Excipiunt, unum hoc facere nomine Eccleſiæ. Reſp. I. Non habet Dei mandatum. II. Hoc eſt illudere Deo, quum unus ad ſe rapit, quon non niſi inter plures fieri debuerat. Nimis enim clara ſunt & aperta Chriſti atque Pauli verba. Certe ubicunque non eſt fractio panis ad communionem fidelium, illic præpoſtera eſt Cœnæ imitatio. Falſa autem imitatio eſt depravatio, quæ impietate non caret. S. 8.

18. Præter ea quæ jam diximus duplex hoc etiam contra Miſſam notetur argumentū. I. Quod ejus nullum habent mandatum. Quomodo ergo hanc ſacrificandi rationē Deo acceptam eſſe credent? Notum eſt quod 1. Sam. 15. 22. aſſeritur, Deo potiorem eſſe obedientiam quam victimas. II. Quum nemo ſibi nomen & honorem ſacerdotii

dotii uſurpare poſſit, niſi qui vocatus fuerit à Deo Heb. 5.4. adeoque ne Chriſtus quidem hoc fecerit, aut ſacerdotii ſui authorem Deum proferant oportet, aut honorem hunc à Deo non eſſe fateantur, in quem improba temeritate irruperunt. Iam vero ſacrificia evaneſcant neceſſe eſt, quæ ſine legitimo Sacerdote offerri non poſſunt. S. 9.

19. Denique perverſitas hæc puriori Eccleſiæ incognita fuit. Nam quod veterum authoritate contendunt aliter hoc ſacrificium intelligendum eſſe, quam nos exponimus, facile ex Veterum lectione refelli poteſt. Nunquam enim ſacrificio Miſſæ, quale confinxerunt Papiſtæ, patrocinati ſunt. Vtuntur quidem vocabulo ſacrificii, ſed aliud nihil intelligunt, quam memoriam unici illius ſacrificii, quod Chriſtus unicus ſacerdos in cruce peregit. Aug. l. 20. contra Fauſtum c. 18. Et in libro de fide ad Petrum Diaconum. Item, Contra adverſarium Legis. Et lib. de Trinit. c. 24. Vnde pluribus in locis nihil aliud quam ſacrificium laudis eſſe interpretatur. Idem ſacerdotii honorem ita Chriſto vendicat, ut Antichriſti vocem fore teſtetur, ſi quis Epiſcopū inter homines & Deum interceſſorem faciat. In eundem quoque ſenſum ſæpius loquitur Chryſoſtomus. S. 10.

20. Objici poſſet, Veteres alio memoriam immolationis Chriſti detorſiſſe, quod Cœna eorum repetitę aut ſaltem renovatę immolationis faciem præ ſe tulerit. Reſp. 1. Fatemur ſic in Cœna monſtrari immolationem Chriſti, ut crucis ſpectaculum pene ob oculos ſtatuatur, ſicut & propoſita crucis prædicatione Chriſtus dicitur crucifixus in oculis Galatarum. Gal. 3. 1. Nec dubium eſt, quin hunc ſenſum orthodoxum Veteres retinuerint, ita ut nihil voluerint derogatum unico Chriſti ſacri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ficio. In actionis tamen modo videntur nimis deflexiſſe ad Iudaicum ſacrificandi morem, quum ſimplici ac germana Chriſti inſtitutione contenti eſſe debuiſſent. Conſtat enim inter Moſaica ſacrificia & Euchariſtiam noſtram hoc eſſe diſcrimen, quod licet utraque efficaciam mortis Chriſti repræſentent, diverſa tamen ſit repræſentationis ſpecies. Sacerdotes enim Levitici futurum Chriſti ſacrificium figurabant immolatione hoſtiæ & quidem ſuper altare. Sed poſtquam jam peractum eſt ſacrificium, aliam rationem Deus nobis inſtituit, ut fructum oblati ſacrificii ad populum fidelem tranſmittat. Ideo menſam dedit, non altare: nec ſacerdotes conſecravit, ſed miniſtros, qui ſacrum epulum diſtribuant. 11. Quum non hominum ſed Domini Cœna ſit, ſola ejus authoritas hic vigere debet. Non eſt ergo, cur ulla hominum aut annorum præſcriptione nos à Chriſti ordinatione vel latum unguem dimoveri patiamur: ad quam etiam ipſe Paulus, quum Eccleſiam Corinthiorum à vitiis, quę circa Cœnæ admiſtrationem irrepſerant, reformare vellet, tanquam ad perpetuam regulam provocat. 1 Cor. 11.20. S. 11.12

21. Cæterum quia ex Sacerdotii & ſacrifici nominibus præſertim nobis pugnam faciunt, videamus quid utraque voce intelligendum ſit. Sun qui ſacrificii vocabulum ad ſacras omnes ceremonias & religioſas actiones extendunt, ſed abſqu ratione. Ex ſcripturæ perpetuo uſu ſacrificiun vocamus, quod Græci θυσίαν, προσφορὰν, τελετὴν, dixerunt. Sic generatim complectitur quidquid omnino Deo offertur. Opus tamen e diſtinctione, ſed quæ anagogen habeat à ſacrifici Legis Moſaicæ, ſub quorum umbris univerſar ſacrificiorum veritatem populo ſuo Dominus re

præſen

præſentavit. Poſſunt autem omnia ad duo genera referri. Alia enim oblatio fiebat pro peccato, & vocari poteſt à nobis Propitiatorium ſive Expiationis ſacrificium. Alia ſymbolum erat divini cultus & religionis teſtificatio, alias vice ſupplicationis ad favorem Dei poſtulandum; alias ut Deo gratias agerent pro acceptis beneficiis: alias ut in pietate ſe exercerent ad renovandam fœderis memoriam. Atque huc pertinebant holocauſta, libamenta, oblationes, primitiæ, hoſtiæ pacificæ. Hoc genus vocemus λατρευτικὸν & σεβαστικὸν vel ſi mavis εὐχαριστικόν. S. 13.

22. Expiationis ſacrificium ſpeciem habebat ſatisfactionis, cui propoſitum erat iram Dei placare, judicioꝗ ejus ſatisfacere, noxam redimere, peccata abluere, purgatum in gratiam cum Deo reſtituere. Hæc ſacrificia vocabantur in Lege oblationes ſive victimæ pro peccatis expiandis; non quod reconciliandæ Dei gratiæ aut delendis peccatis pares eſſent, ſed quod verū illud ſacrificium adumbrarent, quod tandem & ab uno Chriſto, quia ab alio nullo poterat, & ſemel tantum peractum eſt & conſummatum, adeo ut nihil ei deſit, quod reconciliando Deo & impetrandę remiſſioni peccatorum & ſaluti neceſſarium eſt: nec ullus alteri ſacrificio hodie locus relictus ſit. S. 13.

23. Hinc colligimus maximum eſſe probrum & non ferendam blaſphemiam, ſi quis, repetita oblatione, de redimenda peccatorum venia, de propitiando Deo & obtinenda juſtitia cogitet. At aliud nihil agunt Miſſatores. Et ne eſſet inſaniendi modus, parum fuit commune hinc ex æquo facere ſacrificium pro tota Eccleſia, niſi addidiſſent, ſui eſſe arbitrii peculiariter huic aut illi, cui vellent, applicare, aut certe cuivis qui hanc mercem

numerato pretio emere cuperet. Porro ſicut Iudas Dominum vendidit triginta argenteis, hi triginta nummulis æreis taxarunt: in eo tamen diſſimiles, quod ille ſemel, hi, quoties emtor occurrit, vendunt. S. 14.

24. Hoc ſenſu Sacerdotes ipſos quoque eſſe negamus, qui peccatorum expiationem peragant. Nam I. Chriſtus eſt unicus & æternus Novi Teſtamenti ſacerdos, in quem omnia ſacerdotia tranſlata, in quo & finem acceperunt. II. Abrogatis veteribus Sacerdotiis Deus nullum aliud inſtituit. Nemo autem ſibi honorem uſurpat, niſi vocatus. Falſo igitur ſe ſacerdotes Dei viventis appellant. S. 14.

25. Vt autem Miſſæ vanitas plenius perſpiciatur, attendamus duntaxat quibus plerunque hæc ſacrificia applicentur. Nam cum omnes fateantur impium eſſe fraudare, circumvenire, vexare viduas & pupillos, malis artibus, perjuriis, fraudibus aliorum bona ad ſe rapere, vel vi quenquam opprimere, hæc omnia tamẽ paſſim multi audent, non alia de cauſa, quam quod Miſſario ſacrificio, tanquam ſoluto pretio, ſatisfacturos ſe eſſe Deo confidunt, vel etiam quod Miſſis anniverſariis tanquam mercede aliqua ſe à Purgatorio ſint redemturi. Quem utrumque craſſum errorem in improbis hominibus ſui ſeculi ſalſe deridet Plato lib. de Rep. ſecundo. Sect. 15.

26. Altero ſacrificii genere, quod εὐχαριστικὸν diximus, continentur 1. omnia charitatis erga fratres noſtros officia. 2. Preces noſtræ, laudes, gratiarum actiones, & quidquid in Dei cultum à nobis agitur. 3. Præcipue autem quod corpus & animam in templum ſanctum Domino conſecramus. Neque enim tantum externas noſtras actiones,

nes, ſed primum nos ipſos, deinde noſtra omnia ſibi conſecrari vult Dominus, ut quidquid in nobis eſt gloriæ ejus ſerviat. S. 16.

27. Hæc ſacrificii ſpecies adeo Eccleſiæ eſt neceſſaria, ut abeſſe ab ea non poſſit. Itaque æterna futura eſt, quamdiu Eccleſia erit in mundo. Quo ſpectat locus Mal. 1.11. Et de corporibus noſtris loquitur Paulus, Rom. 12. 1. de beneficentia & communicatione, Hebr. 13. 16. de benignitate Philippenſium erga Paulum, Phil.4.18. Idem paſſim de bonis operibus docet Scriptura. Etiam in Veteri Teſtamento veritatem hanc, Chriſtianis cum Iudaica gente communē, ſubeſſe carnalibus ſacrificiis agnoverunt Prophetæ. De precibus vide Pſal. 141.2. De gratiarum actione, Oſ. 14.3. Pſal. 51.21. etiam interprete Paulo, Heb. 13.15. Hujus etiam generis ſacrificio carere non poteſt Cœna Domini, in qua mortē ejus annuntiamus & ſacrificium laudis offerimus. Denique ab hoc ſacrificandi munere, regale ſacerdotium nuncupantur omnes Chriſtiani, 1 Pet. 2.9. S. 16.17.

28. Interim hoc certo tenendum eſt, hæc ſacrificia laudis nihil pertinere ad iram Dei placandam, nihil ad impetrandam remiſſionem peccatorum, aut ad promerendam juſtitiam. Nam I. grata Deo eſſe non poſſunt, niſi ex eorum manu, quos ſibi aliunde reconciliavit, ideoque piaculo abſolvit. II. Nunquam cum noſtris muneribus ſine interceſſore in Dei conſpectum licet apparere. Is autem ſolus Chriſtus eſt, quo intercedente nos & noſtra ipſi offerimus: ipſe Pontifex noſter, qui acceſſum nobis aperit in ſanctuarium: ipſe altare, cui donaria noſtra imponimus: ipſe denique ſolus eſt, qui nos reges & ſacerdotes Patri ſuo fecit. Apoc. 1. 6. S. 16.17.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

29. Hactenus Miſſæ abominationes deteximus, pro qua hodie veritatis hoſtes tanquam pro Helena decertant, cum qua ſpiritualiter fornicantur, in qua reges terræ & populi proram atq; puppim ſalutis ſuæ ponunt. Nec tamen craſſos abuſus, non nundinationes, non ſordidos quæſtus attigimus, quibus Miſſam profanari poſſent excipere. Hoc ſimpliciter oſtẽdimus Miſſam in ſelectiſſima ſua integritate acceptam, ſine ſuis appendicibus, à radice ad faſtigium, plenã eſſe omni genere impietatis, blaſphemiæ, idololatriæ & ſacrilegii. S. 18.

DISPVTATIO XIV,
De Numero Sacramentorum, & de quinque falſo dictis Sacramentis.

Ex lib. 4. cap. 18. 19.

1. HVcuſque de duobus Sacramentis Novi Teſtamenti, quantum ſatis eſſe videbatur, egimus: de Baptiſmo & S. Cœna, ex quibus ille ingreſſus eſt in Eccleſiam & fidei initiatio, hæc aſſiduum præbet alimentum, quo Chriſtus familiam ſuam fideliter paſcit. Ideo Baptiſmus quoque non niſi unus eſt, nec ſæpe iterandus. Eph. 4. 5. Cœna ſubinde diſtribuitur, quia neceſſe eſt nos aſſidue Chriſto paſci. c. 18. S. 19.

2. Præter hæc duo non ſunt nobis alia Sacramenta. I. quia ſicut nullum aliud à Deo eſt inſtitutum, ita nec ullum aliud fidelium Eccleſia agnoſcere debet. II. quia Sacramenta in hoc à Deo poſita ſunt, ut de aliqua ejus promiſſione nos edoceant, & certos reddant: ergo ſine ſalutis promiſſione eſſe nequeunt. Omnes autem homines in unum ſimul coacti nihil à ſe nobis polliceri de ſalute noſtra poſſunt, ſed ſolus Deus eſt qui ſigno dato

dato de ſe apud nos teſtari poteſt. Ergo nulli hominum licet à ſe ſignum aut Sacramentum proponere vel erigere, quod voluntatis & promiſſionis divinæ certum nobis teſtimonium futurum ſit. c. 18. S. 19.

3. His ergo duobus contenta ſit Eccleſia, ad conſummationem uſque ſeculi, nec aliud ullum appetat aut exſpectet. Nam I. etſi Iudæis extraordinaria quædam Sacramenta data ſint, pro varia temporum inclinatione, talia tamen erant, quæ ſua variatione eos ſatis admonebant, ne ejuſmodi figuris inſiſterent, quarum ſtatus parum firmus erat, ſed melius aliquid & perennius à Deo exſpectarent. Poſtquam autem Chriſtus nobis revelatus eſt cum tanta bonorum affluentia, aliis ſignis opus nõ eſt, niſi Deum velimus irritare. II. Quum ſeculum hoc noſtrum in ſcripturis per noviſſimam horam & noviſſimos dies deſignari ſoleat, non eſt cur novæ alicujus doctrinæ aut revelationis expectatione nos ipſos fallamus. Sic enim Pater cœleſtis ultimis hiſce diebus nobiſcum loquutus eſt in Filio ſuo dilecto, ſic Patrem Chriſtus, quod ſolus ille poterat, nobis revelavit, quantum noſtra intereſt, Heb. 1. 2. Luc. 10. 22. ut ſufficiat in uno Chriſto hærere, donec magnus ille dies illuxerit, quo gloriam regni ſui Dominus ad plenum manifeſtabit. c. 18. S. 20.

4. Porro ſicut nulli permiſſum eſt nova ſacramenta condere, ita optandum eſſet, in iis ipſis quæ à Deo ſunt quam minimum humanę inventionis admiſceri. Etenim fieri nequit, quin myſteriorum Dei ſinceritas inquinetur, ubi homo quidquam de ſuo adjicit. Quantum à germana ſua puritate degenerarint ſacramenta, res ipſa loquitur. Plus ſatis ubique ceremoniarum, pomparum, geſticu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

lationum: at verbi Dei nulla neq; ratio neq; mentio eſt. Atqui ſine verbo ſacramenta ipſa non ſunt ſacramenta. Et in tanta additamentorum turba ceremoniæ à Deo inſtitutæ velut oppreſſæ jacent. Quod ex Baptiſmi & Cœnæ adminiſtratione apud Pontificios nimis manifeſtum eſt. c. 18. S. 20.

5. Et hæc quidem ſufficere poterant apud dociles & ſobrios, ne, præter illa duo à Chriſto inſtituta, ulla alia ſacramenta amplecterentur. Sed illa de ſeptem ſacramentis opinio ſic hominum animis inſidet, ut neceſſe nobis ſit quinq; conficta & prioribus accenſa ſacramenta propius excutere, & quam falſo ſic dicantur demonſtrare. Principio illud teſtatum volumus, nos hic non ligitandi cupiditate de nomine ipſo rixari, ſed gravibus de cauſis abuſum ejus impugnare. Fatemur voces poſſe rebus accommodari ex arbitrio loquentium, & nonnunquam occurrere improprietatem, modo ſenſus pius retineatur: (quanquam melius eſſet verba rebus ſubeſſe, quam res verbis ſubjici) ſed in nomine ſacramenti ſecus ſe res habet. Talem enim omnium ſacramentorum definitionem ponunt, quod ſint gratiæ inviſibilis viſibiles formæ; quod ſint vaſa Spiritus S. & inſtrumenta conferendæ juſtitiæ; quod ſint cauſæ obtinendæ gratiæ, &c. Et Lombardus veteris Legis ſacramenta proprie hoc nomine vocari poſſe negat, quia non exhibuerint quod figurabant: abſurde ſane. Sic enim ſymbola à Deo inſtituta non erunt Sacramenta: ritus autem humani inter Sacramenta cenſebuntur. Ergo de re ipſa non ſupervacua movetur controverſia. Aut enim definitionem hanc ſuam mutét neceſſe eſt, aut à prava hujus vocis uſurpatione abſtineant, quæ falſas opiniones generat. Exempli cauſa: probant extremam unctionem inviſibilis gratiæ figuram

ram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ram eſſe & cauſam, quia ſit ſacramentum. Hic certe nobis in ipſo nomine eſt occurrẽdum. Rurſus ut probent eſſe ſacramentum, cauſam addunt, quia externo ſigno conſtat & verbo. Atqui nec mandatum nec promiſſionem invenimus. Quid aliud poſſumus quam reclamare? c. 19. S. 1.

6. Pro generali noſtræ refutationis fundamento ponimus, quod & ſupra demonſtratum fuit. I. Sacramenti inſtituendi arbitrium & poteſtatem non niſi penes unum Deum eſſe. Ipſe enim ſolus hominum conſcientias certa promiſſione poteſt conſolari: ipſe ſolus de bona ſua erga nos voluntate per verbum & per ſigna teſtificari poteſt, idque legitima & infallibili authoritate. Hæc nemo hominum aut Angelorum præſtare poteſt. Tum vero, quomodo teſtamentum & promiſſio Dei rebus corporeis obſignabitur, niſi virtute Dei ad hoc formentur & deſignentur? Verbum igitur Dei præeat oportet, quo accedente elementum fit ſacramentum. II. Vtile eſt diſcrimen retineri inter ſacramenta & alias ceremonias, niſi in multa abſurda incidere velimus. Alioquin & genuum flexio, & Orientis aſpectus & manuum extenſio, denique omnes ſanctorum geſtus in ſacramenta tranſeant neceſſe erit. III. Nuſquam apud Eccleſiaſticos ſcriptores hic numerus ſeptenarius reperitur. Quamvis enim liberius voce ſacramenti utantur pro quibuſvis ceremoniis, externis ritibus & pietatis exercitiis, tamẽ ubi de ſignis agunt, quæ divinæ in nos gratiæ teſtimonia eſſe debent, Baptiſmi tantum & Euchariſtiæ meminerunt. Vide Auguſtinum epiſt. ad Ianuar. 118. Et lib. 3. de doct. Chriſt. c. 9. Quibus locis ſeptenarii numeri non meminit, ſolum autem Baptiſmum & Cœnam nominat, alia ſacramenta reticet, minime id

facturus, ſi talis veteris Eccleſiæ fuiſſet ſententia. c. 19. S. 2. 3.

7. Sed jam ad ipſas ſpecies deſcendamus. Primo loco occurrit Confirmatio. Hanc, ut olim in uſu erat, non rejicimus, pro ſacramento tamen non agnoſcimus. Mos olim fuit, ut Chriſtianorum liberi, qui baptizati erant infantes, tantiſper inter Catechumenos ſederent, donec rite inſtituti poſſent fidei confeſſionem publice edere. Hi ſub finem pueritiæ aut ineunte adoleſcentia ſiſtebantur à parentibus coram Epiſcopo, à quo examinabantur ſecundum formulam Catechiſmi, quam tunc habebant. Vt autem actio plus reverentiæ haberet & ſanctitatis, adhibebatur manuum impoſitio. Ita puer, fide ſua approbata coram Eccleſia, cum ſolenni benedictione dimittebatur. Hujus moris mentionem facit Leo Papa, Epiſt. 39. & 77. Item, Hieronymus contra Luciferianos. Talem manuum impoſitionem, quæ ſimpliciter loco benedictionis fiat, laudamus & reſtitutam velimus in purum uſum. Sect. 4.

8. Poſterior autem ætas fictitiam confirmationem pro ſacramento poſuit. Confirmationis virtutem ſeu rem ſignificatã finxerunt eſſe, quod Spiritum S. conferat ad gratiæ augmentum, qui collatus in Baptiſmo ſit ad innocentiam: deinde quod confirmet eos ad pugnam, qui in Baptiſmo regenerati ſint ad vitam. Exterius peragitur hæc confirmatio unctione, & hac verborum formula, Conſigno te ſigno ſanctæ crucis, & confirmo chriſmate ſalutis, in nomine Patris Filii & Spiritus S. Hic I. deſideramus verbum Dei, quod Spiritus S. præſentiam promittat. Prima miniſtri Lex eſt, ne quid ſine mandato obeat. Hoc ergo mandatum proferant. Sin minus, oleum illud nihil aliud

hil aliud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

hil aliud erit quam oleum, & ſacrilegam ſuam audaciam excuſare non poterunt. Quod Chriſtus olim Phariſæos, hoc & nos Pontificios interrogamus. Confirmatio aut eſt è cœlo, aut ex hominibus. Si ex hominibus, vana & frivola eſſe cővincitur. Si è cœlo eſſe perſuadere volunt, probent. S. 5.

9. Obtendunt ſe Apoſtolorum ſequi exemplum, qui, poſtquam oraſſent, manus baptizatis impoſuerint: qua impoſitione Spiritum S. Samaritani acceperint. Act. 8. 15. Reſp. I. Conſtat ibi viſibiles Spiritus S. gratias, quas tunc in populum ſuum Dominus effundebat, ab Apoſtolis fuiſſe adminiſtratas & diſtributas. Addiderunt ceremoniam impoſitionis manuum, ut hoc geſtu ſignificarent ſe Deo commendare & offerre eum, cui manus imponebant. Hoc Apoſtolorum miniſterium fuit extraordinarium, & ceſſarunt nunc illa inuſitata virtutum miracula, & manifeſtę operationes, quibus novum regnum & novam Evangelii prædicationem Chriſtus illuſtrare & magnificare voluit. Quod cũ ita ſit, quorſum opus erit manuum impoſitionem ſervare, quam Apoſtolis in uſu fuiſſe legimus, ſed prorſus in alium finem. II. Fatemur adhuc Spiritum S. adeſſe populo Dei. Æternum enim ſtabit promiſſio Chriſti Ioh. 7. 37. Nec protinus Eccleſiam ſuam deſeruit, etſi nunc regni ſuī magnificentiam verbique dignitatem inauditis & extraordinariis iſtis miraculis non manifeſtet. Inviſibiliter ergo nunc Deus facit, quod tunc etiam viſibiliter operabatur. Si tamen ad hoc ipſum manuum impoſitionem requirunt, ut Apoſtolos imitentur, age faciant ſua manuum impoſitione, ut evidens ad eam Spiritus S. virtus ſtatim ſe exerat, quod Apoſtolis uſitatum erat. III. Addimus ejuſdem hoc eſſe rationis, ac ſi quis doceret flatum

illum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

illum, quo Chriſtus diſcipulos ſuos afflavit, eſſe ſacramẽtum, quo etiamnum detur Spiritus S. Quod Dominus ſemel fecit, Ioh. 20.22. ut à nobis etiam fieret, non voluit. Sic Apoſtoli manus imponebant pro eo tempore, quo viſibiles gratiæ donabantur; ut poſteri frigidum & vacuum ſignum ſine re effingerent, non mandarunt. Præpoſtera igitur eſt κακοζηλία. IV. Vt hac in re Apoſtolos imitentur, unde habent oleum, quod oleum ſalutis vocant? Vnde in hoc ſalutem & vim roborandi quærere didicerunt? Sed revera oleum hoc qui ſalutis oleum vocant, ſalutem in Chriſto abjurant, Chriſtum abnegant, partem in regno Dei non habent. Ad hæc Paulus nos ab elementis & obſervatiunculis hujus mundi ſerio & longe abſtrahit Gal. 4. 9. Col. 2. 20. Oleum enim ventri & venter oleo, ſed utrumque Deus deſtruet. Infirma ſunt elementa, quæ ipſo uſu intereunt, ad regnum Dei ſpirituale & æternum non pertinent. S. 6. 7.

10. Si quis excipiat, idem de aqua Baptiſmi & de pane ac vino S. Cœnę dici poſſe. R. In ſacramentis divinitus traditis duo eſſe ſpectanda, rem corpoream, & formam ei à verbo Dei impreſſam, in qua tota ejus vis conſiſtit. Quatenus panis & vinũ ſubſtantiam ſuam retinent, quæ aſpectui noſtro offertur, valet ſemper illud Pauli, Eſca vẽtri & venter eſcis, &c. 1 Cor. 6. 13. Quatenus autem verbo Dei ſanctificantur ut ſacramẽta ſint, non in carne nos retinent, ſed vere & ſpiritualiter docent. S. 7.

11. II. De ſigno audivimus. Nunc porro inſpiciamus quænam circa rem ſignatam monſtra foveant & alant. I. Dicunt Spiritum S. in Baptiſmo dari ad innocentiam: in Confirmatione ad gratiæ augmentum. In Baptiſmo nos regenerari ad vitam: in Confirmatione inſtrui ad pugnam.

Denique

Denique negant Baptiſmum ſine Confirmatione rite perfici poſſe. R. Hanc eſſe nequiſſimã doctrinam. 1. quia Baptiſmo derogat, quod illi Scriptura tribuit. Nam per Baptiſmum ſocietatem habemus cum morte & vita Chriſti, ita ut vetus noſter homo crucifigatur, quo in vitæ novitate ambulemus Rom. 6.4. Quid autẽ aliud eſt inſtrui ad pugnam? 2. Pugnat cum decreto Concilii Milevitani, Anathema eſſe, ſi quis dixerit Baptiſmum in remiſſionem peccatorum tantum dari, non in adjutorium futuræ gratiæ. 3. Satanæ hanc eſſe doctrinam, ut incautos à Baptiſmo abducat, quando promiſſiones Baptiſmo proprias alio derivat. Dei verbum eſt, omnes qui in Chriſto baptizati ſunt Chriſtum induiſſe cum ſuis donis. Gal. 3. 27. Vnctores noſtri docent, nullam eos in Baptiſmo promiſſionẽ percepiſſe, qua in agonibus inſtruantur: hanc mendacii vocem eſſe oportet. Et revera cum inſigni contumelia Baptiſmi uſum obſcurat, imo abolet. Et falſa hæc eſt Diaboli pollicitatio, quæ à veritate Dei abſtrahit. S. 8.

12. Objic. Act. 8. 17. baptizatos in nomine Ieſu poſt per manuum impoſitionem accepiſſe Spiritum S. R. Loquitur Lucas de viſibilibus virtutibus & gratiis. Non negat autẽ ullo Spiritus dono præditos fuiſſe, qui jam corde in Chriſtum credidiſſent & ore confeſſi eſſent. Sic Apoſtoli Spiritum acceperunt in die Pentecoſtes, qui longe antea Spiritum acceperant, quibus etiam dictum fuit, Spiritus Patris veſtri loquitur in vobis. Mat. 10. 20. S. 8.

13. III. Illud etiam non minus impium eſt, quod docent fideles omnes per manuum impoſitionem accipere debere Spiritum S. poſt Baptiſmum, ut pleni Chriſtiani inveniantur: quia nunquam erit plenus Chriſtianus, niſi unctus ſit chriſmate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mate Epiſcopali. Reſp. 1. Sic tota Chriſti doctrina Chriſtianos inchoabit tantum, oleum ſcilicet perficiet. At quæ ad Chriſtianiſmum pertinent, omnia ſcripturis comprehenſa ſunt, ut non ſit neceſſe aliunde religionis formam addiſcere. 2. Hac ſententia damnantur omnes Apoſtoli & tot Martyres, quos nunquam fuiſſe chriſmatos certo certius eſt. 3. Cum non exiguam populi ſui partem poſt Baptiſmum non perungant, cur aut patiuntur tales in ſuo grege ſemichriſtianos, aut cur rem adeo neceſſariam non magis ſerio exigunt & urgent? S. 9.

14. IV. Hoc vero nimis eſt blaſphemum, quod ſacram hanc unctionem Baptiſmo præferunt, & in majori veneratione habendam eſſe volunt. Cauſam adferunt, quod illa Epiſcoporum & Prælatorum manibus, Baptiſmus à vulgaribus Sacerdotibus adminiſtratur. R. Furioſum hoc eſt humanas inventiones inſtitutioni Chriſti non conferre tantum, ſed etiam anteferre. S. 10.

15. Quidam ut huic inſaniæ medeantur, majori ajunt veneratione colendam eſſe Confirmationem, non ob majorem virtutem & utilitatem, quam conferat, ſed I. quia datur à dignioribus. II. quia in digniori parte corporis fit, hoc eſt, in fronte. Vel, quia majus augmentum virtutum præſtat, licet Baptiſmus plus ad remiſſionem valeat. R. I. Quoad dignitatem à parte miniſtri, 1. ſi vim ſacramenti à miniſtri dignitate æſtimant, nonne in caſtra Donatiſtarum abeunt? 2. Vt dignior ſit confirmatio facta per manum Epiſcopalem, unde hanc Epiſcoporū prærogativam probabunt? Nam quod ajunt ſolos Apoſtolos Spiritum S. diſtribuiſſe, nimis jejunum eſt. Dicant nobis, an ſoli Epiſcopi ſint Apoſtoli? Imo an ſint omnino Apoſtoli? Et ut hoc demus, cur non etiam ſolis Epiſcopis

S. Cœ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

S.Cœnam attingendam eſſe cõtendunt? Ideo enim laicis denegant, quia ſolis eam Apoſtolis Chriſtus dederit. Nempe pro libitu Apoſtolos modo preſbyteros, modo Apoſtolos creant. 3. Non erat Apoſtolus Ananias; & tamen Paulus ad eum miſſus eſt, ut recepto viſu baptizaretur & impleretur Spiritu S. Act. 9. 17. 4. Si jure divino hoc eſt proprium munus Epiſcoporum, cur auſi ſunt ad plebeiòs preſbyteros transferre? Vide epiſt. Gregorii Diſt. 95. c. pervenit. S. 10.

16. II. Altera ratio plane inepta & ſtolida eſt. Digniorem vocant ſuam confirmationem quam Baptiſmum, quod in ea frons oleo inficiatur, in Baptiſmo cranium. R. 1. Baptiſmum non oleo ſed aqua peragi. Eſt ergo fermentum humanum, tanto pernicioſius, quod prętерita aqua ſolum oleum in Baptiſmo magnifaciunt. 2. Dicimus in Baptiſmo quoque frontem aqua tingi. Nihil ergo Confirmatio privilegii habet præ Baptiſmo. Nam quod oleum pluris vendi allegant, in eo furtum & fraudem fœdiſſimam commendant. S. 11.

17. III. Tertia ratione impietatem augent, dum majus virtutum augmentum in Confirmatione cõferri dictitant, quam in Baptiſmo. R. Hoc gratis dicunt & nodum iſtum ſatius eſt abrumpere, quam in diſſolvendo laborare. Impoſitione manuum Apoſtoli viſibiles Spiritus gratias adminiſtrarunt. At hæc pinguedo iſtis unctoribus lucroſa eſt. Et vere ſacrilegium unum multis ſacrilegiis operiunt. S. 11.

18. Tandem ad vetuſtatem recurrunt, prætexentes eſſe hanc obſervationem multorum ſeculorum conſenſu firmatam. R. 1. Sacramentum non ab hominibus, ſed à Deo eſſe oportet. Deum ergo ſuæ confirmationis authorem eſſe probent,

ſi pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſi pro ſacramento haberi velint. 2. Fruſtra vetuſtatem objectant. Nam veteres quando proprie loqui volunt, nuſquam plura duobus ſacramentis recenſent. De manuum quidẽ impoſitione loquuntur, ſed ſacramentum non vocant. Auguſtinus autem aperte affirmat nihil aliud eſſe quam orationem. Excipiunt non confirmatoriam ſed reconciliatoriam eſſe intelligendam: atqui putida eſt hæc diſtinctio. Loquitur de iis qui à ſchiſmate ad unitatem Eccleſiæ redibant. Hos negat opus habere iteratione Baptiſmi; ſufficere enim manuum impoſitionem, ut per vinculum pacis Spiritum S. accipiant. Et quia videri poterat abſurdum illam repeti potius quam Baptiſmum, oſtendit diſcrimen, quod manuum impoſitio nihil aliud ſit, quam oratio ſuper hominem. Vide lib. 3. de Bap. contra Donatiſt. cap. 16. & lib. 5. c. 23. S. 12.

19. De veteri Confirmatione ſupra diximus. Erat autem catecheſis, qua pueri aut adoleſcentiæ proximi fidei ſuę rationem coram Eccleſia exponerent. Eſſet autem optima catechiſandi ratio, ſi formula in hunc uſum conſcripta foret, quæ ſummam omnium fere religionis noſtræ capitũ contineret, & familiariter explicaret, in quæ capita univerſa fidelium Eccleſia conſentire ſine controverſia debet. Tum puer decennis Eccleſiæ ſe offerret ad edendam fidei confeſſionem: rogaretur de ſingulis capitibus: ad ſingula reſponderet: ſi quid ignoraret, aut minus intelligeret, doceretur. Ita unicam & veram Eccleſiæ totius fidem teſte & ſpectante Eccleſia profiteretur. Sic etiam parẽtum quorundam ignavia acueretur, quia liberorũ inſtitutionem ſine publico dedecore omittere non poſſent. Major quoque eſſet in populo Chriſtiano fidei conſenſus, nec tanta multorum inſcitia & ruditas.

ruditas. Non temere quidam novis & peregrinis opinionibus abriperentur. Omnibus denique eſſet quædã velut Methodus doctrinę Chriſtianæ. S. 13.

20. Proximo loco ſtatuunt Pœnitentiam. Nos quidem de hac ſupra lib. 3. c. 3. 4. abunde egimus. Nunc id tantum attingendum erit, quod ex Pœnitentia Sacramentum fecerunt. Prius autem dicamus aliquid de veteris Eccleſiæ ritu, cujus prętextu Papiſtæ abuti ſolent. Hunc ergo ordinem olim in publica pœnitentia obſervabat, ut qui defuncti erant injunctis ſibi ſatisfactionibus, ſolenni manus impoſitione recõciliarentur. Symbolum illud erat abſolutionis, quo tum peccator erigebatur veniæ fiducia, tum Eccleſia monebatur, ut eum benigne in gratiam reciperet. Quod Cyprianus appellat, *pacem dare*. Vt autem gravior & magis commendata eſſet hæc actio, conſtitutum fuit, ut ſemper Epiſcopi authoritas hic intercederet. Vide Canones Concilii Carthaginenſis ſecundi & tertii. Item Concilii Arauſicani. Hæc omnia eo ſpectabant, ne nimia facilitate presbyterorum, ſeveritas, quam ea in re ſervari volebant, collaberetur. Proinde Epiſcopum cognitorem eſſe voluerunt. Tradit tamen Cyprianus non ſolum Epiſcopum manum impoſuiſſe, ſed totum etiam clerum, lib. Epiſt. 3. ep. 14. Succeſſu temporis extra publicam pœnitentiam in privatis quoque abſolutionibus hac ceremonia uſi ſunt. Vnde diſtinctio Gratiani inter publicam & privatam reconciliationem. Veterem illam, cujus Cyprianus meminit, ſanctam eſſe judicamus & Eccleſiæ ſalutarem, eamque reſtitutam vellemus. Recentiorem minus neceſſariam eſſe arbitramur. Ex his autem conſtat manuum impoſitionem eſſe ceremoniam ab hominibus, non à Deo inſtitutam, quæ inter res medias ponenda ſit, non illa

quidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

quidem contemnenda, inferiori tamen loco eſſe debeat, quam quæ Deus ipſe inſtituit Sacramenta. S. 14.

21. Romanenſes de Pœnitentiæ Sacramento confuſe & perturbate differunt, ut nihil certi nec ſolidi ex eorum doctrina referant conſcientię. Primum valde deſudant in quærendo ſigno externo. Dicunt, vel pœnitentiam exteriorem eſſe ſignum interioris pœnitentiæ, id eſt contritionis cordis, quæ ſit res ſacramenti. Vel utramque ſimul eſſe ſacramentum, non duo tamen, ſed unum completum: verum exteriorem eſſe Sacramentũ tantum: interiorem eſſe rem & ſacramentum. Remiſſionem autem peccatorum eſſe rem tantum & non ſacramentum. At vero I. Si ad definitionem Sacramenti hæc exigimus, inveniemus nullam hic eſſe ceremoniam externam à Domino inſtitutam ad fidei cõfirmationem. Et, ne hic tergiverſentur, audiant ſane Auguſtinum. Sacramenta, inquit, viſibilia inſtituta ſunt, ut ab iis quæ oculis cernuntur, ad ea quæ intelliguntur, ſacramentorum gradibus transferantur. Item ſacramentum dicitur, quia in eo aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. Hæc ſacramento iſti conficto non conveniunt, ubi nulla ſpecies eſt corporalis, quæ ſpiritualem fructum repræſentet. II. Longe ſpecioſius abſolutionẽ ſacerdotis ſacramentum eſſe dixiſſent, quam pœnitentiam vel interiorem vel exteriorem. Nam ibi eſt ceremonia ad confirmandam fidẽ de remiſſione peccatorum ſecundum promiſſionem clavium. Nec obſtaret quoſdam abſolvi à ſacerdotibus, quibus abſolutio non prodeſt. Facile enim erat regerere, ſicut in Euchariſtia duplicem ſtatuunt manducationem, Sacramen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

cramentalem unam bonis & malis communem, Spiritualem alteram, quæ bonorũ tantum propria eſt, ſic & abſolutionem bifariam percipi poſſent fingere. Poſſet ex eorũ dogmate objici ſacramenta novę Legis efficere quod figurant. Atqui licet dogma illud longe à veritate diſſideat, prout alias abunde oſtendimus, in promtu tamẽ eſſet reſponſio, nihilominus Abſolutionẽ poſſe eſſe Sacramentũ, quia, teſte Auguſtino, viſibile ſacramentum poſſit eſſe ſine interiori ſanctificatione, quam in ſolis electis efficiat. III. Sed quacunque in parte ſignum poſuerint, nego jure haberi pro Sacramento. 1. quia nullam habet Dei promiſſionem. 2. quæcunque ceremonia proferatur, merum erit hominum inventum. S. 15. 16. 17.

22. Cæterum illud ementitum elogium, quo ſacramentum hoc ornarunt, minime excuſari nequit, *ſecundam eſſe tabulam poſt naufragium. Et ſi quis veſtem innocentiæ in Baptiſmo perceptam peccando corruperit, per pœnitentiam reparari.* Prætexunt authoritatem Hieronymi. Sed ex ſenſu Pontificio vere impium eſt. Nam I. Supponunt per peccatum deleri Baptiſmum. At hic potius in memoriam revocandus erat peccatori pœnitenti, ut de peccati remiſſione, ſibi in Baptiſmo promiſſa, certus, animum colligeret & in fide ſeipſum confirmaret. II. Dure & improprie Hieronymus loquitur, quando dixit, pœnitentia reparari Baptiſmum. Sed quod ille de excommunicatione dignis aſſeruit, hoc ipſi ad ſuam impietatẽ trahunt. III. Nos rectius dicimus, Baptiſmum eſſe pœnitentiæ ſacramentum & ſigillum, quod in conſolationem illis exhibetur, qui pœnitentiam vere meditantur. Ideo Auguſtinus dixit eſſe ſacramentum fidei & pœnitentiæ. Et notiſſimum eſt Ioannem

nem Bapt. prædicaſſe Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſioně peccatorum. Marc. 1.4. Luc. 3.3. S. 17.

23. Tertium fictitium Sacramentum, eſt Extrema Vnctio. Hanc nonniſi à ſacerdote volunt perfici, idque quum ægroti verſantur in extremis; & quidem oleo ab Epiſcopo conſecrato: hac etiam verborum forma, Per iſtam ſanctam unctionem & piiſſimam ſuam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccaſti per viſum, per auditum, odoratum, tactum, guſtum. Ejus porro duas eſſe virtutes fingunt, peccatorum remiſſionem, & corporalis morbi levamen, ſi ita expediat: ſin minus, animæ ſalutem. Hanc inſtitutionem ajunt à Iacobo eſſe poſitam c. 5. 14. Vbi jubet accerſiri preſbyteros Eccleſiæ, & per hos ægrotum ungi oleo in nomine Domini addita promiſſione ſanationis & remiſſionis peccatorum. S. 18.

24. Hæc illi. Ad quæ reſpondemus. I. Ad locum Iacobi dicimus, 1. ejuſdě rationis eſſe iſtam unctionem, cujus eſſe manuum impoſitioně jam demonſtravimus, qua citra rationem & ſine fructu Apoſtolos imitari volunt. Legimus Apoſtolos prę̨ter alia miracula in curatione ægrotorú oleum adhibuiſſe. Marc. 6. 13. Huc reſpexiſſe videtur Iacobus. 2. Quanta libertate & Chriſtus & ejus Apoſtoli verſati ſint in adhibendis rebus iſtis externis, ex eo conſtat, quod Chriſtus cœco viſum redditurus ex pulvere & ſputo lutum compoſuit. Ioh. 9. 6: alios tactu ſanavit. Mat. 9. 29. alios verbo Luc. 18. 42. Eodem modo Apoſtoli alios morbos ſolo verbo, alios tactu, alios unctione curarunt. Act. 3. 6. & 5. 16. & 19. 12. Hinc apparet, talibus ceremoniis non illud ſubeſſe myſterium, quod adverſarii ſomniant. Nec inde ſequitur unctionem temere fuiſſe uſurpatam. Etſi enim non

fuerit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

fuerit curationis organum, ſymbolum tamen erat, quo imperiti admonebantur, ne Apoſtolis hanc laudem tribuerent, ſed agnoſcerent virtutem eſſe Spiritus S. Oleo enim ſignificari Spiritum S. ex Pſal. 45.8. ſatis notum erat. 3. Vt demus unctionem tunc temporis fuiſſe ſacramentum earum virtutum, quæ tum per Apoſtolorum manus fiebant, nihil nunc ad nos pertinet, quibus virtutum adminiſtratio non eſt commiſſa. 4. Eadem ratione ex aliis quibuſvis ſymbolis, quæ in Scriptura memorantur, liceret Sacramenta confingere. Deſtinent piſcinam aliquam Siloah, de qua Ioh. 5.1. & 9.7. Incumbant mortuis, exemplo Pauli Act. 20.10. Ex luto quoque ſacramentum faciant, quia Chriſtus eo uſus eſt. Ioh. 9. 6. 5. Injuria hæc eſt in Spiritum S. putidum & nullius efficaciæ oleum facere virtutem ejus. Quaſi dicas omne oleum eſſe virtutem Spiritus S. quia hoc nomine nuncupetur, aut omnem columbam eſſe Spiritum S. quod ea ſpecie apparuerit. S. 18. 19. 20.

25. Nec eſt quod objiciant, fruſtra hæc fore. Idem enim de unctione dicimus. Non etiam, ſingularia eſſe exempla, hoc autẽ à Iacobo præcipi. Nam Apoſtolus pro ratione ſui temporis loquitur, quo benedictio illa miraculoſa vigebat. Quod affirmant eandem vim etiamnum ſuæ unctioni ineſſe, ſtulte dicitur. Nam contrarium experimur. Ita facile ſtupidis & cœcis imponant. Nos ſenſibus corporeis adhuc valemus, ut fallaci curationum gratia decipere non poſſint. Medetur quidem Deus morbis quoque noſtris, quomodo ipſi viſum eſt: miraculoſas tamen illas ſanationes non exerit. Nec mirum. Temporale etenim fuit illud donum & aliqua ex parte hominum ingratitudine excidit. Sect. 19.

26. Reſpon-

26. Reſpondemus II. Illam unctionem non eſſe ſacramentum, quia nec ceremonia eſt à Deo inſtituta, nec ullam promiſſionem habet. Addimus non eſſe traditam cum promiſſione, quæ ad nos ſpectet. Sicut ergo Circumciſio olim mandata promiſſionem habuit annexam, quæ jam ad nos non pertinet, ſic nec unctionis ceremonia, quæ non uſurpari debuit, niſi ab iis qui curationum gratia inſtructi fuerunt. S. 20.

27. Reſpondemus III. Vt locus Iacobi ad nos pertineat, non tamen facit pro Papiſtarum unctione, quia nimis magna eſt differentia. Nam 1. Iacobus omnes infirmos vult inungi. Ipſi non niſi moribundos & qui jam animam agunt. Eo ipſo crudeles, quod quum præſentem habeant medicinam, qua ægroto ſuccurrant, nunquam in tempore medentur. 2. Iacobus vocari jubet Seniores Eccleſiæ. Iſti non niſi ſacrificulum unctorem admittunt. Quod preſbyteros, quorum Iacobus meminit, interpretantur Sacerdotes ad decorum plurali numero poſitos, nimis frivolum eſt; quaſi Eccleſiæ eo tempore examina habuerint Paſtorum ordinariorũ. 3. Iacobus de oleo vulgari loquitur, de quo etiam ſermo eſt apud Marcum. Illi oleum non agnoſcunt, niſi ab Epiſcopo multo halitu & murmure conſecratum, noviesque flexo genu ſalutatum, ter, Ave Sanctum oleum: ter, Ave Sanctum chriſma: ter, Ave Sanctum balſamum. 4. Quod Iacobus fidelium precationi tribuit, remiſſionem ſcilicet peccatorum & pœnæ levationem, illi unctioni ſuæ impie aſcribunt. Ita Iacobi teſtimonio impie abutuntur. S. 21.

28. Denique ad annales illorum provocamus, qui referunt Innocentium Papam inſtituiſſe, ut non preſbyteri modo ſed omnes etiam Chriſtiani

in

in ſuam ſuorumque neceſſitatem unctione olei uterentur. Vide Sigebert. in Chronicis. S. 21.

29. Quartum locum tribuunt Sacramento Ordinis: ſed illud adeo fœcundum eſt, ut ſeptem ex ſe ſacramentula pariat. Ita tredecim erunt ſacramenta. Quod ajunt, unum eſſe ſacramentũ, quia omnia in unum ſacerdotium velut diverſi gradus tendunt, fruſtra dicitur. Nam ſi eorum placita valent, in ſingulis diverſas conſtat eſſe ceremonias & gratias. Diverſa proinde erunt ſacramenta. S. 22.

30. Primum autem demonſtremus, quot & quam inſulſas abſurditates hic nobis ingerant. I. Septem faciunt ordines ſive gradus Eccleſiaſticos, Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, Acoluthos, Subdiaconos, Diaconos, Sacerdotes. Et ſeptem eſſe dicunt, propter ſeptiformem Spiritus gratiam, qua promovendi præditi eſſe debent: quibus in promotione gratia augetur. Si numeri probationem quæras, ſeptem Spiritus S. virtutes ex Eſaia c. 11. 2. allegabunt. Reſp. 1. Eſaiam non niſi ſex virtutes referre. Tum vero conſtat alibi plures numerari. Rom. 1. 4. & 8. 15. 2. De numero ipſi inter ſe diſſentiunt. Alii enim novem ordines faciunt. 3. Etiam inter eos pugna eſt. Alii clericalem tonſuram volunt eſſe primum ordinem, Epiſcopatum ultimum: alii excluſa tonſura Archiepiſcopatum ordinibus annumerant. Iſidorus diverſos facit Pſalmiſtas & Lectores. Illos cantionibus, hos legendis Scripturis præficit. Et hanc diſtinctionem Canones obſervant. In tanta opinionum varietate vix eſt quod ſequaris aut fugias. Sed ita ſolet fieri, quando de rebus divinis ſine Dei verbo quidpiam ſtatuitur. S. 22.

31. II. In ſingulis ordinibus Chriſtũ ſibi collegam faciunt. Hunc probant oſtiarium fuiſſe ex

Ioh. 2. 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Ioh.2.15.& 10.7. Lectorem ex Luc.4.17. Exorciſtam ex Marc.7.33.34. Acoluthũ ex Ioh.8.12. Subdiaconum ex Ioh. 13.5. Diaconum ex Matt. 26.26. Sacerdotem ex Matt.27.50. Sed hæc tam abſurda ſunt & ridicula ut reſponſionem non mereantur. Sect. 23.

32. III. Illud vero plane inſulſum eſt, quod acoluthum ceroferarium appellant, voce inaudita certe gentibus & linguis omnibus. Ἀκόλουθος Græcis pediſſequum ſignificat. S. 23.

33. IV. In minutulis ſuis ordinibus nihil minus faciunt, quam profeſſione oſtentant. Lectores ſuos, Pſalmiſtas, Oſtiarios, Acoluthos eximia ſolennitate creant. At his miniſteriis exequendis pueros vel certe laicos præficiunt. Si quis puer acoluthi munere functus eſt, quum in ordinem acoluthorum cooptatur, deſinit eſſe id quod dici incipit, & titulo accepto acoluthi munere nõ amplius fungitur. Dixeris eos ſacramentis conſecrari & Spiritũ S. accipere, ut nihil agant. Si prætexant hanc eſſe temporum perverſitatem & ipſorum culpam, quod miniſteria ſua deſerant, ſimul etiam fateantur. 1. Nullum iſtorum ordinum eſſe uſum in Eccleſia. 2. Eccleſiam ipſorum anathemate eſſe plenam, quæ res ſacras à pueris & profanis attrectari permittat. Ementiti porro exorciſtæ nunquam ſpecimen ſuæ profeſſionis edunt. Iudæis ſuos fuiſſe Exorciſtas legimus, ſed ab exorciſmis dictos, quos exercebant. Iſti autem quid agunt? Fingunt illis datam poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, catechumenos, & dæmoniacos. Sed hanc poteſtatem dæmonibus nondum perſuaſerunt, quos ipſorum imperiis non cedere, ſed ipſis potius imperare conſtat. Totum ergo hoc inventum, non modo vanum, ſed etiam plane novi-

novitium eſt, de quo nuſquam alibi quam apud Sorboniſtas & Canoniſtas legitur. S. 24.

34. Deinceps operæ pretium erit diſpicere, qua ceremonia utantur in ordinandis miniſtris ſuis. Principiò, communi eos ſymbolo initiant in clericatum. Radunt enim eos in vertice, ut corona illa regale decus ſignificet. Cujus rei ineptas aſſignant rationes & cauſas. I. Clerici, ajunt, debent eſſe reges, ut ſe & alios regant. Probationem accerſunt ex 1 Pet. 2. 9. Vbi Petrus meminit regalis ſacerdotii. At vero Petrus univerſam Eccleſiam alloquitur, & omnes fideles hoc titulo ornat, omnes, inquam, quibus dictum eſt, Sancti eſtote quos Chriſtus ſuo ſanguine acquiſivit: quos regnum & ſacerdotium Deo conſtituit. Qua ergo fronte ad pauculos raſos iſta detorquent? II. Summitas, inquiunt, capitis denudatur, ut eorum mens ad Dominum libera demonſtretur: raduntur capilli, ut clerici ſignificent ſe temporalium bonorum abundantiam abjeciſſe: jam gloriam Dei contemplari: aurium & oculorum concupiſcentiam mortificaſſe: manet tamen circumferentia coronæ, quia reliquias aliquas bonorum ad ſuſtentationem vitæ retinent. At 1. falſo hæc prætexunt, quia nullum genus hominum rapacius eſt, ſtupidius, libidinoſius. 2. Hæc omnia egregie ſcilicet in figuris repræſentant, quaſi velum templi nondum ſciſſum eſſet. Tum vero meris præſtigiis ludunt, quum nihil eorum reipſa præſtent. S. 25.

35. Cæterum non abs re erit, ſi clericalis tonſuræ originem inveſtigaverimus. I. Pontificii à veteribus Nazaræis ejus principium deducunt. Porro in exemplum adferunt Priſcillam & Aquilam, Act. 18. 18. Et Paulum Act. 21. 26. quos raſiſſe ſeſe ſcriptura memorat, ut purificarent ſe.

Reſp. 1. Ita ſatis declarant ſe à Iudæis myſteria ſua accepiſſe, non à Chriſto. 2. Alterum nobis Iudaiſmum erigunt, imo veterem perperam ęmulantur, quandoquidem Nazaręorum purificationes nullo uſu imitantur. 3. Ad exempla quod attinet, de Priſcilla quidem tale nihil legitur: de Aquila incertum eſt, quia ad Paulum tonſura illa quoq; referri poteſt. De Paulo reſpondemus, nunquam ſibi caput totondiſſe ad ſanctificationem aliquam, ſed duntaxat ut fratrum infirmitati inſerviret. Votum fuit charitatis non pietatis, non ſuſceptum ad cultum Dei, nec in perpetuum, ſed ſemel tantum & ad breve tempus, ut Iudæis ſe tantiſper accommodaret. 4. Quod dicunt Apoſtolum clericis prohibere, ne comam nutriant, ſed inſtar ſphæræ radant, 1 Cor. 11. 4. falſum & inſulſum eſt, quia Apoſtolus docet, quid viris omnibus decorum ſit, de ſphærica clericorum raſura neutiquam ſollicitus. II. Ex Auguſtino tonſuræ clericorum origo alia poteſt adferri. Quum illo ſeculo delicati homines, & qui elegantiam non ſatis virilem quærebant, capillos alere ſolerent, viſum fuit mandare clericis, ut tonderent vel raderent caput, ne quam effœminati cultus ſpeciem præ ſe ferrent. Id ſtatim ita vulgare fuit, ut Monachi quidam, quo majorem ſanctimoniam diſtincto ab aliis habitu venditarent, comam alere noluerint. Sed quum ad Chriſtianiſmum acceſſiſſent gentes, quæ ſemper comatæ fuerant, veriſimile eſt clericos ubique raſiſſe caput, ne comæ ornamentum viderentur affectare. III. Tandem corruptiore ſeculo, priſcis inſtitutis in ſuperſtitionem degenerantibus, forte quia in raſura clericali nihil cernebant cauſæ, ad myſterium confugerunt. Et pro ſacramenti approbatione variæ confictę ſunt ceremoniæ. Oſtiarii in

rii in conſecratione claves templi: Lectores Biblia: Exorciſtæ formulas Exorciſmorum: Acoluthi cereos & urceolum acceperunt. Has ceremonias ex ſua definitione non modo inviſibilis gratiæ ſigna, ſed & cauſas eſſe voluerunt. Atqui hæc omnia primitivæ Eccleſiæ incognita & multis poſt annis excogitata fuerunt. Proinde negamus eſſe Sacramenta, quæ promiſſionem habeant neceſſe eſt, nec niſi à ſolo Deo poſſunt inſtitui, cujus unius eſt promittere. S. 26. 27.

36. Sequuntur tres majores ordines, quos honoris cauſa peculiariter ſacros nominant. Incipiamus ab ordine preſbyterii ſive ſacerdotii. Nam utroque nomine appellant eos, ad quos ajunt pertinere ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti in altari conficere, orationes concipere, ac Dei dona benedicere. Contra dicimus I. meram hanc eſſe depravationem ordinis à Deo poſiti, & talis ſacerdotii nullum apicem exſtare in verbo Dei. Nam ſolus Chriſtus à Patre conſtitutus eſt ſacerdos ad offerendam placationis hoſtiam, quod & ſupra cap. 18. pleniſſime fuit demonſtratum. Etiam ſolus Chriſtus ſemel hoc præſtitit, in quo & nos facti ſacerdotes ſumus, ſed ad laudes & gratiarum actiones, adeoque nos ipſos noſtraq; omnia Deo offerenda. Cum ergo hoc ſoli Chriſto ſit ſingulare, ut ipſe oblatione Deum placet & peccata expiet, quid ſupereſt, niſi eorum ſacerdotium eſſe impium & ſacrilegum, quo munus Chriſti ſibi uſurpant? & ipſos quoque improbos eſſe, qui confictum ſacerdotium ſacramenti titulo inſignire audent? II. Preſbyterii munus à Chriſto inſtitutum agnoſcimus. Ceremoniam impoſitionis manuum libenter admittimus, utpote ex ſcripturis deſumtam, & quam non inane ſed fidele Spiri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

tualis gratiæ ſymbolum eſſe teſtatur Paulus. 1 Timoth.4.14. Nec tamen tertium hinc facimus ſacramentũ, quia non eſt ordinarius, nec omnium fidelium communis, ſed ad certam functionem ſpecialis ritus. III. Nec tamen eſt cur hinc ſuperbiant Papiſtici ſacerdotes. Aliud enim eſt victimarios inaugurari, hoſtiis immolandis & peccatorum expiationi peragendæ operam dare; aliud eſt prædicare Euangelium & gregẽ paſcere, itemq; gubernationem Eccleſię rite obire & ſuſtinere, ad quod Chriſtus ſuos diſpenſatores ordinavit, & cujus rei cauſa Spiritus S. gratiam promiſit. S.28.

37. Iam vide quam bene ceremoniæ congruant. I. In ordinatione, patinam cum hoſtiis in manus præbent, in ſymbolum collatæ poteſtatis placabiles Deo hoſtias offerendi. Et manus quoq; inungunt, ut doceant datam ipſis eſſe conſecrandi poteſtatem. At quorſum hæc ſigna ſi tali munere non funguntur, ſi peccata non expiant? II. Inſufflant eos quos formant ſacrificulos, & ſuper eos verba Chriſti demurmurant, Accipite Spiritum S. Ioh. 20.22. Atq; hoc facto ſe Domini exemplum ſervare dictitant. Reſp.1. Non quævis Chriſti actio abſque ullo delectu imitanda eſt. Multa ſane egit Chriſtus, quæ nobis exempla eſſe noluit. Dixit Lazaro, Veni foras. Iohan. 11.43. Et paralytico, Surge & ambula. Cur non eadem dicunt omnibus mortuis & paralyticis? 2. Chriſtus in ſingulare miraculi ſymbolum hac ceremonia uſus eſt, qua Spiritus S. virtutem repræſentavit, & ſimul Spiritus S. gratia illos replevit. At iſti longiſſime abſunt ab effectu, & inepto geſtu fruſtra Deum, velut ſimiæ, æmulantur. Nam quod aſſerere audent, conferri à ſe Spiritum S. ipſa experientia falſitatis arguit. III. Inungunt ſuos ſacrificulos. Et hoc ſa-

crum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

crum oleum dicunt imprimere characterem indelebilem. At contra 1. quæro, unde hanc unctionem acceperint? Si dixerint, à filiis Aaronis, à quo & ſuus ordo ſumpſerit initium; Reſp. Perverſam eſſe κακοζηλίαν. 1. quia ſic ſe profitentur ſucceſſores eſſe filiorum Aaron. At ſacerdotium & ſacrificia Aaronis jam pridem ceſſarunt. In ſacerdotium ergo Chriſti ſunt injurii, quaſi in eo non omnia plene concluſa & perfecta fuerint. 2. Cur non etiam boves, vitulos, agnos ad ſacrificia rapiunt? nam hos in Veteri Teſtamento ſolebant immolare. 3. Si obſervatio Circumciſionis fuit pernitioſa in Novo Teſtamento, quod Paulus paſſim demonſtrat, ſane pernitioſior erit hujus unctionis obſervatio, præſertim quum accedat ſuperſtitio & Pharifaica opinio de dignitate operis. Ergo dum Levitas volunt æmulari, apoſtatæ fiunt à Chriſto, & ſe Paſtorum munere abdicant. Deinde quod huic unctioni ſpiritualem affingunt characterem, eumque indelebilem, omni plane caret ratione. Nam quid oleo cum anima? Et unde hæc virtus erit oleo, quod certe pulvere & ſale, aut ſaltem ſapone abſtergi poteſt? Habent ſigna à verbo ut ſint ſacramenta; at in iſta pinguedine quod verbum oſtendent? Vrgebunt forſan mandatum de filiis Aaron ungendis. Nempe ſic fieri conveniebat in Veteri Teſtamento: ſimul etiam mandatur de tunica, Ephod, galero, corona ſanctitatis, de tunicis, balteis, mitris quibus Aaron & ejus filii erant ornandi. Accedebant innumeræ aliæ obſervationes, quibus prætermiſſis cur una unctio olei ipſis placet? cur oleo potius quam ſanguine aſpergi malunt? Sed revera fœtere neceſſe eſt oleum, quod verbo Dei deſtituitur. IV. Prioribus ceremoniis addunt Impoſitioné manuum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Sed ex præcedentibus patet nos in veris & legitimis ordinationibus eam pro ſacramento agnoſcere, etſi non in eo ordine, quo nobis duo ſunt ſacramenta Baptiſmi & S. Cœnæ. Adhæc in ordinatione ſacrificulorum negamus habere locum, quia nec mandatum habent nec finem reſpiciunt, quo nos ducere debet promiſſio. Accommodent ergo ſignum ad veritatem rei, cujus gratia eſt inſtitutum, ſiquidem hoc ſignum ſibi permitti velint. Sect. 29. 30. 31.

38. Ordinem preſbyterorum ſequitur Diaconatus. Hunc equidem vellemus reſtitui, prout ſub Apoſtolis & in puriore Eccleſia fuit. At iſtorum Diaconi quid habent ſimile? Ajunt ad ſuos Diaconos pertinere, aſſiſtere ſacerdotibus & miniſtrare in iis, quæ aguntur in ſacramentis, in Baptiſmo & chriſmate; in patina ponere panem, & vinum infundere in calice: altare rite inſtruere: crucem ferre: prædicare & decantare Euangelium & Epiſtolam ad populum. Iam vero quomodo inſtituuntur? Diacono ſolus Epiſcopus manum imponit: ſtolam illi ſuper lævum humerũ collocat: textum Euangelii præbet, ut ſe ejus præconem agnoſcat. Etiam Levitas ſuos Diaconos appellant, eorumque originem ad filios Levi referri volunt. In his quid eſt quod cum prima Diaconorũ inſtitutione conveniat? I. Non loquemur, quales plerunque ſint ipſorum Diaconi, ne querantur nos ex hominum vitiis ipſorum doctrinam æſtimare. II. Illud dicimus, indigne teſtimonium pro ſuis Diaconis peti ab eorum exemplo, quos Apoſtolica Eccleſia Diaconos inſtituit, Act. 6. 5. III. Perinde faciunt, ac ſi quis ſe Apoſtolos inſtituere vel ordinare diceret, quos duntaxat adolendis thuribus, ſimulachris poliendis, converrendis templis, captandis muribus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

bus, fugandis canibus præficeret. Ne ergo poſthac Diaconos eſſe mentiantur, quos non niſi ad hiſtrionicos ſuos ludos inſtituunt. S. 32.

39. Tertio loco numerant Subdiaconatum, novum ſane commentum. Et functionem quidem hanc hypodiaconis attribuunt, ut calicem ac patinam, urceolum cum aqua, mantile ad altare deferant, aquam fundant ad manus lavandas, oblationes recipiant & inferant; nempe quas ipſi devorent & ingurgitent. Initiandi vero ritus non minus eſt nugatorius, ut ab Epiſcopo patinam & calicem, ab Archidiacono urceolum cum aqua, manuale & hujuſmodi ſcruta accipiat. His ineptiis fingunt incluſum eſſe Spiritũ S. De quibus omnibus idem quod de reliquis ſtatuimus, quum nulla ſit ceremonia inſtituta à Deo, nulla ceremoniæ annexa promiſſio, nullum proinde eſſe ſacramentum. S. 33.

40. Poſtremo inter ſacramenta ponunt Matrimonium. At vero 1. uſque ad Gregorii tempora nemo pro ſacramento agnovit. 2. Ad ſacramentum porro requiritur, ut ſit ceremonia exterior à Deo poſita ad confirmandam promiſſionem: nihil tale eſt in matrimonio. 3. Interim fatemur à Deo eſſe inſtitutum, eſſe ordinationem bonam & ſanctam, negamus tamen eſſe ſacramentum: niſi forte architecturam, agriculturam & ſimiles functiones ſacramenta eſſe velint, quia & illæ ſunt Dei ordinationes. S. 34.

41. Objiciunt I. Signum eſſe rei ſacræ, hoc eſt, Spiritualis conjunctionis Chriſti cum Eccleſia. R. Homonymia eſt in verbo ſigni. Alias, ut hoc loco, ſymbolum eſt à Deo propoſitũ, ut fidei noſtræ certitudinem erigat. Qua ſignificatione matrimonium non eſt ſacramentum. Alias ſignum

ſimpliciter dicitur, quod in ſimilitudinem adducitur. Sic matrimonium fatemur eſſe in ſignum. Sed ſi ex eo concludant eſſe ſacramentum, multiplicent neceſſe eſt ſacramentorum numerum. Nam quot in ſcriptura reperientur parabolæ & ſimilitudines, tot habebimus ſacramenta. Quo nihil eſt abſurdius. Nec ideo minus utilitatem capimus ex ejuſmodi ſignis & ſimilitudinibus, quia in memoriam revocant res, quæ iſtiuſmodi ſimilibus depinguntur. S. 34.

42. II. Obtrudunt locum Pauli Eph. 5. 29. Vbi agens de conjugio, ſacramentum hoc magnum eſſe affirmat. R. I. Plane eos aberrare à mente Apoſtoli. Paulus, ut oſtendat quam ſingulari amore viri uxores ſuas complecti debeant, Chriſti amorē illis in exemplar proponit, quo Eccleſiam ſuam dilexit. Vt autem doceat, quomodo Chriſtus dilexerit Eccleſiam tanquā ſeipſum, applicat ei quod Adam olim de Eva dixerat, Hæc eſt os ex oſſibus meis & caro de carne mea. Ita probat Chriſtum ſe unum feciſſe cum Eccleſia. Et totum hoc ſpiritualiter impletum eſſe in Chriſto & nobis teſtatur Apoſtolus. Tandem ſubjungit, magnum hoc eſt myſterium, ſed ne quis amphibolia falleretur, addit, In Chriſto & in Eccleſia. Quocirca non loquitur de carnali conjunctione viri & mulieris, ſed de Spirituali Chriſti & Eccleſiæ conjugio, quod vere magnū eſſe myſterium agnoſcimus. II. Quod vocem ſacramenti urgent, fruſtra eſt. Paulus enim voce myſterii utitur, quam rectius retinuiſſet vetus interpres, aut Arcanum vertiſſet. Eſt ergo paralogiſmus ex ignorantia Græcæ linguæ. Et ſane, ſi ideo matrimonium dicendum eſt Sacramētum, quia ſic interpres myſterium Latine reddidit, cur non eandem rationem obſervant aliis in locis,

quibus

quibus pro eadem myſterii voce ſacramẽtum poſuit, ut. 1 Tim. 3.9. Eph. 1.9. Sic ſane multa tandem erunt ſacramenta. III. Quum matrimonium ſacramenti titulo commendatum alias immunditiem, pollutionem, carnales ſordes vocent, annon turpiter ſibi contradicunt? IV. Si conjugium viri cum uxore eſt ſacramentum, & ſignum ſpiritualis conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, annon abſurde arcent à ſacramento ſacerdotes? Nec elabuntur, ſi eos negent ſe arcere à ſacramento ſed tantum à coitus libidine. Nam coitum ipſum partem eſſe ſacramenti tradunt: quia vir & mulier non niſi carnali copula una caro fiunt. Itaque rurſus duo hic abſurda committunt. I. Quod ſacramentum conjunctionis cum Chriſto ſuis denegant, à quo ullum Chriſtianum arceri nefas eſt: niſi forte Chriſtianorum ſacramenta adeo male convenire velint, ut ſimul ſtare non poſſint. II. Quod coitum tradunt eſſe ſacramentum, in quo negant unquam Spiritum S. adeſſe, & tamen in ſacramento conferri Spiritus S. gratiam affirmant. Quæ utique ſunt ἀσύστατα. S. 35. 36.

Cæterum ſic inſanire oportuit, qui ut abominationum latebras quærerent, è matrimonio ſacramentum confinxerunt. Quod ubi ſemel obtinuere, primo conjugalium cauſarum, tanquam rerum ſpiritualium, cognitionem ad ſe traxerunt: tum leges ſanxerunt de perſonis & gradibus & tempore nuptiarum, partim in Deum manifeſte impias, partim in homines iniquiſſimas, quas hic recenſere nimis longum foret. Et hæc quidem de quinque illis ſacramentis plus ſatis dicta ſunto. S. 37.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

DISPVTATIO XV, De Politica Adminiſtratione.

Ex lib. 4. cap. 20.

1. DVplex in homine regimen ſtatuimus, alterum in anima & interiore homine poſitũ, quod æternam vitam reſpicit, de quo hactenus ſatis multa verba fecimus: alterum, quod ad civilem duntaxat & externam morum vitam reſpicit, de quo nobis porro diſſerendum erit. Merito autem hæc argumenti ratio ſuperiori doctrinæ fidei ſubjungitur. I. propter amentes quoſdam homines, qui hunc ordinem divinitus ſancitum furioſe evertere conantur. II. Quia nonnulli adulatores Principum potentiam eorũ ſine modo extollunt, ut etiam Dei imperio non dubitent opponere. III. Quoniam non parum noſtra refert intelligere, quam benigne Deus hac in parte generi humano ad pietatis & gratitudinis ſtudium conſuluerit. Sect. 1.

2. Principio ſtatuenda eſt diſtinctio ante à nobis poſita, ne hæc duo ſimul imprudenter permiſceamus, quum diverſam habeant rationem. Nec tamen, quia Spirituale Chriſti regnum & civilis ordinatio res ſunt plurimum diſtinctæ, fingendum eſt ea inter ſe pugnare. S. 1.

3. Qui prætextu Euangelicæ libertatis nullum inter homines regem, nullum Magiſtratum, nulla judicia & leges agnoſcunt, quia libertati ſuæ officere opinantur, in eo graviſſime errant, quod inter corpus & animam, inter præſentem hanc fluxamque vitam, & futuram illam æternamq; non diſcernunt. Eſt illa quidem Iudaica vanitas, Chriſti regnum ſub elementis hujus mundi quærere ac includere. Quo illæ pertinent ſententiæ, in regno

Dei

Dei non eſſe Iudæum neque Græcum, non ſervum neque liberum, &c. Gal. 3. 28. Col. 3. 11. Sed hanc ipſam libertatem meminerimus ſuis finibus contineri. Idcirco idem Paulus qui nos vetat ſubjici jugo ſervitutis Galat. 5. 2. alibi ſervos monet, ne ſolliciti ſint quo ſtatu eos Deus vocaverit. 1 Cor. 7.21. Nempe quia nihil refert, qua conditione ſis apud homines, & cujus gentis legibus vivas, quando in iſtis regnum Chriſti ſitum non ſit. Vnde liquet Spiritualem libertatem cum politica conditione optime poſſe conſtare. S. 1.

4. Vociferantur quidem homines fanatici, & jactant indignum eſſe Chriſtianos profanis iſtis curis occupari, quæ circa negotia ab homine Chriſtiano aliena verſantur. Nam quorſum, ajunt, leges ſine judiciis & tribunalibus? Quid autem homini Chriſtiano cum judiciis? Imo ſi occidere non licet, quo nobis leges & judicia? Ita totam politiæ rationem concludunt rem eſſe pollutam, quæ ad homines Chriſtianos nihil attineat. Reſp. Agnoſcimus politicum regiminis genus à Spirituali & interno Chriſti regno diſtinctũ eſſe: pugnare negamus. Illud enim huic in terris peragendo deſtinatum eſt. Adhuc peregrinamur ſuper terram, & iſtiuſmodi ſubſidiis indigemus, donec ad veram patriam perveniamus, non minus quam panis, aquæ, ſolis & aëris uſu nobis opus eſt. Atque horum quidem nobis commoditatem civile regimen præſtat, dum efficit, ut ſimul pacate vivamus. Nec tamen huc ſolum ſpectat, ſed multo magis ut externum Dei cultum foveat & tueatur; ſanam pietatis doctrinam & Eccleſiæ ſtatum defendat; idololatriam, blaſphemias, ſacrilegia & alias religionis offenſiones inhibeat: homines inter ſe mutua ſocietate cogat & conciliet; commu-

nem

nem pacem & tranquillitatem tueatur, publicæ quietis turbatores puniat: ad civilem juſtitiam, honeſtatem, modeſtiam mores omnium informet: ſuum cuique ſalvum & incolume conſervet: Breviter, ut inter Chriſtianos publica religionis facies exiſtat, ut inter homines conſtet humanitas. Hæc omnia ſupervacua forent, ſi regnum Dei præſentem vitam exſtingueret. At nunc alia plane eſt Dei voluntas, qui regnum quidem illud jam nunc ſuper terram in nobis inchoat, quamdiu tamen inter homines agimus, his mediis & ſubſidiis nos uti voluit. S. 2. 3.

5. Excipiunt tamen in Eccleſia perfectionem eſſe debere, cui ſua pro lege moderatio ſatis ſit. Reſp. Hanc ſtolide ipſos imaginari, quum in hominum communitate reperiri nunquam poſſit. Tanta enim improborum eſt inſolentia, tam contumax nequitia, ut vix multa legum ſeveritate coerceri poſſit. Quid ergo fore putamus, ſi patere ſuæ improbitati videant impunitam licentiam? Sect. 2.

6. Inſtant, nos male ad hominum politiam jam referre religionis recte inſtituendæ curam, quam extra hominum arbitrium ſupra poſuerimus. Reſp. Aliud eſſe leges de religione & Dei cultu homines ferre ſuo arbitrio, quod iſthic negavimus: aliud politica ordinatione religionem lege Dei ſancitam contra publica ſacrilegia & violationes tueri, quod hic aſſerimus. S. 3.

7. Verum, ut quid de toto genere politicæ adminiſtrationis ſentiendũ ſit melius aſſequamur, partes ejus ſeorſum pertractemus. Et cum tres ſint, Magiſtratus, leges, populus; videamus. 1. de ipſa Magiſtratus functione, num ſit Deo probata vocatio, quale officium, & quanta poteſtas.

II. Qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

II. Quibus legibus ſit inſtituenda Chriſtiana politia. III. Quis legum uſus ad populum redeat, & quæ Magiſtratui obedientia debeatur. S. 3.

8. Primo loco probandum nobis eſt Magiſtratuum functionem Deo probari & à Deo eſſe. Id vero conſtat I. ex elogiis honorificentiſſimis, quibus ejus dignitatem Deus commendavit. *Vos*, inquit, *Dii eſtis*. Exod. 22. 8. Pſal. 82. 1. 6. Hac appellatione ſignificat eos mandatum habere à Deo, authoritate divina præditos eſſe, ac omnino Dei perſonam ſuſtinere, cujus vices quodammodo agunt, ipſo Chriſto interprete. Ioh. 10. 35. Quo etiam pertinet, quod judicibus ſuo tempore dicebant Moſes & Ioſaphat, eos exercere judicium, non hominum, ſed Dei nomine. Deut. 1. 16. 2 Par. 19. 6. II. Ex dicto Salomonis Prov. 8. 15. 6. Per me, ait Sapientia, reges regnant & principes decernunt juſtitiam. Non ergo perverſitate hominum contingit, ut aliqui rerum arbitrium habeant in terris, ſed divina providentia & ſancta ordinatione, cui ſic viſum eſt res hominum moderari, & principibus adeſſe, adeoque præeſſe in ferendis legibus, & judiciorum æquitate exercenda. III. Idem aperte docet Paulus, quando præfecturas & *κυβερνήσεις* inter Dei dona enumerat Roman. 12. 8. 1 Cor. 12. 28. Nam tametſi illic proprie loquitur de ſenatu gravium virorum, qui in primitiva Eccleſia publicæ diſciplinæ præerant, quum tamē eodem recidat finis civilis poteſtatis, non eſt dubium, quin omne juſtæ præfecturæ genus nobis cōmendet. IV. Nihil autem luculentius eſſe poteſt diſputatione Apoſtoli Rom. 13. 1. 2. 3. Nam & poteſtatem ordinationem Dei eſſe tradit, nec poteſtates eſſe ullas, niſi à Deo ordinatas: ipſos autem principes miniſtros eſſe Dei in lau-

dem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

dem bene agentibus, malis vero ad iram ultores.
V. Huc accedunt Sanctorum virorum exempla, quorum alii regnis præfuerunt, ut David, Ioſias, Ezechias: alii ſatrapiis, ut Ioſeph & Daniel: alii præfecturis in libero populo, ut Moſes, Ioſue, & Iudices, functi ſunt. Quorum omnium functiones ſibi probatas eſſe Dominus declaravit. S. 4.

9. Hujus doctrinæ uſus maximus eſt reſpectu ipſius Magiſtratus. I. Vt ad officium excitetur. II. ad conſolationem. Nam primum quoties cogitabunt ſe conſtitutos eſſe divinæ juſtitiæ miniſtros & Dei vicarios in terris, fieri non poterit, quin integritatis, prudentiæ, manſuetudinis, continentiæ, innocentiæ ſtudium ſibi ipſis imperent: quin pro Dei tribunali injuſtas ſententias, impia decreta proſcribant & fugiant: quin omni cura, ſedulitate, induſtria invigilent, ut hominibus quandam divinæ providentiæ, bonitatis, benevolentiæ, juſtitiæ imaginem in ſe repræſentent. Tum vero illud perpetuo oculis ſuis ſubjicient, ſi Deus maledicit omnibus, qui opus vindictæ ejus faciunt in dolo Ier. 48. 11. multo gravius maledici, qui in vocatione juſta fraudulenter verſantur. His argumentis Moſes & Ioſaphat Iudices ſuos ad officium cohortantur. Deut. 1. 16. 2 Paral. 19. 6. Videte quid agatis, & ſit pavor Domini ſuper vos. Non pro homine ſed pro Deo exercetis judicium. Ille juxta vos eſt in cauſa judicii: apud Dominum Deum noſtrum nulla eſt perverſitas. Atque eodem ſenſu Deus ſtetiſſe dicitur in ſynagoga Deorum, & in medio Deorum judicem agere Pſal. 82. 1. ut ſciant ſe tantum Dei eſſe legatos, & adminiſtratæ provinciæ rationem aliquando eſſe reddendam, denique ſi quid delinquant, non in homines modo eſſe injurioſos, ſed in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

in ipſum Deum contumelioſos, cujus ſacroſancta judicia polluunt. Sect. 6.

10. Singularem porro conſolationem Magiſtratui afferre poteſt, qua muneris ſui difficultates, quæ multæ & graves ſunt, præclare leniant, dum ſecum reputant, ſe Dei legatione & ſanctiſſimo munere fungi. S. 6.

11. Hinc patet, qui hoc ſacrum miniſterium inſectari audent, quaſi rem à religione & pietate Chriſtiana abhorrentem, ipſum Deum ſugillare, adeoque abjicere, ne ſuper ſeſe regnet. Nam probrum hujus divinæ vocationis non poteſt non eſſe conjunctum cum Dei ignominia. Et ſi vere Deus populo ſuo exprobravit, quod Dei imperium rejeciſſent, quando Samuelis detrectarunt 1 Sam. 8. 7. cur hodie non idem dicatur de iis, qui in prę fecturas à Deo inſtitutas debacchantur? S. 7.

12. Excipere ſolent, qui anarchiam inductam vellent, olim quidem rudi populo præfuiſſe Reges ac Iudices, hodie tamen perfectioni Euangelicæ minime quadrare ſervile illud gubernandi genus. Reſp. 1. Nimis impudenter perfectionem ſibi arrogant, cujus ne centeſima pars in illis conſpicitur. 11. Quum David Reges & præfectos omnes hortatur ad oſculandum Dei Filium Pſal. 2. 12. & Eſaias c. 49. 23. promittit Reges fore Eccleſiæ nutricios & Reginas nutrices, (utrumque autem vaticinium ad Chriſti adventum pertinet) numquid eos hortantur, ut imperio depoſito ad privatam vitam concedant? Imo potius ille jubet poteſtatem, qua inſtructi ſunt, Chriſto ſubjicere: hic honorifico elogio patronos conſtituit piis cultoribus. Et ut alia loca omittamus, quid illuſtrius dici poteſt argumento, quo nos Paulus hortatur, ut in cœtu publico pro Regibus preces concipia-

mus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

mus, ut ſcilicet *tranquillam vitam agamus ſub ipſis cum omni pietate & honeſtate.* 1 Tim. 2. 2. Quibus verbis eorum tutelæ ſtatum Eccleſiæ commendat. S. 5.

13. Objiciunt præterea locum Luc. 22. 25. Reges gentium dominantur illis: vos autem non ſic, ſed qui primus eſt inter vos, fiat omnium minimus. Hac voce colligunt interdictum eſſe Chriſtianis omnibus, ne regna aut præfecturas capeſſant. Reſp. 1. Chriſtum taxare vanam diſcipulorum ambitionem, inter quos de præeminentia orta erat contentio. Negat autem miniſterium eorum regnis eſſe ſimile, in quibus inter cæteros unus eminet. Quid hoc ad evertendam regiam dignitatem? 11. Tantum abeſt ut collatio hæc iſti ſit ignominioſa, ut inde potius omnino evincatur, regium munus ab Apoſtolico eſſe diſtinctum. S. 7.

14. Antequam progrediamur, notandum eſt, nihil referre ad quæſtionem propoſitam, quænam ſit civilis gubernationis forma. Nam quum variæ ſint, omnes tamen pro Dei ordinibus ſuſcipere oportet. Equidem Paulus omnes ſimul complectitur, dum omnem poteſtatem à Deo eſſe aſſerit. Rom. 13. 1. Regiam tamen & unius poteſtatem, quæ publicam omnium ſervitutem ſecum trahit, quæque omnium minime arridet, præſertim heroicis & excellentioribus ingeniis, eximio præ aliis teſtimonio commendat. 1 Tim. 2. 2. Nec minus Salomon Prov. 8. 15. Et peculiariter Petrus. 1 Pet. 2. 17. S. 7.

15. Cæterum cum tres ſint regiminis formæ, quas Philoſophi tradunt, Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia, I. Otioſa nobis videtur diſputatio, præſertim inter privatos homines, quibus de conſtituenda republica deliberare non licet,

quis

quis ex illis ſit potiſſimus politiæ ſtatus. II. Simpliciter id definiri, niſi temere, non poſſet, quum magna hujus diſputationis ratio in circumſtantiis poſita ſit. III. Si ipſos etiam ſtatus citra circumſtantias inter ſe compares, non facile eſt diſcernere, quis utilitate præponderet: adeo æquis conditionibus inter ſe contendunt. Proclivis eſt à regno in tyrannidem lapſus; ſed non multo difficilior ab optimatum poteſtate in paucorum factionem; ſed facillimus à populari dominatione in ſeditionem. IV. Ariſtocratia tamen, vel temperatus ex ipſa & Democratia ſtatus videtur reliquis antecellere, non id quidem per ſe, ſed vitio & defectu hominum, quia rariſſime contingit voluntatem Regum nunquam à juſto & recto diſcrepare: deinde raro prudentia & acumine tanto inſtructi ſunt, ut unuſquiſque videat, quantum ſatis eſt. Itaque tutius & magis tolerabile videtur plures tenere gubernacula, qui mutuo ſibi ſint adjutores, ac ſi quis plus æquo ſe efferat, plures ſint ad cohibendam ejus libidinem cenſores & magiſtri. Atq; hoc experientia ſemper fuit comprobatum. Ipſe quoq; Dominus Ariſtocratiam talem aliquã apud Iſraëlitas inſtituit, quo tempore eos voluit optima eſſe conditione, donec imaginem Chriſti produceret in Davide. Hoc ergo beatiſſimum videtur eſſe regiminis genus, ubi libertas ad eam, quam decet, moderationem eſt compoſita. Eſt etiam illud ad diuturnitatem optime conſtitutum. Quocirca beatiſſimos cenſemus, quibus hac conditione frui licet. Et nihil alieni facient ab officio, ſi tum populus in conſervanda libertate, tum magiſtratus in ea tuenda contra vim omnem conſtanter & ſtrenue laborent, perfidi futuri & patriæ proditores, ſi ſecus egerint. Quibus vero Deus aliam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

aliam ſub Regibus gubernationis ſpeciem attribuit, ſi ad ſeditionem aut commutationem ſollicitentur, nõ modo ſtulta & inutili ſed mala etiam & pernitioſa cogitatione agitabuntur. Hoc enim ſemper ob oculos verſari debet, non ſine divina providentia comparatum, ut diverſis politiis regiones variæ adminiſtrentur Nam ſicut elementa non niſi inæquali temperatura inter ſe cohærent, ita regiones ſua quadam inæqualitate optime continentur. Idque nemo negabit, qui non unam tantum civitatem, ſed univerſum ſimul orbem, & varia regionum ſpatia contemplabitur. Quanquam de his non neceſſe eſt moneri, quibus Domini voluntas ſatisfaciet. Noſtrum ergo eſt, quoſcunque Deus voluerit præeſſe locis in quibus degimus, ſive Reges, ſive Senatores aut alios ſuperiores, agnoſcere, iiſque nos morigeros & obedientes præſtare. S. 7. 8.

16. Proxime jam dicendum eſt de officio Magiſtratus, quale illud ſit, & quibus in rebus ſitum. Extendi autem ad utramq; Legis tabulam in confeſſo eſt. I. Ex profanis ſcriptoribus, quorum vix ullus de Magiſtratuum officio, de ferendis Legibus, & publico ſtatu diſſeruit, qui non exordium à religione & divino cultu fecerit. Ita nempe profeſſi ſunt, nullam politiam ſine cura pietatis feliciter inſtitui, adeoque præpoſteras eſſe Leges, quæ, neglecto Dei jure, tantum hominibus conſulunt. Pudere ergo debebit Chriſtianos principes ſuæ ſocordiæ, niſi in hanc curam incumbant. II. Ex ſcriptura. Diximus ſupra has illis partes à Deo ſpecialiter injungi. Et revera æquum eſt, eos tuendo & aſſerendo ejus honori operam impendere, cujus ſunt vicarii, & cujus beneficio imperant. Præſertim vero conſtat hoc nomine potiſſi-

mum

mum laudari ſanctos Reges, quod Dei cultum corruptum vel everſum reſtituerint, vel religionis curam geſſerint, ut pura & incolumis floreret. Econtra inter vitia anarchia ponitur, quod non eſſet Rex in Iſrael, & quiſque faceret quod placeret. Iudic. 21. 25. III. Nihil eſt cur putemus, Deum præfectos ſuo nomine conſtituiſſe, ut juri dicundo inter homines intenti eſſent, quod gravioris erat momenti prætermiſiſſe, ut Dei cultum ex Legis præſcripto tuerentur. Itaque ſtulti ſunt qui ſecus ſentiunt, nec intelligunt hæc turbulentorum hominum & novatorum eſſe conſilia, qui omnes violatæ pietatis vindices è medio ſublatos cuperent. S. 9.

17. De officio Principum circa ſecundam tabulam paſſim quoque concionatur ſcriptura; ut faciant judicium & juſtitiam, liberent vi oppreſſos, peregrinum & viduam ne contriſtent, ne faciant injuriam, & ſanguinem innocentem ne effundant. Ier. 22. 3. Vt jus dicant pauperi & egeno, &c. Pſal. 82, 3. 4. ut audiant cauſam fratrum ſuorum, judicent inter fratres & peregrinum, neque timeant ab ullo, neque faciem agnoſcant in judicio, quia Dei judicium eſt. Deuter. 1. 16. Omittimus alia, ut ne multiplicent ſibi equos, ne ſint avari, ne eleventur ſuper fratres ſuos, ne munera accipiant, ut in meditanda Lege Dei ſint aſſidui, &c. Deut. 17. 16. & 16. 19. Videmus ergo publicæ innocentiæ, tranquillitatis, & honeſtatis protectores ſtatui ac vindices. Atq; harum virtutum exemplar ſe David profitetur. Pſal. 101. S. 9.

18. Vt hæc præſtare poſſint, poteſtate eos Deus armavit, qua palam maleficos ac facinoroſos ſevere coerceant. Veriſſimum enim eſt, præmio & pœna res omnes publicas conſiſtere: his ſublatis

totam

totam civitatum diſciplinam collabi ac diſſipari. Ideo neceſſe eſt virtuti ſuum dari honorem, ne frigeat æqui juſtique cura. Et ſeveritate libido hominum ſceleratorum compeſci debet. Quæ duæ partes paſſim Iuſtitiæ & Iudicii nomine veniunt. Illius eſt innocentes tueri, vindicare, liberare. Hujus, impiorum audaciæ reſiſtere, vim comprimere, delicta punire. S. 9.

19. Hic illud primum quæri ſolet, Quum omnibus Chriſtianis vetitum ſit occidere Exod. 20. 12. Matt. 5. 21. & vero Eſaias de Eccleſia vaticinatus ſit, fore ut non affligant in ea, neque noceant Eſ. 11. 9. & 65. 25. quomodo magiſtratibus & piis ſimul & ſanguinariis eſſe liceat. Reſp. Hæc non pugnare, quia Magiſtratus in exercendis ſuppliciis non à ſe agit quidquam, ſed ipſiſſima Dei judicia exequitur. Privatis lex lata eſt, ne occidant. Magiſtratui gladium in manus dedit legiſlator, tanquam miniſtro ſuo, ne impunita ſint homicidia. Nocere non eſt piorum. Sed non eſt nocere, piorum injurias Domini mandato ulciſci. Illud ergo ſemper ſtatuendum eſt, divinæ juſtitiæ opus eſſe, de ſceleribus pœnas ſumere: hanc authoritatem miniſtris ſuis Deum commendaſſe: nihil igitur hic hominis temeritate, ſed Dei jubentis authoritate fieri, cui legem dicere nefas eſt. Id probamus I. expreſſo teſtimonio Rom. 13. 4. Magiſtratus non fruſtra gladium gerit, ſed eſt Dei miniſter ad iram. Quoties ergo in hoc incumbit, gratam Deo obedientiam præſtat. II. Exemplis. Moſes, licet placidiſſimo eſſet ingenio, Ægyptio tamen manus intulit, tanquam deſtinatus à Deo liberator populi. Exod. 2. 12. Actor. 7. 28. Rurſus fungens officio Iudicis, uno die tribus hominum millibus cæſis, in populi ſacrilegium vindicavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Exod. 32. 28. David cruento teſtamento Salomoni præcepit de occidendo Ioab & Semei. Ita ultione ſibi à Deo commiſſa non polluit ſed ſanctificavit manus. III. Ab officio Principis, cujus eſt diligere juſtitiam & odiſſe iniquitaté. Pſ.45.8. cujus eſt ſedere in ſolio judicii, juſtitia ſolium firmare, ſpargere oculos in omnem impium, juſtificare juſtum, condemnare impium, &c. Proverb. 16. 12. & 20. 8.26. & 25.4. & 17.11.15. & 24. 24. Vnde ſequitur, ſumma impietate ſe obſtringere Magiſtratus, ſi ſtricto gladio ſontes & maleficos non perſequantur. S. 10.

20. Illa tamen cautio ſit, ut faceſſat ſæva aſperitas. Iudicium requirimus æquum, cui ſemper aſſideat optima Regum conſiliaria, & regii throni conſervatrix, clementia. Sane utrunque Magiſtratui providendum, ne aut animi ſeveritate vulneret magis quam medeatur, aut ſuperſtitioſa clementiæ affectatione in crudeliſſimam incidat humanitatem, cum multorum pernicie. S. 10.

21. Præterea ſciendum eſt, armatos eſſe principes, non tantum ad privata maleficia judiciariis pœnis coercenda, ſed ad ditiones quoq; ſuas bello defendendas, ſi quando hoſtiliter impetantur. Id & naturalis æquitas & officii ratio dictat. Vnde conſequens eſt legitima eſſe, quæ ſic ſuſcipiuntur, bella. Nam I. ſi jure eos latrones puniunt, quorum injuriæ in paucos tantum progreſſæ fuerint, an totam regionem impune affligi vaſtarique ſinent? Nihil enim intereſt, rex ne ſit, an infima de plebe, qui in alienam regionem irruit: omnes æque pro latronibus habendi ſunt & puniendi. II. Quum tradita illis ſit poteſtas, qua ditionis ſuæ quietem tueantur, ſeditiones comprimant, vi oppreſſis opitulentur, in maleficia animadvertant,

an

an meliore occaſione hac poteſtate uti poterunt, quam ad compeſcendos furores, quibus & privatim ſingulorum otium, & communis omnium tranquillitas perturbatur? III. Si Principes convenit eſſe legum cuſtodes & aſſertores, omnium conatus pariter evertant oportet, quorum ſcelere legum diſciplina corrumpitur. IV. Ejuſmodi porro bella Spiritus S. multis Scripturæ teſtimoniis legitima eſſe declarat. S. 11.

22. Si quis objiciat, in Novo Teſtamento nullum extare vel teſtimonium vel exemplum, quod doceat bellũ rem eſſe licitam Chriſtianis. Reſp. I. Rationem gerendi belli, quæ fuit olim, hodie quoque permanere, neque ex adverſo cauſam eſſe ullam, quæ Magiſtratus à ſuorum ſubditorum defenſione arceat. II. Hujus rei definitionem in doctrina Apoſtolorum non eſſe quærendam, quibus non fuit propoſitũ civilem politiam formare, ſed ſpirituale Chriſti regnum inſtituere. III. Obiter tamen in eadem indicari, Chriſtum ſuo adventu nihil hac in parte mutaſſe. Bene Auguſtinus ex reſponſo Iohannis Bapt. Luc. 3. 14. colligit, ſi Chriſtiana diſciplina omnia bella damnaret, dixiſſet militibus ſalutis conſilium petentibus, ut arma abjicerent, ſeque militia penitus ſubducerent. At ſatis habuit dixiſſe, neminem concutite, nemini injuriam facite, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum. Quibus hoc præcepit, militare utique non prohibuit. Sect. 12.

23. Sed enim hic cavere Magiſtratus debent, ne cupiditatibus ſuis vel tantillum obſequantur, ſive expetendę ſint pœnę, ſive arma in hoſtem induenda. Iſtic nihil aut præcipiti ira, aut odio, aut implacabili auſteritate faciant, miſereantur etiam communem in eo naturam, in quo proprium puniunt

niunt delictum. Hic non ex facili occaſionem capient; nec oblatam accipiant, niſi ſumma neceſſitate adacti: omnia prius tentent, quam armis decernant. Vtrobique publici tantum rationem habeant, quia poteſtas non in ſuum illis commodũ, ſed aliorum bonum & miniſterium datũ eſt. S. 12.

24. Ex eodem belligerandi jure pendet & præſidiorum & fœderum & civilium aliarum munitionum ratio. Præſidia vocamus, quæ ad tuendos regionis fines per civitates diſponuntur. Fœdera, quæ à finitimis principibus in eam legem fiunt, ut mutuam ſibi operam ferant ad opprimendos humani generis communes hoſtes. Civiles munitiones, quarum in arte militari uſus eſt. S. 12.

25. Ad eandem Principis poteſtatem pertinent tributa & vectigalia, legitimi Magiſtratuum reditus. His enim opus habent ad ſuſtinenda publica muneris ſui opera. Rom. 13.6. Iiſdem tamen uti poſſunt ad ſplendorem domeſticum, qui cum imperii dignitate conjunctus eſt. quod etiam ſanctos Reges, Davidem, Ezechiam, Ioſiam, Ioſaphatum, Ioſephum quoque & Danielem feciſſe legimus. Ezechiel quoque ampliſſimum agri ſpatium Regibus attributum eſſe dicit c. 48. 21. Vbi depingit ſpirituale Chriſti regnum, ſic tamen ut à legitimo hominum regno exemplar petat. S. 13.

26. Hic tamen meminerint principes fiſcos ſuos non tam privatas eſſe arcas, quam totius populi æraria, quæ dilapidare non liceat: vel potius ipſum eſſe populi ſanguinem, cui non parcere ſit dura inhumanitas: eſſe denique publicæ neceſſitatis ſubſidia. Sect. 13.

27. Ex hac doctrina duplex oritur fructus. Primus ad Principes, ne ad luxuriam & profuſionem animos faciant, ſed pura conſcientia coram Deo

audeant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

audeant quidquid audent, ne dum plus audent, in Dei contemptum ruant. Alter ad privatos, ne quoſvis principum ſumtus, tametſi vulgarem civilemque modum excedunt, temere ac procaciter ſugillare ſibi permittant. S. 13.

28. Hactenus de vocatione Magiſtratus. Iam deinceps de legibus diſſerendum eſt, quas vere nervos vel animam Rerumpublicarum omnium dixeris, quia ſine his Magiſtratus conſiſtere nequeunt, neque ipſæ rurſum ſine Magiſtratu vigorem habent. Itaque recte dici poteſt, legem eſſe mutum Magiſtratum, & Magiſtratum eſſe legem vivam. Cæterum de optimo legum genere longam diſputationem ne quis hic à nobis exſpectet. Illud tantum breviter notabimus, quibus legibus principes & pie coram Deo & rite inter homines uti poſſint. Cujus quæſtionis neceſſitatem nobis imponunt, qui negant Rempublicam bene compoſitam eſſe, quæ, neglectis legibus Moſaicis, communibus gentium legibus regitur. Quæ ſententia prudentibus non poteſt non videri periculoſa & turbulenta, nos autem falſam eſſe & ſtolidam ſic oſtendimus. S. 14.

29. Principio tenendum eſt, univerſam legem Moſis in Moralem, Ceremonialem, & Iudicialem diſtribui. Non quidem eo ſenſu, quaſi ad mores etiam ceremoniæ & judicia non pertineant, ſed quia ſalvis moribus abrogari poterant, moralem non dixerunt: primam autem partem peculiariter ſic vocarunt, quod citra eam non conſtet vera morum ſanctitas, & quod immutabilis ſit recte vivendi norma. Diſpiciamus nunc quid ex iis ad nos pertineat, quid minus. S. 14.

30. Lex Moralis duobus captibus continetur; quorum alterum ſimpliciter jubet Deum pura fide

& pie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

& pietate colere, alterum ſincera homines dilectione complecti. Et hæc vera eſt & æterna juſtitiæ regula & immutabilis Dei voluntas gentium omnium ac temporum hominibus præſcripta. Ceremonialis Iudæorum fuit pædagogia, donec veniret tempus plenitudinis, quo veritatem exhiberet earum rerum, quę tum figuris adumbrabantur. Iudicialis politiæ loco data fuit, & certas æquitatis atque juſtitiæ formulas tradebat, quibus innocenter & quiete inter ſe agerent. Ceremoniarum exercitatio ad pietatem & cultum Dei proprie pertinebat, ab ipſa tamen pietate diſtingui debuit: & ipſæ ſalva pietate abrogari potuerunt. Ita quoque judiciorum forma ſpectabat charitatem æterna Dei lege ſancitam: ab ipſo tamen dilectionis præcepto diſtinctum quiddam habebat. Ideo his quoque judiciariis legibus ſublatis perpetua charitatis officia manſerunt. S. 15.

31. His poſitis ſequitur libertatem ſingulis gentibus relictam eſſe condendi leges, quas ſibi providerint conducere: ſic tamen ut ad perpetuam illam charitatis regulam exigantur: ut forma varient, rationem habeant eandem. Barbaras enim & feras leges de furibus honorandis, de promiſcuis coitibus permittendis & ſimilibus multo fœdioribus, quæ ab omni juſtitia & humanitate abhorrent, in legum numero non cenſemus. S. 15.

32. Quæ diximus planiora erunt ſi in legibus omnibus hæc duo, ut decet, conſideremus, legis conſtitutionem, & æquitatem. Æquitate quidem omnem conſtitutionem fundatam eſſe oportet. Et quia æquitas naturalis eſt, non niſi una omnium eſſe poteſt. ideo legibus omnibus eadem propoſita eſſe debet. Conſtitutiones diverſas eſſe nihil obeſt, quia circumſtantias habent, à quibus pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

parte pendent, modo in eundem æquitatis ſcopum omnes pariter intendant. Hujus porro æquitatis ratio tota in lege morali præſcripta eſt, quam conſtat non aliud eſſe, quam naturalis legis & conſcientiæ, quæ hominum mentibus inſculpta eſt à Deo, teſtimonium. Proinde ſola quoque ipſa legum omnium ſcopus, & regula, & terminus ſit oportet. Ad hanc regulam quæcunque formatæ erunt leges, quæ in eum ſcopum directæ, quæ eo termino limitatæ, non eſt cur à nobis improbentur, utcunque vel à lege Iudaica, vel inter ſe ipſæ alias differant. Lex Dei vetat furtum, falſum teſtimonium, homicidium, adulterium. Pœnarum ratio & modus gradusque pro diverſitate populorum & regionum variant: in eo tamen omnes conveniunt, quod in eundem finem tendunt, & uno ſimul ore pœnam pronuntiant in ea, quæ æterna Dei lege damnata ſunt, facinora. Vt autem in pœnæ modo conveniant, nec neceſſe eſt, nec expedit. Eſt gens in vitium aliquod propenſior, niſi acerrime compeſcatur. Eſt regio, quæ cædibus & latrociniis periret, niſi horrendis exemplis in homicidas ſæviat. Eſt aliquando ſeculum tale, quod pœnarum acerbitatem augeri poſtulat. Sæpe ſi quid turbatum ſit in ſtatu publico, novis edictis corrigenda ſunt, quæ inde naſci ſolent, mala. Belli tempore opus eſt inſolito pœnarum metu. In ſterilitate, in peſtilentia, niſi adhibeatur major ſeveritas, peſſum ibunt omnia. Hæc diverſitas ad retinendam legis Dei obſervationem eſt accommodatiſſima, qua qui offenditur, malignus ſit neceſſe eſt, & publico bono invidus. S. 16.

33. Objicitur, ita contumeliam fieri legi divinæ per Moſen latæ, quum illa abrogata novæ aliæ præferuntur. Reſp. 1. Alias illi non præferri ſim-

pliciter

pliciter tanquam meliores, ſed duntaxat magis probari pro temporũ, loci & gentis conditione. 2. Negamus illam abrogari, quia nobis lata nunquam fuit. Neque enim hoc fine eam per Moſen Deus promulgavit, ut omnes gentes ubique obligaret; ſed quum Iudaicam gentem in patrocinium & clientelam ſuam ſuſcepiſſet, illi etiam peculiariter legiſlator eſſe voluit, & quod ſapientis erat legiſlatoris, ſingularem quandam ejus in ferendis legibus rationem habuit. S. 16.

34. Poſtremo tandem de ſubditis dicendum eſt, ubi duo nobis expedienda veniunt. I. Quis legum & Magiſtratuum atque judiciorum uſus ad ſocietatem Chriſtianam redeat. II. Quantum Magiſtratibus ſubditi deferre, & quouſq; in obedientia progredi debeant. Prima quæſtio cognitu neceſſaria eſt propter illos, quibus videtur ſupervacaneum eſſe munus Magiſtratus inter Chriſtianos: nam cum vetitum nobis ſit litigare, aut vindictam ſumere, aut in judicium poſtulare, fruſtra imo ne pie quidem poſſe implorari opem Magiſtratus. Contra Paulus teſtatur miniſtrum Dei nobis eſſe in bonum. Rom. 13.4. Nempe datum à Deo in præſidium adverſus flagitioſorum hominum improbitatem & injurias, ut quietam ac ſecuram vitam agamus. Tali ergo beneficio uti nobis licet. S. 17.

35. Cæterum cum duplici hominum genere nobis hic eſt negotium. Quidam perpetua litigandi rabie æſtuant, ut quietem nunquam habeant, niſi cum aliis pugnent: alii judiciarias diſceptationes omnes præciſe damnant. Priores quidem nil niſi lites agitant per totam vitam, & eas ipſas capitali odio atque inſana vindictæ nocendique cupiditate exequuntur, tum vero ad ruinam uſque

adverſarii implacabili obſtinatione perſequuntur. Talem adhæc perverſitatem, judiciorum ſcilicet prætextu,defendunt, ne niſi jure agere videantur. At vero his cogitandum erat I. legitima eſſe judicia, ſed tum ſi quis recte illis utatur. Rectum autem eſſe uſum, tum reo, ſi poſtulatus ad condictam diem ſe ſiſtit, qua poteſt exceptione cauſam ſine acerbitate defendit, hoc tantum affectu, ut quod ſuum eſt jure tueatur: tum actori, ut ſive in capite ſive in fortunis indigne oppreſſus apud Magiſtratum conqueratur, in ejus fidem ſe conferat; quod æquum & juſtum eſt poſtulet: ſed ſine vindictæ nocendive libidine, ſine aſperitate & odio, ſine contentionis ardore, etiam paratus ſuo cedere & quidvis perpeti, quam inimico animo ferri in adverſarium. II. Nunquam quamtumvis æquam litem juſte tractari poſſe, niſi pari adverſarium dilectione ac benevolentia actor proſequatur, ac ſi amice negotium jam tranſactum eſſet. Itaque juſtiſſimæ quoque cauſæ actio non poterit eſſe non impia & injuſta, ſi odio, invidia, malevolentia, iracundia incenſi actores nil niſi ultionem ſpirent, & ardore certaminis, dilectionis non ſint memores, aut de ea quidquam imminuant. III. Auxilium Magiſtratus ſanctum quidem eſſe Dei donum: itaque permiſſum eſſe, ut cum fratre judicio agat. Sed eo diligentius cavendum, ne donum illud vitio noſtro polluatur. Polluitur autem odio & furioſo ac pertinaci nocendi ſtudio. S. 17. 18.

36. Dicet forſan aliquis, talem moderationem nunquam in judicium afferri. Reſp. Hoc temporis eſſe vitium, prout nunc mores ſunt. Res tamen ipſa nullius mali acceſſione bona & pura eſſe non deſinit. S. 18.

37. Alte-

37. Alterum illud hominum genus, qui lites & controverſias omnes judiciales damnant, non ſatis intelligunt I. quod ſanctam Dei ordinationem repudiant, & donum Dei, quod ex earum rerum eſt genere, quæ mundis munda eſſe poſſunt. II. quod eadem ratione Paulum flagitii inſimulant, qui & accuſatorum calumnias in judicio à ſe depulit, & Romanæ civitatis prærogativam ſibi aſſeruit, & ab iniquo præſide ad Cæſaris tribunal provocavit. Actor. 22. 1. & 24. 12. & 25. 10. S. 19.

38. Objiciunt I. Chriſtianis omnibus interdictam eſſe vindictæ cupiditatem Matth. 5. 39. Rom. 12. 14. Reſp. Et hanc quoque nos à Chriſtianis ſubſelliis longiſſime abigimus. Nihil enim vetat, ſi civiliter contenditur, rem ſuam judici, tanquam publico tutori, commendare ſine ullo vindictæ affectu; aut ſi capitalis vel gravior actio intenditur, accuſatorem non ultionis ſtudio, non privatę injuriæ offenſione motum, ſed eo tantum animo in forum accedere, ut pernicioſi hominis conatus impediat, ne Reipublicæ noceant. S. 19.

39. Inſtant, non vindictæ tantum cupiditatem prohiberi, ſed præcipi etiam, ut rem totam Deo committamus: at vero cœleſtis patroni ultionem antevertere, qui opem ſibi aut aliis ferri à Magiſtratu petunt. Reſp. Nihil minus; quia Magiſtratus vindicta non hominis ſed Dei eſt, quam per hominis miniſterium Deus exercet Roman. 13. 4. Sect. 19.

II. Objiciunt, Non eſſe reſiſtendum malo, quin dexteram potius maxillam præbendam eſſe ei, qui alapam in ſiniſtram impegerit. Matt. 5. 39. Reſp. 1. Hoc loco retaliandi cupidinem prohiberi, adeo ut potius, quam par pari reddere velint

Chriſtiani, duplicari in ſe injuriam paſſuri ſint. Etenim peſſimorum hominum injuriis expoſiti ſemper erunt. Itaque non ſolum toleran tes malorum eſſe convenit, ſed ſic etiam animis compoſitos, ut ſuſcepta una offenſione, ad alteram ſeſe comparent, ad appetendam ultionem nullo modo ſint proclives, irrogatas injurias ultro condonent, quin etiam iis qui injurii ſunt benefaciant, maledicentibus bene precentur, malum bono vincere contendant. Matth. 5.39. Rom. 12. 14, 21. II. Sed hæc animorum æquitas & moderatio non impedit, quo minus, integra in inimicos amicitia, Magiſtratus ope ad rerum ſuarum conſervationem utantur, aut publici boni ſtudio ſontem & peſtilentem hominem ad pœnam poſtulent. III. Sic etiam Auguſtinus hunc locum explicat epiſt. 5. ad Marcell. Sect. 20.

41. III. Objiciunt, lites à Paulo in univerſum damnari. 1 Cor. 6. 6. Reſp. 1. Negamus Paulum invehi in quaſvis controverſias. Regnabat in Corinthiorum Eccleſia immodicus quidam litigandi furor, uſque eo ut Euangelium & totam religionem ſannis impiorum exponerent. Hanc inſaniam Paulus reprehendit. 1. quod eo nomine Euangelium apud infideles male audiret. 2. quod in eum modum inter ſe diſſiderent fratres cum fratribus, ut alii aliorum bonis inhiarent, ultro laceſſerent & damnum inferrent. 3. quod non potius damnum acciperent rerum ſuarum, quam pro iis conſervandis adeoque minimis de cauſis ad forum & lites decurrerent. 4. Atq; hoc ſignum eſſe animi nimis irritabilis & ad patientiam minus comparati. 5. Rectius facturos, ſi de ſuo jure decedere malint, quam in forum progredi, unde vix exire poſſint, niſi commotiore animo & in

fratris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

fratris odium accenſo. Atq; hæc omnibus Chriſtianis ſerio cogitanda ſemper eſſe fatemur. II. Negamus tamen in Pauli ſententiam eos delinquere qui lites ſuſcipiunt, & ſuſceptas perſequuntur, quando citra charitatis diſpendium ſe poſſe tueri rem ſuam videbunt, præſertim, ſi res magni ſit momenti, & ejus jactura cum gravi diſpendio ſit conjuncta. Optimum ergo conſilium in hoc negotio dabit charitas, quæ ſi violetur, diſceptationes injuſtas & impias eſſe ultro concedimus. Sect. 21.

42. Denique perpendendum nobis eſt, quod ſit ſubditorum erga ſuos Magiſtratus officium. Primum eſto, ut de eorum functione tanquam divina honorificentiſſime ſentiant, eoſque ob id revereantur, ut Dei miniſtros & legatos. Errant proinde, qui ſuis Magiſtratibus obſequuntur, & alios ipſis obſequi volunt, quod bono publico ita expediat: de ipſis tamen non ſecus judicant, ac de malis quibuſdam neceſſariis. Quos redarguit I. Petrus jubens Regem honorari. 1 Pet. 2. 17. Honorandi autem verbo ſinceram & candidam exiſtimationem complectitur. II. Salomon, quum Deum & Regem timeri præcipit. Prov. 24. 21. Nam regem cum Deo conjungens, ſanctæ venerationis & dignitatis plenũ eſſe oſtendit. III. Paulus, aſſerens non ſolum propter iram ſed propter conſcientiam Magiſtratui eſſe obediendum. Rom. 13. 5. Quocirca non terrore duntaxat principum & metu pœnæ adduci debent ſubditi ut obediant, quod etiam hoſti armato nonnunquam conceditur, ſed vel maxime, quia Deo redduntur obſequia quæ illis præſtantur: quoniam principum poteſtas à Deo eſt. Hominum ſiquidem vitia in rationem hic non veniunt. Ordinem ipſum dicimus honore & reverentia dignum. Sect. 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

43. Secundo loco ponimus obedientiam, quæ ex priori officio fluit, ut ſubjiciant ſe Magiſtratui, ſive tributa ſolvenda ſint, ſive ſubeunda publica munera vel onera, quæ ad communem defenſionem ſpectent, ſive edictis ſit parendum, ſive alia quævis juſſa capeſſenda. De quo officio Paulus luculenter diſſerit Rom. 13. 1. Tit. 3. 1. & Petrus ep. 1. c. 2. 13. Adhæc jubet Paulus 1 Tim. 2. 1. ut deprecationes fiant & gratiarum actiones pro Regibus & omnibus in eminentia conſtitutis, ut quietam vitam degamus, &c. Sic enim teſtantur ſubditi, ſe ſincere & ex animo ſubjectos eſſe. Vnde liquet non poſſe Magiſtratui reſiſti, quin ſimul Deo reſiſtatur, quem certum eſt vindictam ſumpturum in eos, qui Magiſtratus contemnunt, quamlibet inermes ſint. Sect. 23.

44. Præterea hæc etiam moderatio requiritur, ne privati homines ſe ultro admiſceant publicis negotiis, aut temere irrumpant in partes Magiſtratus, ac ne quid omnino publice moliantur tumultuando, ne tum quidem, quando in publica ordinatione nonnihil corrigi intererit, ſed ad Magiſtratus cognitionem rem totam deferant, cujus unius manus hic ſolutæ ſunt. Injuſſi ergo nihil audebunt. Sed ubi acceſſerit Principis imperium, jam ipſi quoque, velut manus Principis, publica authoritate præditi ſunt. Sect. 23.

45. Et hanc quidem obedientiam bonis deberi principibus, vix eſt, niſi forte inſanus, qui negare audeat. Sed quum Principum alii ſocordes in delitiis vivant: alii rebus ſuis intenti jura omnia venalia proſtituant: alii plebeculam pecunia exhauriant, quam inſanis largitionibus profundant: alii mera latrocinia exerceant, contingit, ut multis perſuaderi non poſſit, hos pro principibus eſſe agno-

agnoſcendos, horum imperio parendum eſſe, quia nullam hic ſpeciem imaginis Dei, nullum veſtigium conſpiciunt miniſtri Dei, nullam omnino authoritatem aut dignitatẽ, quam ſcriptura commendat. Neque hoc valde mirum videri debet, quoniam is pene omnibus eſt ſenſus, ut non minus oderint tyrannos, quam diligunt & venerantur legitimos reges. Sect. 24.

46. At vero Dei verbum nos longius deducit, ut non eorum modo principum imperio ſubditi ſimus, qui probe munere ſuo defunguntur, ſed omnium, qui quoquo modo rerum potiuntur, etſi nihil minus præſtent, quam quod ex officio erat principum. Ratio eſt, quia qualeſcunque ſint, à Deo habent imperium. Qui bene imperant, vera beneficentiæ divinæ ſunt exemplaria & ſpecimina: qui injuſte & impotenter dominantur, ad vindicandum populi iniquitatem à Deo ſunt excitati: omnes ex æquo ſancta Majeſtate inſtructi. Eſt quidem Rex impius furor Domini ſuper terram. Nec tamen de Rege ſentiendum eſt, tanquam de prædone aliquo, aut adultero, aut ſicario; cujuſmodi calamitates etiam inter Dei maledictiones cenſentur. Semper enim ſpectanda nobis hic eſt præclara illa & divina poteſtas, quæ etiam in teterrimo & honore omni indigniſſimo homine reſidet, penes quem publica eſt poteſtas. proinde à ſubditis eadem in reverentia habendus eſt, quantum ad publicam obedientiam attinet, qua optimum Regem, ſi daretur, habituri eſſent. Sect. 25.

47. Argumenta ex ſcripturis hæc ſufficient. 1. Quod Dei providentiam ac ſingularem actionem in diſtribuendis regnis, & ſtatuendis, quos illi viſum fuerit, Regibus, nobis commendant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Abjicit enim reges & inſtituit: regna dat, cui ipſe voluerit. Dan. 2. 21. 37. Loquitur autem Propheta tum in genere de omnibus principibus, tum ſpeciatim de rege Nebucadnezare, quem ſcimus ſtrenuum fuiſſe alienorum regnorum invaſorem & populatorem. Huic tamen dicitur Deus dediſſe regnum illud glorioſum. Dan. 2. 37. & 5. 18. Ezech. 29. 19. Ier. 27. 8. Quo poſito, ſimul illa de honorando & timendo Rege cœleſtia edicta conſequuntur: ut nequiſſimus quoque tyrannus eo loco habendus ſit, quo Dominus ipſum dignatus fuerit. II. Quum Samuel populo denuntiaret, qualia eſſet à Regibus ſuis paſſurus, Hoc, ait, erit jus Regis, &c. 1 Sam. 8. 11. Et porro refert quam inique in populum ſit graſſaturus. Certe non id ex jure facturi erant reges, ſed jus in populum vocat, cui parere neceſſe eſſet, nec obſiſtere liceret, aut cohibere, quia hoc unum reſtabit, ut juſſa excipiant, ac dicto audientes ſint. III. Clarius etiamnum hanc obedientiam Deus præcipit. Ierem. 27. 8, 17. Vbi poſtquam dixiſſet ſe omnes terras dediſſe Nebucadnezari, aperte jubet ut omnes gentes ei ſerviant, & graviſſimas addit comminationes in gentes, quæ ipſi non ſervierint. Videmus quanta obedientia Deus ferocem illum tyrannum coli voluerit, non alia ratione, niſi quia Dei authoritate regnum obtinebat. Quandocunque ergo Deus quempiam in regium faſtigium evehit, ſimul teſtatur hanc eſſe ſuam voluntatem, ut ei ſerviamus. IV. Eadem de re generalia exſtant teſtimonia Prov. 28. 2. Iob. 12. 18. V. Alterum habemus mandatum Ier. 29. 7. quo Dominus jubet populum quærere pacem Balylonis, & orare pro victoris proſperitate, non quomodo alias perſecutoribus noſtris bene precari docemur, ſed ut

ſalvum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

ſalvum illi regnum conſervetur, quo ſub eo ipſi quoq; proſpere agant. VI. Memorabile eſt exemplum Davidis. Iam Rex erat Dei ordinatione deſignatus, tamen quamdiu Saul vixit, regiam dignitatem agnovit: & cum nullo ſuo merito indigne à Saule impeteretur, tamen inſidiatoris ſui ſacroſanctum habuit caput, eo quod Chriſtus Domini eſſet. 1 Sam. 24. 7. 11. & 26. 9. S. 26. 27. 28.

48. Objicitur I. mandatum illud de ſerviendo Nebucadnezari fuiſſe Iſraëlitis peculiare. R. Contrarium jam evicimus tum generalibus tum ſpecialibus ſcripturæ teſtimoniis. S. 28.

49. Objic. II. Reges ſubditis ſuis mutuas debent vices. Proinde non videri æquum, ut ſubditos eis nos præſtemus, qui viciſſim Reges ſe nobis non præſtant. R. I. Antecedens jam ante confeſſi ſumus. Conſequentiam ut inſulſam rejicimus. Pari ratione licebit uxori detrectare mariti moroſi & intractabilis obedientiam. Idem de liberis & parentibus durioribus dici poterit. At vero improbis etiam & inofficioſis jure divino ſubjiciuntur. II. Quod omnibus agendum eſt, ne aliorum officia inquirant, ſed diligenter reputent quid ſui muneris ſit, id inter eos præſertim valere debet qui ſub aliorum ſunt poteſtate poſiti: ut diſcant non homines excutere, ſed in Dei voluntatem reſpicere, quæ talem perſonam illis & majeſtatem impoſuit atque impreſſit. S. 29.

50. Optimum autem remedium erit, ſi quando à ſævo, avaro, luxurioſo aut impio & ſacrilego principe vexamur, ab ignavo negligimur I. Vt ſubeat delictorum noſtrorum recordatio, quæ talibus Domini flagellis caſtigantur. Hæc humilitas impatientiam noſtram frænabit. II. Cogitemus non noſtrum eſſe hujuſmodi malis mederi. Hoc

tantum

tantum reliquum eſſe, ut Dei opem imploremus, cujus in manu ſunt regum corda & inclinationes. Prov.21.1. Effrenatæ porro dominationis correctionem ad ultionem Domini pertinere, nobis non eſſe demandatam, quibus nullum aliud quam parendi & patiendi datum eſt pręceptum. 111. Ad Dei mirabilem bonitatem, & providentiam oculos attollamus. Ipſe enim ſedet in ſynagoga Deorum, & eos dijudicat. Ab ejus facie conteruntur Iudices terræ, qui Chriſtum non oſculantur, qui leges iniquas ſcribunt, pauperes opprimunt, viduas & pupillos diripiunt. Cujus rei luculenta dedit documenta, idque duobus modis. Alias ex ſervis ſuis manifeſtos excitavit vindices, qui de ſcelerata dominatione pœnas ſumſerunt, oppreſſos liberarunt. Sic Iſraelem per Moſen, Othoniel, per alios Reges vel Iudices ſæpius in libertatem aſſeruit. Alias impiorum furorem aliud cogitantium ac molientium eo convertit & deſtinat: ſic Tyrios per Ægyptios, hos iterum per Aſſyrios, iſtos rurſum per Chaldæos, & hos per Medos & Perſas domuit. Regum vero Iuda & Iſrael ingratitudinem ac contumaciam per Aſſyrios & Babylonios contudit & afflixit. Nec tamen utrinque eadem eſt ratio. Nam ſervi Dei legitima vocatione à Deo accerſiti, in Reges arma ſumſerunt, & ſine violatione regiæ Majeſtatis, armati è cœlo, minorem poteſtatem majori poteſtate coercuerunt. Poſteriores, opus Dei inſcientes peregerunt, nihil tamen aliud animo quam ſcelus volutantes. Vtcumque autem facta hominum cenſeantur, Deus opus ſuum juſtiſſimum exequutus eſt, ſceptra ſanguinaria confringens ac intolerandas dominationes evertens. Deo ergo ſuum hoc opus relinquamus, nos de auxilio ejus optime ſemper ſperemus, interim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

terim magiſtratuum venerandæ Majeſtatis plenam authoritatem divino verbo ſancitam agnoſcamus & revereamur. S.29.30.31.

51. Et hæc quæ huc uſque dicta ſunt, de privatis hominibus intelligi volumus. Nam ſi qui nunc ſunt populares Magiſtratus ad moderandam Regum libidinem conſtituti (quales olim Lacedæmone erant Ephori, Romæ Tribuni plebis, Athenis Demarchi, qua etiam forte poteſtate funguntur tres regni ordines, quum primarios conventus peragunt) tantum abeſt, ut eos prohibeamus ferocienti Regum libidini pro officio intercedere, ut contra, ſi Regibus impotenter in plebeculam graſſantibus conniveant, talem diſſimulationem nefaria perfidia non carere affirmemus: quia populi libertatem, cujus Dei nomine tutores ſunt, fraudulenter produnt. Sect. 31.

52. Vna tamen hic cautio vel exceptio inprimis neceſſaria supereſt, ne obedientia Principum nos à Dei obedientia abducat. I. Quia Deus eſt Rex regum omnium, quorum vota, juſſa, faſces voluntati divinæ ſubeſſe, cedere, ſubmitti par eſt. Is ergo ſimul ut ſacrum os ſuum aperuit, unus pro omnibus & ſupra omnes audiendus eſt. II. quia hominibus, qui nobis præſunt, ſubjecti ſumus, ſed non niſi in Deo. Adverſus ipſum ſi quid imperent, nullo illud ſit nec loco nec numero. Neque hic moretur nos tota illa, qua pollent, dignitas, cui injuria nulla fit; quia æquum eſt hanc cedere ſupremæ Majeſtati. III. Præpoſterum ſane eſt, ut hominibus ſatisfacias in ejus offenſionem incurrere, propter quem hominibus obedimus. IV. Exemplum illuſtre habemus in Daniele, qui, quum impio Regis edicto non paruiſſet, negat tamen ſe quidquam in Regem peccaſſe.

Dan.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Dan. 6. 22. v. Ex oppoſito paſſim damnantur Iſraëlitæ, quod impiis Regum ſuorum edictis fuerint morigeri. Oſ. 5. 13. 1 Reg. 12. 30. VI. Faceſſat ergo prætextus modeſtiæ, quo aulici adulatores negant ſibi fas eſſe abnuere quidpiam Regibus ſuis. Nam Deus principes generi humano præficiens, jus illud ſuum non reſignavit. Nec idcirco minuitur terrena poteſtas, dum ſuo authori ſubjicitur, coram quo cœleſtes etiam principatus expaveſcunt. VII. Etſi præſens huic conſtantiæ noſtræ periculum immineat, (neque enim ferunt reges ſe contemni) tamen illud Petri ſemper impreſſum debet eſſe cordibus noſtris, *Obediendum Deo potius quam hominibus*. Act. 5. 29. obedimus autem Deo, quando quidvis potius perpeti parati ſumus, quam à pietate deflectere. VIII. Denique ne nobis labaſcant animi, ſtimulo illo nos incitemus, ideo nos tanti à Chriſto redemtos eſſe, ne pravis hominum cupiditatibus obſequamur, multo minus impietati addicti ſimus. 1 Cor. 7. 23. Sect. 32.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 36